PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

TOMUS VICESIMUS QUARTUS

(IX. novae seriei)



BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre-Dame

ROMAE
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Piazza della Pilotta

1935

16768

v. 24

IMPRIMATUR

P. Raphael Bitetti S. I.
Praepositus Prov. Romanae

IMPRIMATUR

Sorae, 24 Dec. 1935.

† Augustinus Mancinelli
E.pus Aquin., Soranus et Pontiscurvi

Soc. Tip. A. Macioce & Pisani - Isola del Liri

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De persona morali.

De tam disputata quaestione de persona morali, clare et distincte agere proponimus.

I. — *Notiones.*

I. *Consideremus facta.* In omnium oculis exsistunt societates. In aliis singuli homines sine actu liberae voluntatis suae exsistunt: ita Familia, Civitas, et etiam, baptizatis in infantia, Ecclesia. Aliae ab hominibus conflantur: puta varias consociationes philanthropicas, seu humanitarias, industriales, commerciales, recreativas (sport).

Aliae sunt perpetuae, quatenus nulla assignetur dies vel temporis ratio qua esse desinunt: civitas, Status, Ecclesia; aliae sunt temporariae, ut sunt consociationes factae in certos annos. Civitati, Ecclesiae, homines agnoscunt deberi servitia, affectus, iustitia, gratus animus, charitas, dum consociationibus temporalibus affectus huiusmodi non debentur, immo non concipiuntur possibiles, sed totum consistit in definitis officiis adimplendis.

Praeter societates habentur etiam quaedam institutiones sine societate saltem visibili: non nulla bona

regimini speciali sunt obnoxia, ob quod quasi separata entia exsistere videntur: sive dispositione legis, ut apud Romanos, hereditas iacens, in iure nostro moderno patrimonium; sive actu privatorum, ut si quis testamento condiderit bursam, fundaverit Missas.

De his omnibus ponitur quaestio: quid est quod istis nominibus supponitur? Haec quaestio iam ab antiquo iuristas et philosophos occupat vel torquet; et multis sententiis locum dat.

II. *Divisio eiusque origo.* Hodie sollemnissima est divisio qua personae distinguuntur *physicae* et *morales.* Divisio ista nec in Romano iure, nec in Iure canonico ante Codicem occurrit, quamvis in iure Romano semel legatur (1) « Hereditas personae vice fungitur, sicut municipium et decuria et societas ».

Saec. XVII, DOMAT, Galliae iurisperitus (1625-1695), simili modo dixit: Communitates legitime erectae vice personarum funguntur (2). Aequalis eius, qui princeps iurisperitorum Galliae celebratur, POTHIER (*Traité des Personnes*) collegia esse dixit entia intellectualia, personas intellectuales.

Saeviente autem perturbatione Gallica, ad excusandas bonorum direptiones, coepit THOURET distinguere inter homines et collegia, quasi hae contra atque illi, omne ius et ipsum esse ab humano legislatore repetere deberent, ipsique accepta referre. Ita viam praeparavit doctrinae iuridicae quae, adumbrata a MUEHLENBRUCH, est a Von SAVIGNY (1779-1861) scientifice expressa, et ob magnum istius scriptoris nomen, mox, auctore ZACHARIAE, in Galliam introducta, et dein fere ubique, hac saltem ratione, invaluit, quod duo agnita sunt personarum genera, *Physicae* et *Morales.* Quod nuper tantum est legibus formaliter introductum, praecipue Codicibus Hispaniae et Germaniae. Codex

(1) L. 22, D. De fideiussoribus (XLVI, 1).
(2) T. 2, p. 104. 105. (edit. anni 1735).

iuris canonici can. 99 declarat in Ecclesia, praeter personas physicas, esse etiam personas morales, publica auctoritate constitutas, quas distinguit in personas morales collegiales et non collegiales ; can. autem 100 catholicae Ecclesiae et Apostolicae Sedi vindicat, ex ipsa ordinatione divina, rationem moralis personae, dum aliis personis moralibus in Ecclesia originem tribuit sive ex ipso iuris praescripto, sive ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione, per formale decretum. De intima personae moralis natura nihil subiungit.

II. — *Variae sententiae.*

Homines ipsi sunt personae *physicae :* id habent ob ingenitam naturae dignitatem. Quorum tamen personalis dignitas civiliter ignorabatur si in perfectam servitutem erant redacti. Aliud tamen est agnitio iuridica, aliud ipsum factum, quod potest lege agnosci, ignorari, reprobari, prohiberi ; veritas tamen facti quando est a natura, nulla potestate humana tolli potest. Quare mancipia erant personae, instructae iuribus inviolabilibus, quamvis positivo iure humano non agnoscerentur.

Ut de solis personis moralibus seu iuridicis, ut aiunt iurisperiti, agamus, potissimae sententiae ita brevibus verbis recenseri possunt.

1. *Theoria creationis a Statu.* Post VON SAVIGNY plerique iurisperiti eam doctrinam tenebant, donec tandem hodie est derelicta. Propter commodum et utilitatem hominum, legislator statuit ut bona et iura quae personarum vel rerum universitates respiciunt, non iam ipsis sociis seu personis physicis, sed ficto cuidam enti tribuerentur, cuius nomine a deputatis personis exercerentur seu administrarentur.

Possidet igitur, secundum ipsos, potestas suprema quandam vim, quae ipsum Deum imitatur, creandi

supposita personalia (sic fere LAURENT) quod ipse solus potest. Personae istae vere exsistunt iuridice. Simul tamen adducti sunt ut admitterent fraude privatorum nasci posse, invito legislatore, personas morales quae *facto*, non autem *iure* exsisterent. Illa exsistentia facti non parum eorum doctrinam de exclusiva praerogativa Status labefactat. Sed « liberales » minus refutatum suum errorem quam commissam fraudem observarunt, ut eam reprobarent et religiosis, quos maxime isto crimine reos habebant, omnem honestum modum vivendi vel habendi bona eriperent.

Altera difficultate quoque in tranquilla sui placiti possessione turbati sunt. Statum esse *personam moralem* infitiari non poterant. Undenam ista personalitas originem trahit? Ab ipsa lege, inquit LAURENT (1); lex tamen est ipsa civitate posterior: hoc quadantenus capi potest quatenus nomine personae moralis intellegas mere artificiosum quoddam subiectum possidendi bona. Sed quid tunc de sublimi vi civili Statui tributa?. Hodie theoria ista est fere derelicta.

2. *Alii altiorem certis personis originem* tribuunt, v. g. Deum auctorem naturae. Atque hac ratione Codex I. C. Ecclesiam et S. Sedem habet ut personas morales quae positiva Conditoris voluntate exsistunt.

3. *Theoria personae moralis naturalis.* Qua causa societas eadem gignitur persona moralis, quae ad iura possidenda sit plane habilis, nisi forte positiva legis prohibitione impediatur. Ita non pauci iuristae Galliae et Germaniae, postquam fortuna personae a Statu creatae se inclinavit.

Non nulli, ut personam istam demonstrent, ita exaggerant similitudinem Societatis et Corporis organici, ut societati, et vel maxime civitati, agnoverint verum corpus propria vita donatum. Ita SPENCER

(1) *Principes de droit civil français*, T. I, p. 369 et p. 375. Ipse magnificentissimis verbis munus creandi Status effert.

Principes de sociologie; SCHAEFFLE, *Bau und Leben des sozialen Körpers*; JAEGER, *Manuel de zoologie*; ESPINAS, *Les sociétés animales*. Ut missam faciamus absurdam istam conceptionem, alii ZITELMANN (*Begriff und Wesen der sogenannten iuristische Personen*) et MEURER, *Der Begriff und Eigentümer der heiligen Sachen*, auctores sunt systematis quod vocatur *Willenstheorie*. Plures sectatores etiam in Gallia adepti sunt. Ab hoc initio exordiuntur, quot sint voluntates, tot esse personas. Conantur tunc in coetibus reperire et demonstrare peculiarem quandam voluntatem quae a summa voluntatum sociorum prorsus sit distincta. Qua voluntate, ut ipsi aiunt, novum ens, subiectum iura possidens constituitur.

4. *Theoria personarum moralium verarum et fictarum*. Episcopus WAFFELAERT (1), ex TAPARELLI tenet societates nasci propter facta *naturalia*, vel propter facta *obligatoria*, vel propter facta *voluntaria*. Duae exsistunt societates perfectae, naturales et *necessariae*, compositae communitatibus, et societates *voluntariae*. In magnis istis societatibus habetur, ut elementum materiale, vel quasi tale, multitudo, et ut elementum *formale* auctoritas, cuius vinculo reducitur ad unitatem ita ut mediis communibus intendatur finis communis (qui est alterum sed extrinsecum unitatis principium). Huiusmodi societas est *ens morale*, non physicum, sicut moralis est eius unitas. Non est opus phantasticum, namque verae relationes coniungunt socios et perceptae ab ipsis dant enti illi fundamentum in re. Nihil impedit quin vocemus istud ens *persona moralis*. Immo feliciter est inventum istud nomen quo perfectio istius societatis exprimitur. Sub isto nomine communi variant personae morales notis individuantibus.

Verae sunt personae morales, Civitas, Ecclesia, et

(1) *Nouv. Revue Théologique*, 1884 p. 626 ss. Assumit plura ex opere P. TAPARELLI S. I., *Saggio di diritto naturale*.

minora perpetuae rationis collegia alterutri obnoxia; dum fictae sunt privati coetus lucri causa conflati, et quaedam rerum universitates, v. g. fundatae bursae: hae legislatoris voluntate personalitatem adeptae sunt. Vera persona moralis est ens *rationis*, abstractum, et ratione a singulis distinctum, immo a sociis etiam collective sumptis.

Quo magis ad unitatem multitudo redigitur, et quo amplior et magis composita (variis membris, functionibus) est ista multitudo, eo magis nomen personae moralis meretur. Personae morales possunt igitur esse plus minusve perfectae. Societates civiles (privatae) ad horam exsistunt, nec habent verum bonum commune (quo sibi exsistant). Quare, ait WAFFELAERT cum TAPARELLI, non sunt personae morales.

In *fundationibus*, desideratur societas. Quare non sunt nisi personae morales ficticiae quae a persona vera pendent.

Ita fere WAFFELAERT, *Nouv. Revue théologique*, 1884, p. 664; vel opus *De iustitia* I, n. 160-168. Cum ipso sentiunt plures theologi et canonistae.

5. *Systema negantium obiectivam personae moralis rationem.* Est mentis *figmentum*, omni iuridica efficacia destitutum, sed eius conceptus intellectum et sermonem iuvare potest, Persona moralis non est igitur proprium iurium socialium subiectum. Cuiusnam erunt iura?

BRINZ, *Lehrbuch der Pandekten*, n. 234, et plures cum ipso distinguunt *Personenvermögen*, bona quae propria sunt personarum, et *Zweckvermögen;* patrimonia quae pertinent ad ipsum finem propter quem procurandum constituta sunt, neque ultra esset aliquid quaerendum. Ipsum, teste DEL VECCHIO (1) sequuntur in Italia, GIANTURCO, BONELLI et plures alii.

Professor lovaniensis D. VAN BIERVLIET, *De la na-*

(1) *Lezioni di Filosofia del Diritto. Persone giuridiche*, p. 252 ss.

ture des personnes civiles, post SERMENT, *Associations et corporations*, P. I, c. 1, opinantur communes coetus res in nullius dominio proprietatis esse, sed obiecta esse iurium peculiarium quae a coetus moderatoribus non tantum exerceantur sed vere possidentur.

Alii, post IHERING, omnia iura et bona *ipsis sociis* tribuunt, quatenus ipsis destinantur. Quod magna rationum vi in Gallia propugnavit prof. de VAREILLES SOMMIÈRES professor Insulanus, in opere *Les personnes morales.*

Huc pertinet etiam systema GEORGI, qui omnes personas morales ad Statum reducere vult. Quid enim sunt sic dictae personae morales? Quid, nisi secundaria organa contenta in Statu, ita ut revera unum tantum sit subiectum, Status.

6. Theoria agnoscens veritatem personarum moralium, sed in ordine *ideali et morali,* minime in ordine physico. Ita DELOS, O. P. in lucubratione *La théorie de l' Institution et la solution réaliste des problèmes de la personne morale* (*Archives de philosophie du droit,* I, p. 105-128). Cuius doctrinam sic putamus exponere posse.

Habentur societates personarum; namque homo non est tantum ens individuum, sibi exsistens, sed est etiam ens *sociale*, factum ut necessarie vel libere cooptetur in varias societates. Quid autem reale, in societate? Personae physicae, substantiae, coniunctae relatione communi ad finem societatis, et relationibus mutuis quae ea communi relatione manant. Propter istas relationes sociales quas RENARD bene describit *ideales* sed *non* pure *verbales; invisibiles* sed *non inexsistentes; imperceptibiles* sed *bene intellegibiles* (1), gignitur ens constitutum istis relationibus. Ens istud est in suo ordine organicum, i. e. per varia organa agit, vult, acquirit, alienat; et quamvis agentes sint

(1) Cfr lucubrationem DELOS, p. 119, nota.

substantiae physicae, eorum actus, quatenus agunt nomine societatis terminantur non ad se sed ad istud corpus morale quod sine istis organis exsistere non posset. Ens igitur quod per organa physica, secundum horum functionem conscio modo exsistit et operatur, est persona tam naturaliter quam naturaliter est corpus morale.

Negat autem R. P. DELOS personam moralem esse familiam, quia persona physica, propter quam maxime exsistit, initio vitae suae caret libertate et conscientia, et dum illam acquirit familia tendit in dissolutionem.

Sed personae morales esse possunt quoque societates precario constitutae, si, quamdiu exsistunt, habentur actiones, sollicitudines de subiecto distincto a singulis membris.

III. — *Crisis istarum sententiarum.*

1. Si forte excipias *primam,* quae Statui exclusivam facultatem addicit creandi personas morales (1), ceterae omnes partim verae et partim falsae sunt. Potestati publicae agnosci quidem potest ius prohibendi societates, tribuendi aliis effectus civiles quas aliis negat, non autem creandi exclusive unitatem unde resultat persona. Unitas Ecclesiae, unitas civitatis exsistunt ante potestatem publicam et huic non sunt obnoxiae.

2. Non immerito Deum appellant ut auctorem plurium personarum moralium, sed incompleta est theoria, cum Deum introducunt auctorem *naturae,* dum, ut ipsis exemplis Codicis I. C. ostendimus. Ipse personas morales instituit ut ordinem supernaturalem condens.

---

(1) « A la voix du legislateur, un être sort du néant et figure sur un certain pied d'égalité à côté des êtres réels, créés par Dieu. C' est dire que tout est fictif dans cette conception ». LAURENT, *Principes,* L. I, n. 288.

3. Theoria *personae naturalis* recte dicit eadem causa qua societatem gigni personam moralem; sed errat quando fingit personam physicam organicam, vel quando personam moralem naturalem ponit in voluntate *collectiva*, quae nulla est. Etenim, ubi res statuuntur suffragiis, non interrogantur nisi personae physicae, quae dabunt suffragia diversa et contraria. Quisnam autem in maiore parte agnoscet voluntatem collectivam? Quisnam *ius* suffragiorum hac ratione constituit? Et non semper per suffragia ordinatae sunt res. Sicubi praevaleat decretum unius vel paucorum, res statuuntur aeque firmiter ac si per suffragia fuissent hac vel illa ratione constitutae. Habemus utique res sive ab uno, sive a pluribus statutas et censeri ordinatas ab ipsa societate. Cur autem censentur factae a societate? Nullam aliam explicationem veram dare poteris praeter istam, quia valent pro societate quae a quibusdam personis physicis, legitime functione ista munitis, nomine societatis facta sunt. Undenam autem hanc efficaciam obtinent? Quia *Deus,* qui hominem fecit socialem, eadem voluntate isti necessitati sociali providit. Homines deinde in minoribus societatibus libere coadunatis haec imitari possunt potestate remote saltem a Deo collata.

4. Doctrina *de personis veris et fictis* est incompleta. Excludit personalitatem a societate lucri causa conflata; nec fictae personae morales dici possunt personae cum, quod fictum est, esse *fingitur* sed non est. Admittere deberet personas morales exsistentes creare posse unitatem et inde personam, ut in theoria *personae naturalis.*

4. Errant qui omnia ponunt in figmento mentis, cum relationes sociales (1), unitas socialis re vera

(1) Omittimus quaestionem utrum relationes reales praedicamentales actu a suo fundamento distinguantur, ut volunt plerique Thomistae cum ipso Scoto, an per solam operationem intellectus, ut tenent Suarez et plures alii.

exsistant; quod periculose negaretur de Ecclesia. Nimis commotae sunt discrimine inter personas morales et physicas.

Brinz quidpiam verum attingit, cum societas sit propter finem; sed non ideo pertinet ad finem ut quidpiam finis proprium, nisi prius monstraveris finem istum esse subiectum iuris.

Nec theoria Van Biervliet et Serment admitti possunt. Nec iura sine subiecto, nec proprietas sine proprietario subsistunt. Quisnam invadenti ista iura resistere legitime possit? Quisnam res furto ablatas merito conqueretur?

Georgi, praeter quam omittit societatem perfectam ecclesiasticam, confundit relationem mediatam, remotam cum immediata et proxima.

5. Fere consentimus P. Delos, nisi quod nos potius hanc alteram notionem personae assumimus qua est *subiectum iurium*. — Etenim, persona moralis ipsa *directe* nihil agit, nullam habet conscientiam, sed agit, conscia est per personas physicas quae pro ipsa agere dicuntur quatenus eius iura exercent; dum *directe* plura ipsi tribuuntur: dicitur ipsa domina, plura iura ad eam terminantur. Quare magis est similis personae, si eam consideres ut subiectum iuris quam si eam sumas ut auctorem actionis personalis. Quia est ens sociale, homo non vivit tantum sibi, sed etiam propter bonum commune quod cum aliis personis, *naturaliter*, ut in societate civili, *libere*, ut in communitate religiosa, *necessarie*, ut in societate religiosa, intendit.

Quamvis societates exsistant propter maius bonum personarum physicarum quibus constant, bonum istud non est bonum immediatum singularum, sed quatenus in singulas redundat bonum commune intentum et obtentum ut distinctum a bono singularum. Quare societates ratione istius boni, sibi exsistunt et ipsis qua talibus plura debentur. Ergo societates sunt su-

biectum iurium. Verum sibi exsistere, esse subiectum iurium sunt notae personae. Ergo societates istae sunt de se *personae,* et quidem morales, quia non sunt physicae; et quia sunt personae propter iura et officia quae ad ordinem moralem pertinent.

A Familia nos quoque rationem personae moralis abiudicamus, quia quae in familia fiunt vel aguntur, non terminantur ad bonum quoddam distinctum a membris, sed ad ipsas personas physicas quae in ea versantur: officia explenda sunt erga coniugem, erga parentes, erga prolem, erga familiares; atque, expletis istis officiis, nihil ultra requiritur. (Cfr *Quaestiones de Iustitia*, n. 30; WAFFELAERT, *De Iustitia*, I, n. 6; II, n. 398.)

IV. — *De Persona morali, conclusiones nostrae.*

Persona, in *philosophia* est *suppositum rationale;* id est ens habens intellectum ad cognoscendum, et voluntatem ad appetendum: atque ad se plurima refert. Inde *iuridice* dicitur *subiectum iuris,* seu sibi relata habens inviolabiliter media ad finem. Est igitur ens *sibi exsistens.*

Personae sic physice exsistentes sunt entia *socialia.* Componunt societates maiores et minores.

Consideremus societatem perfectam. Videmus eam varia agere non per se, sed per entia physica quibus repraesentatur. Agit, patitur, multis iuribus et officiis est instructa. Quid *reale* in huiusmodi societate? Personae physicae, substantiae, coniunctae communi relatione ad finem societatis et relationibus mutuis quae e relatione communi manant. Imitatur, per istas notas personas physicas. Inde satis pronum fuit societati dare nomen personae; non tamen physicae, sed *moralis,* quia in iuribus et officiis exsistit.

Voluntate sua positiva Deus instituit societatem

perfectam propter finem supernaturalem, Ecclesiam, eamque omnibus mediis ornavit quibus ad finem superiorem homines iuvaret et praeparare posset. Hic igitur fortiori ratione concurrunt rationes eandem habendi ut personam moralem ordinis supernaturalis.

Ex utraque societate socii coeunt in varias societates minores, alias necessarias ut dioeceses, municipia, alias liberas ut confraternitates, plura sodalicia, quae rationem habent medii ad melius, felicius tendendum ad finem societatis perfectae. Propter notas quibus personam physicam imitantur, ipsae nomen personarum moralium consequuntur.

In societate habetur qui eam administret. Si societas est perfecta et perpetua, administratores alii aliis succedunt in munere quod idem manet, dum plures personae physicae eandem potestatem successive exercent. Iterum de munere isto habentur praedicata quae conveniunt personae physicae.

Caesar qui imperat non tantum est physica persona Caesaris, sed ut detinens potestatem quam ad successores transmittet. Quare, ut ait Codex, Sedes Apostolica est persona moralis.

Neque haec satis. Volunt in societate homines esse benefici. Instituunt hospitalia pro senibus, pro aegrotis ; fundant bursam studiorum, creant beneficia. Ii qui hospitio recipiuntur, qui obtinent beneficium, qui e reditibus aluntur non sunt domini bursae. Inde nova persona moralis cui tribuitur bursae, etc. dominium. Finis, ut cum aliquibus loquamur, est velut subiectum iuris, ac proin persona moralis.

Immo, propter facilitatem ordinationis, plures condunt societatem valde precariam, v. g. ad lucrum faciendum ; vel ipse Status vult ut patrimonium, hereditas iacens maneant indivisa usque ad aequam distributionem : creatur sic aliquod subiectum iuris, persona moralis.

Cernis igitur multas personas morales, de quibus varia statui sine negotio possunt.

Suntne *verae* personae morales?

In primis hic cavendum est ne nomine decipiamur. Recens inventum propter quandam analogiam, fas est cum Episcopo WAFFELAERT, probare et laudare, sed ne nomine isto nitamur tamquam fundamento ontologico unde colligas et probes consectaria. Sic, cum in personis physicis reperias in primis conscientiam, voluntatem, frustraneo argumento utaris ad exigendam in singulis personis moralibus conscientiam et voluntatem.

Iam ut respondeamus ad quaestionem: suntne *verae* personae morales, ita dicimus:

Si personas morales concipias ut personas physicas quae ambulant iuxta personas physicas, nullae sunt verae. Verae tamen sunt relationes ad finem communem, vera iura et officia quibus tenentur socii. Socii cum istis relationibus sunt verae personae morales. Verae sunt personae physicae; verae sunt relationes quibus uniuntur; ergo vera est entitas mixta istis personis et relationibus. Persona moralis dicit igitur personam physicam cum relationibus propter quas esse potest necessaria, voluntaria, perpetua, temporalis, in ordine materiali, spirituali.

Suntne *omnes verae?*

Utique, quatenus, si non repugnant legi naturali, divinae, in omnibus reperitur bonum aliquod commune, ratione cuius sunt subiectum iuris et inde nomen personae sortiuntur. Bonum istud commune distinctum a bono singularum personarum physicarum est elementum essentiale personae moralis.

Suntne omnes *eiusdem rationis?*

Negative. Componuntur pluribus notis vel paucioribus. Ita societas humana, societas nationalis, terminus est fere omnium relationum ad personas physi-

cas: ipsi oboeditur, ipsa armatur, defenditur, diligitur; laudatur qui pro ipsa se periculo vitae exponit.

Unum tamen est quod ipsi semper negatur: ius conubii.

Contra, patrimonium, bursa non est nisi subiectum proprietatis.

Undenam suam originem trahunt?

Remota, ex natura sociali hominis. Non est persona moralis sine societate; a Deo autem habet homo naturam socialem. Ergo primam originem personae moralis Deo referre debemus.

Quid de *Fundationibus, de Hospitiis?*

Resp. Ea esse inter personas morales recensenda consentiunt omnes nec dubitandum est. Sed qua ratione in iis reperiantur notae quas posuimus essentiales personae moralis, non adeo facilis esse videtur explicatio et sententiae variae occurrunt. Ut hoc penitius investigemus, recolamus animo quomodo ius perfecti dominii inter plures dividi queat. Sumamus institutam per testamentum Bursam vel Hospitium. Quamdiu vivebat testator, nec quidquam alienaverat, perfectum ius in capitale quod fundationi destinaverat penes ipsum manebat, ita ut mutare condiciones, aliis finibus destinare rem potuisset. Moritur. Res secundum leges vel testamentum committitur ordinanda. Qui rem ordinarunt, vel exsecuti sunt testamentum, finito mandato suo, iam nihil iuris in eam servarunt. Si per testamentum bursa, hospitium reservatur incolis talis civitatis, vel familiae defuncti, isti habent aliquod ius deminutum excludendi ceteros. Sed ubinam est plenum istud quod vivens possidebat fundador? Estne penes eos qui actu Bursa fruuntur? Frustra hoc quidam affirmant; namque ad usum, ad usumfructum rei terminatur quidquid iis tributum est. Dicemusne esse penes heredes defuncti? Sed nullus eos instituit. Suntne heredes legales, qui succedunt in

iura quae legato non sunt aliis donata? Quis autem non videt, post plures elapsos annos, difficultatem heredes vocandi, interrogandi. Re vera gigneretur maxima confusio. Quia finis interest ad bonum commune, societatis perfectae rectores rem istam in suam redigere clientelam possunt, ita ut una publica potestas, intuitu sui boni communis, a lege fundationis recedere possit. Seu, ut aliis utamur verbis, infinitam facultatem disponendi leges positivae non admittunt, et testamentum plenam vim non obtinet, nisi interveniente positivi iuris sanctione.

Quocirca, prout de re sacra vel profana agitur, huiusmodi legatum mediate committitur providendum potestate publica ecclesiastica vel civili. Rectores supremi Ecclesiae vel Status, post tempus revolutum, quatenus id postulat bonum commune, libere de fundatione disponere possunt. Quaesita igitur societas est ipsa societas civilis vel ecclesiastica ad quam mediate pertinet fundatio. Cfr disputata de hac re in Quaestiones nostras *De Iustitia*, ed. 2, n. 549. 550, ubi aliam tenebamus sententiam.

Quo pacto personae morales tam serio sunt inventae: i. e. circa finem saeculi XVIII?

Re vera exsistunt ex quo est societas humana; sola appellatio deficiebat. Ne confundas cum re appellationem sero inventam ad rem designandam.

Pulchre nobis videtur scriptum in iure Romano (L. 22, D. De fideiussoribus, XLVI, I) « Hereditas personae vice fungitur, sicut municipium, et decuria et societas ». Etenim nomen personae moralis locum dat confusioni, quam vitas dicendo *vice personae* fungitur. Praeterea, dum eadem sententia amplectitur personas variae rationis, insinuat esse quidpiam generice commune omnibus istis entibus intellectualibus seu moralibus.

In iure saepe praeferunt uti vocabulo personae *iuridicae,* quia in iure persona est subiectum iuris.

Extenuata est, nostris diebus, notio personae moralis in *defensionem religiosorum,* cum liberales subiecta distincta a sociis non admitterent nisi creata a Statu.

Probe autem tenendum est, societatem physice non differre a sociis si sumantur cum relationibus, unde fundatur ens morale, ita ut istud laedere sit laedere socios, fundamentum entis. Cfr MOLINA, *De iustitia, et iure,* I, d. 12, n. 3; LUGO, *De Iustitia,* I, n. 68; S. AUGUSTINUM Ep. 138 n. 10: « Quid est res publica nisi res populi? Res ergo communis res utique civitatis. Quid autem civitas, nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiae? » CICERONEM, *De republica* L. 1, c. 25: « Est res publica res populi, populus autem non omnis hominum coetus quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus ».

Lemma e S. THOMA « Iustitia ordinat hominem in comparatione ad alium... Uno modo ad *alium singulariter* consideratum, alio modo *ad alium in communi,* secundum scilicet quod ille qui servit alicui communitati servit omnibus hominibus qui sub illa communitate continentur (2, 2, q. 58 art. 5 c.). Iustitia legalis ordinat hominem in his quae sunt ad alterum: quantum ad commune quidem bonum immediate, quantum ad bonum unius singularis personae, mediate » (2, 2, q. 58 art. 7 ad 1.) « Bonum commune civitatis et bonum singulare unius personae non differunt solum secundum *multum et paucum*, sed secundum formalem differentiam. Alia est enim ratio boni communis et boni singularis, sicut alia est ratio totius et partis. Et ideo Philosophus (*Polit.* L. 1, c. 1 circa finc.) dicit quod non bene dicunt qui dicunt civitatem et domum, et alia huiusmodi differre solum multitudine et paucitate, et non specie » (2, 2, q. 58 art. 7 a 2).

Paucis omnia sic complecti possumus. A Deo homo creatus est naturam habens socialem. Deus igitur vult societatem, societates, sicut vult hominem singularem. Sancit quae necessaria sunt legitime exsistentibus societatibus : sancit conspirationem socialem, sancit iura quae societati necessario competunt vel quae accidentaliter ipsi acquiruntur. Ergo homines consociati qua tales bona communia, officia erga communitatem adimplenda habent. Homines cum huiusmodi relationibus imaginem provocant quasi novae personae, ita ut ad nomen *personae moralis* ipsi dandum paulatim perducti sint. Persona ista nihil *per se* ad agendum valet, sed habet qui pro ea agunt, exercent iura et satisfaciunt obligationibus quae directe pertinent ad istam personam.

Sine autem Dei interventu, frustra quaesieris undenam sit et agat persona moralis. Deus est hic etiam *A* et *Ω*.

Magis etiam est principium et finis ordinis supernaturalis et societatis perfectae, Ecclesiae, quam Ipse condidit.

Sed materialismo suo plures nostrates decepti, non realia esse putarunt quae sensus fugiunt, et Deum ipsum negare vel ignorare vel saltem neglegere coeperunt. Inde individualistae et practice athei, quid vera esset societas et quo pacto consisteret iam explicare non potuerunt.

Quare varii errores de persona morali, res maxime confusae, asserta sine demonstratione, donec frustraneos cernens conatus hodiernae scientiae quidquam aedificandi sine Deo, exsurgeret scepticus negator atque audacter omnia reicere et destruere inciperet professor LUNDSTEDT (de Upsala) in opere : *Die Unwissensschaftlichcit der Rechtswissenschaft.*

A. VERMEERSCH S. I.

De facultate concessa infirmis ex can. 858, § 2. (1)

6. Argumenta, quae adduci solent contra expositam doctrinam, scil. mensem, de quo in can. 858, § 2, sumendum esse *moraliter,* non autem physice seu mathematice, sunt valde debilia, si res accurate et funditus consideretur iuxta principia theologica et iuridica. Quae argumentorum debilitas manifeste confirmat traditam conclusionem seu doctrinam.

1° Codex, aiunt, expresse atque perspicue normas de temporis supputatione continet. Igitur mensis, de quo in can. 858, § 2, sumendus est secundum normas relatas in Codice (can. 31-35).

Resp. Can. 858, § 2 iisdem fere verbis refert concessionem benigne factam a Pio X per Decretum « *Post editum* », S. Congregationis Concilii diei 7 dec. 1906. Porro ante Codicem normae praefinitae pro tempore supputando deerant; ideoque mensis, iuxta veriorem et practice tutam sententiam, in materiis favorabilibus, prout in casu, *moraliter* sumebatur, non physice. Hodie ea sententia certe adhuc retineri potest ex ipso Codice, qui diserte statuit canones, « qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus » esse aestimandos (can. 6, 2).

Quare, si ante Codicem mensis, de quo in Decreto « *Post editum* », S. C. Concilii, diei 7 dec. 1906, et nunc in can. 858, § 2, sumi poterat *moraliter*, certissime etiam hodie sumi potest eodem sensu morali ex praescripto can. 6, 2.

2° Si momentum *a quo,* addunt, quando morbus incipit, non coincidat cum initio diei, primus dies ne

(1) Vide *Periodica,* 1934, pag. 231* ss.

supputetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri, ad normam can. 34, § 3, 3°.

Resp. Ista norma ante Codicem non exsistebat, cum primum a Legislatore fuerit statuta; quare ex can. 6, 2° mensis, in casu, accipiendus est prout in iure antiquo. De hac re, secundum regulas hermeneuticas, nulla profecto potest esse dubitatio.

Praeterea in praefata hypothesi non 30 dies, sed 31 haberentur, vel saltem 30 et aliquot horae. Quo iure favor, infirmis decumbentibus ab Ecclesia materna benevolentia concessus, restringitur ac limitatur? quo titulo S. Communio ardentissime exoptata iisdem denegatur? Nequaquam, sincere fatemur, id percipere valemus, attenta mente Ecclesiae et spiritu legis maxime favorabilis perspecto.

3° Norma statuta in can. 34, § 3, 3°, dicunt, habenda est tamquam principium generale adamussim servandum, ideoque etiam ubi agitur de supputatione mensis in casu de quo agitur.

Resp. Aliud est loqui de supputatione temporis quoad poenas luendas, actus iuridicos ponendos, iura exercenda, etc.; et aliud est loqui de usu alicuius favoris aut privilegii, in re morali dumtaxat, exclusis quibuslibet consectariis iuridicis.

Ubi agitur de actibus iuridicis ponendis, de iuribus exercendis, etc., probe intelligitur cur Legislator accuratissime determinaverit momentum *a quo* tempus sit supputandum, quia inde valor actuum, equidem maximi momenti, v. g. matrimonii, novitiatus, religiosae professionis, dependet. In casu nostro res est plane diversa.

Praeterea applicatio normae statutae in can. 34, § 3, 3°, v. g. in supputatione octidui a vacatione sedis episcopalis pro eligendo Vicario capitulari, decendii ad appellandum, etc., habet rationem favoris proprie dicti, quatenus tempus *utile* ad ius exercendum

extenditur et protrahitur revera ultra octo aut decem dies. In casu nostro, contra, applicatio normae statutae in can. 34, § 3, 3°, non in commodum atque utilitatem aegrotantium cederet, sed profecto in eorum gravamen et damnum. Quare huiusmodi applicatio admittenda non est, cum evidenter adversetur notissimo iuris axiomati: « *Favores sunt ampliandi; odia restringenda* ».

4° Mens Ecclesiae, inquiunt, non videtur in casu urgenda; sed potius verbis can. 858, § 2 adamussim standum est.

Resp. Ultro admittendum, verbis can. 858, § 2 standum esse. Id reverentia erga Legislatorem postulat; idque praescripta sacrorum canonum observantia exigit omnino. Sed sapientissimus Legislator noster seu can. 858, § 2 nullatenus dicit mensem physice, non autem moraliter, accipiendum esse. Huc praecise recidit quaestio. Porro ex can. 18, si dubium aut controversia oriatur circa interpretationem alicuius praescripti, quod revera non exsistit, « ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum ».

Finis et circumstantiae legis ac mens legislatoris luculentissime apparent, in casu nostro, ex memorato Decreto « *Post editum* », S. Congregationis Concilii, iussu et auctoritate Pii X dato, unde can. 858 § 2 fere ad verbum depromptus est. In illo Decreto expressa mentio fit de Communione frequenti et quotidiana fidelibus enixe commendanda, de maximo solatio per S. Communionem aegrotantibus afferendo, et consequenter de favore iisdem concesso sanctissimam Eucharistiam sumendi, etiam ieiunio naturali non servato, ne morbi causa tanto beneficio ad diuturnum tempus priventur. Hinc certo certius est, R. Pontificem ipsis aegrotantibus commendatam voluisse S. Communionem huiusque gratia peculiarem favorem iisdem concessisse.

Itaque — attento responso Praesidis Pontificiae Commissionis Codicis diei 24 nov. 1927, perspectis fine legis atque Ecclesiae mente et spiritu ad normam can. 18 ac 19, iure antiquo ad normam can. 6, 2 considerato — indubitanter concludendum, mensem, de quo in can. 858, § 2, *moraliter* sumendum esse.

IV.

An requiratur infirmitas gravis.

1. Certa ab incertis accurate distinguenda sunt. Procul dubio non requiritur infirmitas adeo gravis, ut secumferat articulum vel saltem periculum mortis. Nam in periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae Communionis recipiendae praecepto tenentur, et lex ieiunii naturalis non urget (can. 858, § 1, 864): « Qui a media nocte, statuit citatus can. 858, § 1, ieiunium naturale non servaverit, nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti, *nisi mortis urgeat periculum* ».

2. Gravitas morbi profecto haberi potest etiam secluso mortis periculo, ut expresse innuit can. 523: « Religiosae omnes, cum *graviter aegrotant, licet mortis periculum absit,* quemlibet sacerdotem... arcessere possunt eique, perdurante *gravi infirmitate*, quoties voluerint, confiteri... ». Huiusmodi morbi gravitas plures admittit gradus. Infirmitas enim potest esse levis, gravis, gravior et gravissima, seu minima, magna, maior et maxima. Praeterea potest esse gravis absolute et relative, stricto et lato vel latiore sensu.

3. Can. 858, § 2 non loquitur de infirmitate gravi. Ni fallimur, consulto de tali infirmitate mentio explicita non fit, ad vitandos nimirum scrupulos et anxietates. Generatim loquendo, infirmus qui decumbit, gravi morbo laborat; imo eatenus censetur ac dicitur decumbere, quatenus gravi infirmitate detinetur.

Nihilominus potest aliquando contingere, ut quis infirmus decumbat, licet revera morbus nec periculosus nec gravis sit. Sunt enim quidam morbi natura sua forte leves, qui tamen exigunt cessationem a labore et ab ordinariis occupationibus, adeo ut infirmus decumbere cogatur, ad praecavenda maiora incommoda et ad plenam valetudinem citius recuperandam. In hisce adiunctis infirmus potestne uti favore de quo in can. 858, § 2? Responsio *affirmativa*, ut ex dicendis patebit, non solum probabilis et practice tuta dicenda, sed certa videtur.

4. Sane, perspectis fine et circumstantiis legis ipsaque mente Ecclesiae, requiritur et sufficit ea infirmitas, ex qua aegrotans decumbat. Plerumque talis infirmitas vel absolute vel saltem relative gravis est. At si fortasse levis esset ex iudicio medici, non ideo excludenda foret applicatio praescripti can. 858, § 2, si ceterae omnes exsisterent conditiones.

Proinde primario et directe, ex fine legis atque Ecclesiae mente, attendenda potius est impossibilitas aut magna difficultas aegrotantis templum adeundi ibique sanctissimam Eucharistiam sumendi, quam gravitas maior aut minor ipsius morbi. Haec quippe gravitas mere accidentalis in praefata hypothesi censetur.

5. Doctrina, igitur, ad hanc quaestionem quod attinet, ita concinne et perspicue enucleari potest: 1^0 Can. 858, § 2 consulto de infirmitate gravi aut levi nullam facit expressam mentionem; 2^0 infirmus qui decumbit, plerumque gravi infirmitate detinetur; 3^0 si quis revera decumbat levi infirmitate detentus, favore aegrotantibus concesso nequaquam privatur; 4^0 non maior aut minor infirmitatis gradus spectandus, sed potius attendenda impossibilitas seu difficultas, infirmitatis causa, ecclesiam adeundi ibique sacram Communionem recipiendi.

6. An infirmitati aequiparandum sit *senium?* Affirmative respondendum. Ratio est, quia, iuxta Ciceronis dictum, « *senectus ipsa morbus est* ». Sane ex senio vires debilitantur, sensus deficiunt, languores augentur, physiologica corporis conditio in dies peior fit, ita ut senium non solum mortis periculum, sed etiam eius certitudinem secumferat. Id confirmatur praescripto can. 940, § 1 (1). Idem dicas de magna debilitate seu virium lassitudine.

7. Huc spectant nonnulli casus practici:

1° Si dubitetur utrum infirmitas sit gravis an levis, utrum infirmus possit e lecto surgere an decumbere debeat, benignior sententia amplectenda ideoque applicationi praescripti can. 858, § 2 locus fit.

2° Si morbus hic et nunc levis revera est, sed timetur ne fiat gravis et periculosus, adeo ut infirmus ex consilio medici vel familiae decumbat, applicatur praescriptum citati canonis.

3° Idem dicendum, si morbus levis aut levissimus videatur medico aliisve, sed notabiliter affligat aegrotantem, qui proinde decumbat revera.

4° Si medicus aliive censeant Titium gravi morbo laborare eique suadeant decumbere, dum reipsa nulla aut levissima est infirmitas, post mensem Titius uti potest peculiari favore de quo hic agitur.

5° Si morbus leviter tantum affligat aegrotum, sed revera sit gravis aut talis evadere possit, et infirmus de facto per mensem decumbat, idem ac supra dicendum.

6° Si Titius infirmum se simulet et per mensem decumbat, non potest uti favore aegrotantibus concesso, quia revera infirmus non est.

---

(1) Cfr CAPPELLO, *De Extrema Unctione*, n. 211.

V.

An necesse sit ut infirmus ieiunium naturale servare nequeat.

1. Can. 858, § 2, qui omnes et singulas conditiones tradit ut aegrotantes favore benigne concesso frui valeant, ne verbum quidem habet de impossibilitate servandi naturale ieiunium ex parte infirmorum, et consequenter de eorum obligatione illud observandi, si possint.

Ne ipsum quidem Decretum S. Congregationis Concilii diei 7 dec. 1906 in *parte dispositiva* — quae unice in casu attendenda est, quippe quae sola mentem legislatoris manifestat vimque legis obtinet — ullam facit mentionem de ieiunio naturali nec eo minus impossibilitatem illud servandi inter varias conditiones pro usu huiusmodi favoris recenset.

En verba Decreti: « Re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii, benigne concessit (SS.mus D. N. Pius Pp. X), ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SS.mam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada... etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis. Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus » (1).

2. Itaque certum atque indubitatum est, ipsissimis verbis perspectis, nec Decretum « *Post editum* » S. Congregationis Concilii diei 7 dec. 1906, nec can. 858, § 2 ullam facere mentionem de ieiunio. Inde logice et necessario concludendum, nullatenus requiri ut infirmi ieiunium naturale servare non possint. Quae

(1) *Acta S. Sedis*, vol. XXXIX, pag. 603 s.

conclusio ex ipso textu legis non solum probabilis aut probabilior dicenda, sed certa atque indubitata. Eatenus sane obligatio servandi naturale ieiunium infirmis imponenda est, quatenus de ea certo constet, secundum axioma theologicum et canonicum omnibus notum. In casu, eo ipso quod lex silet de tali obligatione, haec profecto admitti nequit, sed prorsus excludenda.

Quare opinio, quae affirmat opus esse ut infirmus ieiunium naturale servare nequeat, quovis caret iuridico fundamento.

3. Confundenda non est *obligatio* proprie dicta cum *convenientia* aut *consilio*. Obligatio servandi ieiunium naturale, ut diximus, non datur; quia lex, nec explicite nec implicite, nec directe nec indirecte, eam imponit. An expediat et suadendum sit aegrotanti, ut ieiunium servet, si absque ulla difficultate servare queat, est alia quaestio. Id ultro admittendum. Quare si absque incommodo infirmus ieiunium naturale valeat servare, decet ut ieiunus communicet; verum si id non agat, nec graviter nec leviter peccat.

4. Ratio cur onus ieiunii in casu absit, duplex est eaque manifesta. Imprimis, quia, ordinarie loquendo, « infirmi qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant » ieiunium naturale sine incommodo servare nequeunt. Porro lex ea quae ordinarie et communiter contingunt, ex ipso suo fine, respicere debet. Deinde, quia, posita obligatione ieiunii, aegrotantibus, praesertim piis ac timoratae conscientiae, occasio praeberetur scrupulorum et anxietatum; id autem Ecclesia, pro sua materna erga infirmos benevolentia, studiose satagit devitare. Omnes quippe, qui curam animarum gerunt et infirmos frequenter invisunt, probe sciunt quot et quibusnam scrupulis et conscientiae angoribus vexantur interdum aegrotantes.

5. Argumenta, quibus nituntur quidam ad obligationem ieiunii affirmandam, omni vi carent ut quisque facile perspiciet.

1° Allegatur responsum S. Congregationis de Prop. Fide diei 21 iul. 1841, huius tenoris: « Gli addotti nel pericolo di morte per causa esterna, per es. i soldati prima della battaglia, i condannati alla pena capitale sono esenti dalla legge del digiuno, se senza grave incomodo non possono ricevere a digiuno il Viatico, diversamente sono tenuti ad osservare il digiuno » (1).

Resp. In *Collectanea S. C. de Prop. Fide* (ed. an. 1907, vol. I, n. 928) refertur quidem responsum diei 21 iul. 1841, de administratione Viatici damnatis ad mortem, sed ne verbum quidem in eo fit de obligatione servandi ieiunium, ut quisque oculis suis videre potest.

Idem responsum iisdemque verbis, absque ulla mentione de ieiunio, refertur in *Collectanea S. C. de Prop. Fide* (ed. an. 1893, pag. 285, n. 728) necnon in *Ius Pontificium de Prop. Fide* (Part. II, vol. VIII, ed. De Martinis, an. 1909, pag. 514 s.), ut accuratissime ipsi examinavimus.

Igitur responsum, quo nituntur patroni opinionis adversae, authenticum non est vel saltem ut tale haberi nequit; ideoque opinio, ex hoc capite, fundamento caret.

Ne ipse quidem Codex, quando loquitur de ieiunio naturali pro Eucharistia recipienda et de mortis periculo, inter fontes ad can. 858, § 1, praefatum responsum S. C. de Prop. Fide diei 21 iul. 1841 allegat.

Demum citatus can. 858, § 1 expresse ac diserte statuit, *in periculo mortis* legem de ieiunio naturali servando, pro sanctissima Eucharistia suscipienda,

(1) Cfr Mons. Iorio, *La Comunione agl'infermi*, pagg. 6, 38.

non urgere. Non distinguit canon iste inter possibilitatem vel impossibilitatem servandi ieiunium, inter grave aut leve incommodum, sed absolute et simpliciter, sine ulla restrictione et limitatione, decernit: « Qui a media nocte ieiunium naturale non servaverit, nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti, *nisi mortis urgeat periculum* ». Quo iure affirmetur obligatio ieiunii, cum Codex eam expressis apertisque verbis excludat, nullatenus intelligere valemus. Huc spectant iuris principia: « *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus* ». — « *Non est imponenda obligatio, ubi de ea non constet* ».

2° In Decreto « *Post editum* », aiunt, fit expressa mentio de impossibilitate servandi ieiunium naturale ex parte aegrotantium. Legitur enim: « Excitato inde studio fovendae pietatis, quaesitum est, si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant ».

Resp. Id quod legem constituit et ius facit est *pars dispositiva* eaque sola. Neminem sane latet in decretis, rescriptis, sententiis, etc., sedulo distinguendam esse partem dispositivam a parte narrativa vel expositiva, a specie facti, a motivis, etc.

Praeterea relata verba manifeste confirmant quae supra dicta fuerunt (n. 4), scil. indicant rationem favoris infirmis concessi, quia ordinarie loquendo iidem a mense decumbentes ieiunium naturale in sua integritate aut nullatenus aut nonnisi cum difficultate servare valent. Porro si in casu particulari desit ratio propter quam lex generalis lata est, non ideo (cfr can. 21) cessat lex ipsa.

Hinc est quod etiam ante Codicem, in documentis latis a S. Sede nulla erat mentio de ieiunio, ubi de indulto infirmis concesso sermo fiebat. Pro omnibus

unum citamus. Editio typica *Ritualis Romani* an. 1913 (tit. IV, cap. 4, *de communione infirmorum*, ad n. 4) haec habet: « Pius X concessit Decr. Congr. S. Conc. d. d. 7 D. 1906, ut infirmi, qui iam a mense decumbunt absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio, SS.mam Eucharistiam sumere possint... etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis ad rem praescriptis ».

Ceterum, his praetermissis, certissimum est can. 858, § 2 nullam facere mentionem de ieiunio servando. Proinde, quaecumque fuerit antiqua disciplina, hodie uni Codici standum est, ex praescripto can. 6, 3⁰: « Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; *qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi* ».

6. Inde manifesta et perspicua sequitur conclusio: expedit ut infirmi, si absque incommodo servare possint ieiunium, illud servent, sed nulla datur obligatio proprie dicta illud servandi; et contraria opinio quovis caret iuridico fundamento.

VI.

Quot, igitur, et quaenam conditiones postulantur, ut fiat locus praescripto can. 858, § 2.

1. Quatuor conditiones requiruntur, ut infirmi frui valeant indulto: 1⁰ ut iam a mense decumbant seu morbo laborent; 2⁰ ut desit certa spes quod cito convalescere possint; 3⁰ ut aegrotantes quoad S. Communionem recipiendam stent prudenti consilio confessarii; 4⁰ ut infirmi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus, non autem aliquid per modum cibi, sumpserint.

Hisce positis, semel aut bis in hebdomada, non pluries, sanctissima Eucharistia recipi potest.

2. S. Congregatio Concilii, probante SS.mo, die

6 mart. 1907 declaravit, nomine infirmorum *decumbentium* eos quoque intelligendos esse, qui in lectulo decumbere nequeunt aut ex eo aliquibus horis surgere valent.

Hinc patet, circumstantiam quod infirmus revera in lecto *decumbat*, esse mere accidentalem, cum principaliter attendenda sit *infirmitas* et quidem tamquam conditio *sine qua non*. Interdum sane graviori morbo, v. g. cancro, ulcere, plaga, etc. laborare potest qui tranquille decumbere in lecto prohibetur, quam qui in eodem decumbere valet. Porro cur huic concedendus foret favor, illi autem denegandus ? Huc profecto spectat notissima iuris regula : « *Ubi eadem est ratio, ibi eadem debet esse iuris dispositio* ».

Qua doctrina admissa eaque rite intellecta, facile patet solutio quaestionis : infirmis, qui ratione peculiaris morbi nequeunt in lecto decumbere aut ex eo aliquibus horis diei surgere valent, adeo ut oratorium vel sacellum aut propinquam ecclesiam adire possint pro SS.ma Eucharistia recipienda, licetne frui indulto ?

Quidam negant, nulla tamen adducta solida ratione, quae profecto in casu non exsistit. Si res accurate examinetur, attento praescripto can. 858, § 2 et perspecta authentica declaratione S. C. Concilii diei 6 mart. 1907, responsio affirmativa certa dicenda, dummodo adsint omnes conditiones supra memoratae.

Si Titius est revera infirmus, et habitualiter decumbit in lecto vel ex peculiari morbo in eo decumbere non potest, cur privandus foret indulto, si posset, ad dimidiam circiter horam vel pauca minuta, adire ecclesiam contiguam vel oratorium (v. g. sodalis religiosus) in ipsa domo exsistens ? Sive sacra Communio recipiatur in cubiculo sive extra, sive in oratorio aut sacello sive alibi, nihil interest, modo ceterae adsint conditiones. Circumstantia *loci* et *accessus* ad illum iure merito a sapientissimo Legislatore non consideratur,

cum, ceteris positis, sit mere accidentalis et secundaria. *Ceteris positis*, dicimus; tunc enim periculum quod, infirmitatis praetextu, lex ieiunii paulatim relaxetur, propulsatur omnino.

Iure, proinde, clar. IORIO docet: « Quindi, l'asmatico costretto da un mese a passare le notti e i giorni sopra una *poltrona*, può usufruire dell' indulto di cui si parla; *come può usufruirne l' infermo che, abitualmente in letto, può levarsi qualche ora del giorno, durante la quale se gli riuscisse di recarsi in una chiesa vicina a fare la Comunione, userebbe del suo diritto* » (1).

3. Verba « *certa spes* » significant non sufficere coniecturam vel probabilitatem tantum, sed requiri certitudinem quandam moralem. Vox « *cito* » ita est intelligenda, ut infirmi convalescere valeant intra *tres* vel *quatuor* circiter *dies*. Haec omnia *moraliter* accipienda sunt, praesertim ex medici iudicio aliusve prudentis personae.

4. Verba « *de prudenti confessarii consilio* » non significant confessarium ipsum concedere indultum de quo agitur, vel facultatem recipiendi sanctissimam Eucharistiam. Id solum innuunt, iudicium in casu, utrum infirmus sit in statu gratiae necne, num rite dispositus an non, uni confessario, qui est moderator conscientae, competere. Quare nil prohibet quominus, etiam inscio seu inaudito confessario, religiosus vel religiosa, sacerdos aut pia persona, sibi conscii nullius peccati gravis et ceteroquin rite dispositi, indulto fruantur scil. non ieiunii communicent.

5. Stricto sensu accipienda sunt verba « *semel aut bis in hebdomada* », adeo ut certe peccaret qui, sine peculiari indulto, communicaret ter vel quater in hebdomada.

Attendendum discrimen inter disciplinam veterem

(1) Op. cit. n. 70.

et vigentem. Iuxta Decretum S. C. Concilii, 7 dec. 1906, permittitur S. Communio « semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SS.mum Sacramentum asservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis ». Hodie, ex can. 858, § 2 universis aegrotantibus, sine ulla distinctione, permittitur S. Communio semel aut bis *in hebdomada*. Longe benignior, proinde, facta est disciplina. Inde patet evidenter quaenam sit mens Ecclesiae, et quomodo huiusmodi benigna concessio aestimanda sit, nimirum *lato sesu* interpretanda.

Hebdomada supputari debet ad normam can. 32, § 1, ita ut constet 7 diebus, et dies 24 horis. Non requiritur tamen supputatio *physice* seu *mathematice* facta, ne scrupulis et anxietatibus via aperiatur.

6. Sumi potest *aliqua medicina* vel *aliquid per modum potus*.

Nihil refert utrum medicina ait aliqua substantia solida an liquida; num in magna vel parva aut minima quantitate sumatur. Etenim non rei natura vel modus sumptionis spectatur, sed ratio dumtaxat rei, num. scil. id quod sumitur sit *revera medicina et qua talis sumatur*, necne.

Quid significant verba « *per modum potus* »? S. Congregatio S. Officii, 4 iun. 1893, 7 sept. 1897 respondendum censuit ad huiusmodi quaestionem: « Mens est, ut liceat sumere iusculum, caffeum, lac aut alium cibum liquidum, etsi ei sit permixta substantia aliqua, ex. gr. leves pastilli farinae *(semolino)*, panis radula tritus *(pangrattato)*, ovum dilutum, etc.; dummodo mixtio non amittat naturam cibi liquidi ».

Exinde colligitur, requiri et sufficere: 1^0 ut id quod sumitur, sit revera liquidum, licet plus minusve densum, et quidem cuiuslibet generis seu speciei; 2^0 ut si liquido admisceatur quaedam alia substantia, haec

comminui et liquefieri quodammodo possit, ne liquidi naturam substantia amittat.

An et quanam ratione ovum, saccharum, pastillae, placentae etc. sumi possint per modum potus, vide opus nostrum *De Sacramentis,* I, n. 507.

7. Praescriptum can. 858, § 2 valet tantummodo pro fidelibus qui communicant, non autem pro sacerdotibus qui Sacrum faciunt. Favor sane eo fine eoque solo conceditur, ut aegrotantes divinis epulis reficiantur in animi solatium, qui secus morbi causa tanto Sacramento privarentur.

Sacerdotes infirmi procul dubio possunt, ut ceteri fideles, indulto uti pro sacra Communione recipienda.

VII.

A quanam S. Congregatione et quomodo petenda dispensatio super ieiunio eucharistico.

1. S. Congregatio de Sacramentis concedit dispensationem super ieiunio eucharistico omnibus fidelibus laicis et clericis communicantibus, exceptis sodalibus religiosis iisque aequiparatis, ad normam can. 249.

S. Congregatio de Religiosis eandem dispensationem tribuit universis religiosis proprie dictis, atque iis etiam qui, licet sine votis, in communi tamen vivunt more religiosorum, iuxta praescriptum can. 251.

Pro locis missionum ceterisque territoriis subiectis S. Congregationi de Prop. Fide, ipsamet, ad normam can. 252, § 4, dispensationem concedit, nisi agatur de religiosis, iis tamen exceptis sodalibus religionum atque institutorum utriusque sexus, qui in omnibus subsunt praedictae Congregationi.

Pro fidelibus rituum orientalium dispensatio conceditur a S. Congregatione pro Ecclesia orientali.

2. In *Formulis* facultatum, quas S. C. de Prop. Fide Ordinariis missionum concedere solet, refertur

etiam ista facultas: « Concedendi infirmis decumbentibus, de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, *etiam ante finem mensis a quo decumbunt*, ut S. Communionem sumere possint *bis vel ter in hebdomada;* et si agatur de sacerdotibus vel religiosis, etiam *quotidie*, non servato ieiunio: hoc est etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint » (n. 7 formula 1ª, n. 12 formula 2ª, n. 11 formula 3ª).

Inter facultates, quae conceduntur Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis, pro suo respectivo territorio, sub n. 42 recensetur haec: « Concedendi *infirmis decumbentibus* de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, *etiam ante finem mensis a quo decumbunt*, ut S. Communionem sumere possint *semel* in hebdomada non servato ieiunio, hoc est, etsi aliquam medicinam vel aliquid ad modum potus antea sumpserint (can. 858, § 2). Concedendi *infirmis non decumbentibus*, qui tamen tali morbo laborant, quo, iudicio medici, ieiunium sine discrimine servare nequeant, ut Communionem *semel* in hebdomada percipere valeant non servato ieiunio, ut supra ».

Huiusmodi peculiaris facultas conceditur etiam aliis Episcopis, interdum quoque institutis religiosis et animarum pastoribus, ut aptius atque uberius consulatur spirituali bono fidelium aegrotantium.

3. Cuilibet fideli integrum est supplicem libellum, pro petenda dispensatione, ad S. Sedem transmittere. Expedit tamen, ut id per proprium Ordinarium fiat, vel saltem ut ipse preces commendet.

In Urbe id non requiritur. Si dispensatio imploratur a Legato S. Sedis (Nuntio, Internuntio, Delegato Apostolico), ab Ordinario missionis, etc., preces, ut supra, congrua congruis referendo, transmittendae sunt, addita commendatione Episcopi aut Vicarii generalis vel saltem parochi aliusve sacerdotis probe noti.

F. M. Cappello S. I.

De incompatibilitate officiorum

Quaesitum est utrum possit Episcopus declarare quae officia in sua dioecesi sint incompatibilia, et utrum isti declarationi applicari possint dispositiones quae in can. 2396 statuuntur. Ad hanc quaestionem solvendam determinandus est sensus canonum 156, 188 n. 3, 1439, 2396.

In Codice duo principia statuuntur: 1) ne conferantur officia quae ab eodem clerico personaliter adimpleri nequeant; 2) ne conferantur eidem clerico duo beneficia quae *expresse* declarata sint ut incompatibilia vel quorum alterutrum ad honestam clerici sustentationem sufficiens sit. Iam patet ex hac enunciatione mens Ecclesiae, quae his dispositionibus plura et gravia incommoda vitare vult; iam in Conc. Tridentino (sess. XXIV cap. XVII) ut abusibus finis imponeretur decretum est: « quoniam multi improbae cupiditatis affectu seipsos, non Deum, decipientes, ea quae bene constituta sunt variis artibus eludere et plura simul beneficia obtinere non erubescunt: sancta Synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, praesenti decreto, quod in quibusdam personis, quocumque titulo, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, mandat observari; statuit ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam eius cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri ». Hodie triplex species incompatibilitatis distingui potest:

1) incompatibilitas *absoluta*, si duo officia nullo modo adimpleri possunt, ut v. g. si utraque officia exigant residentiam diversam, aut sint uniformia sub eodem tecto ut v. g. duo canonicatus in eadem Ecclesia;

2) incompatibilitas *relativa*, si unum officium re-

quirat omnes vires alicuius clerici: si ei daretur aliud officium, male utrumque officium adimplere posset;

3) incompatibilitas *iuridica*, si ob peculiaria motiva a iure prohibitum est ut eidem clerico dentur duo determinata officia ut v. g. officium Vicarii Generalis et canonici paenitentiarii aut parochi (can. 367, § 3); superioris religiosi generalis aut provincialis et oeconomi (can. 516, § 3), etc. vel duo beneficia, si alterutrum sufficiens sit ad honestam clerici sustentationem.

Si quaedam officia perpetuo uniantur ut v. g. duae dioeceses vel paroeciae, vel si unum ad tempus datur habenti beneficium, incompatibilitas non adest.

Istae leges quae in Codice reperiuntur adhuc relinquunt ulteriores determinationes: si quaerimus quantitatem reditus necessariam ad honestam sustentationem, a Codice non dicitur, sicut etiam relate ad incompatibilitatem officiorum, idem munus in variis dioecesibus potest requirere totam activitatem unius clerici ob magnum numerum quaestionum quae ei obveniunt, vel potest etiam relinquere fere totum tempus vacuum, ut v. g. in officio iudicis in magna vel in parva dioecesi. In tanta varietate officiorum et dioecesium non poterat legislator universalis particulares determinationes facere sed plura relicta sunt iudicio et prudentiae Ordinarii loci.

Episcopus utitur igitur sua potestate si, pro rerum et locorum adiunctis, declaret quae officia vel beneficia in sua dioecesi habenda sint ut incompatibilia, sicut etiam quaenam quantitas pecuniae consideranda sit ut sufficiens ad honestam sustentationem. Pro beneficiis applicantur ipso facto dispositiones statutae in canonibus 1439, 188 n. 3, 2396, sicut etiam eaedem leges ipso facto applicantur, ut patet, si ex ipsa evidentia duo beneficia cognoscuntur ut incompatibilia. Pro officiis liberae collationis, Episcopus potest exigere, ut conditionem, renuntiationem praecedentis beneficii

sed non potest obligare clericum ad renuntiationem faciendam nisi ad normam canonum 1438, 192, 193. — Si qualibet ex causa Episcopus uni clerico daret plura officia quae vix adimpleri possent vel adimpleri non possent, ista collatio nequit dici *ipso iure* invalida, cum clausula nullitatis in Codice non inveniatur, sed certe dicenda esset illicita, cum illa officia ex supposito nequeant rite adimpleri. In isto casu Episcopus gravi obligatione tenetur melius providendi distributioni officiorum et bono animarum pro quibus ecclesiastica officia constituta sunt; et ille clericus qui ita gravaretur declarare debet suo Episcopo illam impossibilitatem bene adimplendi varia munera et interim meliori modo quo potest, impedire damnum Ecclesiae et animarum.

Io. Lo Grasso S. I.

QUAESITA VARIA

Censura praevia pro nova editione

« Sacerdos timoratus aliquos e bonis libris, quos alumnis suis commodabat, supprimere intendit, quia non observatus est c. 1392, § 1. V. gr., Boulenger, *Histoire de l'Eglise*, 16e éd. (1925), habet solum « imprimatur » 1ae editionis (1923). Sed an scriptor obligabatur in duobus annis imprimendi facultatem sexdecim vicibus petere? An P. Plus aut Dom Marmion debuerunt pro quibusdam e suis operibus licentiam sexagesies postulare? Hic habeo librum cui inscribitur (iure annon, est alia quaestio): « 80e mille ». Ergo pro eo unum « imprimatur » sufficit, et, si inscriberetur « 80e édition », necessaria essent 80 « imprimatur »! Insuper, saepe editores in Gallia publici iuris faciunt tres editiones eodem die; v. gr. pro

COMPAING, S. I., *Psaumes en vers*, erat eadem data in 3ª editione quam in prima. Quid ergo respondebo me interrogantibus de his rebus? R. C. 1392, § 1 debet certo observari, at simul « cum grano salis » intellegi nec ultra voluntatem legislatoris.

Codicis redactores intenderunt casus frequentes, iuxta quos, post aliquot annos, fit nova libri editio, non casum libri qui habeat octo editiones in anno. « Lex disponit de iis quae plerumque fiunt ».

Si editores quidam eodem die typis mandant vel publici iuris faciunt ipsius operis tres editiones, evidenter hae quoad « imprimatur » considerandae sunt ut unica editio. Res sunt attendendae, non verba.

Si eiusdem libri plures editiones diversis mensibus sed eodem anno habentur, unum « imprimatur » sufficere videtur, nisi nova editio mutationes sat notabiles contineat. Opportunitas enim operis, si vera erat initio anni, raro mutabitur post paucos menses in magnam inopportunitatem.

Dicunt etiam quidam editores aliquos hodiernos non esse valde sinceros in hac re, saepe augere verbis numerum editionum, scribere « 10ª editio » ubi est 5ª, « 40um mille » ubi sunt 10.000 libri venditi, etc. Si quid veri est in his rumoribus, certo « imprimatur » non est postulandum pro editione ficticia.

Ceterum opus censoris est multo simplicius pro reeditione quam pro 1ª editione. Poterit scriptor indicare quas mutationes effecerit ut censor has videat; cetera rapide percurrendo, videbit librum opportunum remanere et sine temporis iactura « Nihil obstat » dabit. Huc igitur tota res vertitur. Quot *vere novae* editiones fiunt, tot opus est censuris, non autem si uno veluti tenore scribere typis idem opus pergas.

Ceterum, etiam si nova editio non habeat « imprimatur » requisitum, hoc non prohibet libri lectionem, nisi agatur de textu, versione aut commentario Scrip-

turae, vel de libris aut libellis pietatis qui aliquid novi (quoad apparitiones, miracula, devotiones) narrent (c. 1399, 5⁰).

AEMILIUS JOMBART. S. I.

Tactus mediatus *(in professione Fidei)*.

« Dum recitatur iuramentum contra modernismum, debet tangi evangelium iuxta verba: « Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ». Porro, dum praebetur ordinandis missale apertum, aliqui non textum evangelii tangunt sed verba epistolae aut alterius partis missae. » Suntne ideo inquietandi?

R. Si tactus mediatus sufficit in re multo maioris momenti, quando agitur de ordinationum valore, sufficit a fortiori in casu exposito: librum tangendo qui evangeliorum multas partes continet, ordinandus satis ostendit se velle in evangelium modernismum abiurare.

AEMILIUS JOMBART S. I.

Ceterum estne ipse contactus physicus necessarius ad valorem iuramenti? Nonne pertinet ad sollemnitatem exteriorem quae, salva substantia rei, omitti potest?

De voluntate virtuali et habituali.

Augustus clericus non intellegit cur ad celebrandam Missam exigatur intentio actualis vel virtualis, dum sufficere dicitur habitualis cum agitur de applicatione Missae pro hac vel illa persona.

Resp. Prius recolamus, quantum ad casum nostrum sufficit, voluntatem *virtualem* dici quae demonstratur aliquo effectu qui, sine tali voluntate, non fieret; dum

voluntas *habitualis* fuit quidem sed nihil iam operatur; hanc solam notam habet, eam non fuisse retractatam.

His positis, voluntas virtualis exigitur quotiescumque aliquid est efficiendum; *tunc* debet adesse voluntas qua moraliter agam. Dispositio autem rei requirit virtutem voluntatis tunc cum de re disponitur; dispositio autem ista effectionem rei praecedere vel interdum sequi potest. Efficaciam habet momento dispositionis.

Quare quando quis dicit: volo ut singuli boni actus mei prosint animabus Purgatorii, eo momento perfecte de istis actibus disponit, nec specialis aliqua qualitas in ipsis actibus requiritur. Contra autem si dixit: volo ut singuli actus mei manifestent me amare Deum vel B. Virginem, tunc habet intentionem faciendi actus amoris; si autem inter agendum non iam cogitat de amore, actus isti amorem non testabuntur.

Corollarium. Qui dicit: volo omnia facere in honorem B. Virginis, utitur formula ambigua. Potest enim significare: volo ut omnes actus mei sint actus hyperduliae: hoc non fit per unum actum, sed oportet ut singuli actus sint informati ista intentione. Si autem intenderit: volo ut omnes actus mei applicentur ad maiorem honorem procurandum B. Virgini, haec dispositio bene potest uno actu perfici.

A. VERMEERSCH S. I.

De Episcopo proprio ordinationis.

I. Titius primam tonsuram acceperat ab Episcopo dioecesis A. Subinde in aliam dioecesim migravit nec iam de priore est sollicitus. Pergit tamen facere studia in ordine ad sacerdotium, ita ut recipiendos ha-

beat ordines minores et maiores. Quaeritur iam quisnam sit eius proprius Episcopus pro istis ordinibus.

Resp. Verba can. 956 sunt aliquantisper obscura. Prima sententia videtur de omni promotione agere, et dein mere a iure iurando quosdam dispensare. Sed re vera agit de promotione alicuius qui nondum ordinem vel primam tonsuram accepit, vel qui solutus est iuridice ab omni vinculo cum quodam episcopo, ut esse potest religiosus expulsus. Quare respondendum est Titium semper servare episcopum proprium a quo fuit tonsuratus. Is enim est eius sponsor perpetuus, donec excardinatione et incardinatione alium Episcopum acquisiverit.

Si autem Episcopus male dedit primam tonsuram, ita ut violaverit ius Episcopi qui secundum canones debuisset esse ipsius Episcopus, tunc Episcopus qui iure erat proprius potest clericum vindicare. Quod si non fecerit, Episcopus a quo fuit tonsuratus non prohibetur pergere ulteriores ordinationes facere eius quem non plane regulariter ordinavit.

II. A quonam ordinari potest clericus qui in Ordine vel in Instituto religioso minores ordines suscepit, ac dein, dimissione accepta, ad statum *laicalem* est redactus ?

Vi can. 212 inter clericos iterum admitti potest ex licentia Ordinarii dioecesis cui incardinatus fuit per ordinationem.

Verum difficultas est quod ordinatus litteris proprii Superioris nulli dioecesi incardinatus est. Si non amisit propriam dioecesim, Episcopus istius dioecesis ad quam pertinet potest eum recipere. Si autem propriam dioecesim amiserit, ut fit per professionem perpetuam, simplicem vel sollemnem (can. 585), debebit ipsi per provisionem S. Sedis provideri. Vel etiam ad statum laicalem redactus, potest ut laicus acquirere

domicilium et subinde recipi et ordinari ab Episcopo qui velit eius curam suscipere.

Si in maioribus ordinibus constitutus fuerit, manet suspensus donec a S. Sede absolutus fuerit (can. 671, 1°). Non enim casum contemplamur illius qui voluntarie per indultum saecularizationis e religione discedit, de quo agit can. 641.

De Disparitate cultus.

Orthodoxus quidam vir anno 1918, in urbe Gedanensi (Dantzig) matrimonium mere civile fecit cum aliqua Iudaea. Anno 1935, divortio civili obtento, velit cum puella catholica nubere.

De valore prioris matrimonii civilis suntne distinguenda tempora quibus celebratum erat, ita ut si ante Codicem nupserant matrimonium esset certo invalidum ex impedimento disparitatis cultus; factum autem matrimonium post Codicem, impedimentum iam non exsisteret, cum suppressum esset Codice, quando schismaticus vel haereticus contrahit cum persona non baptizata?

Resp. Cave ne confundas Latinos et Orientales. Hi non obligantur Codice, exceptis casibus ubi de fide vel moribus agitur. Quare nova dispositio Codicis ipsos non attingit. Cum autem nuptiae essent certo invalidae ante Codicem, manent tales post Codicem.

Ut autem matrimonium fieri possit, dispensatio obtinenda est a S. Sede. Petitio mittenda est a parte catholica, cum non soleat S. Sedes quidquam indulgere iis qui extra sinum suum vivunt. Rationes valde graves erunt afferendae, et cautiones, sub poena nullitatis erunt obtinendae.

Res autem facilius hac altera ratione enodari possit. Vir iste qui amat puellam catholicam, ita ut cum

ea velit coniugium facere, non videtur valde remotus ab Ecclesia catholica. Si igitur proponi possint argumenta, facile fortasse amplexaretur fidem catholicam. Facta autem abiuratione et fidei professione, iam nihil impedit quin matrimonium sollemniter in Ecclesia catholica fieri queat.

A. Vermeersch S. I.

De Matrimonio in missionibus

Albertina, in proprio vico suo, data fuit in uxorem cuidam Ganza. Sed cum ambo valde iuvenes essent, non cohabitarunt.

Officialis autem exercitus Albertinam rapuit extra ipsius vicum eamque tradidit militi Tongo. Tongo autem et Albertina fere simul tempore baptizantur.

En autem Ganza, adhuc ethnicus, obviam habuit Albertinam. Hanc obtinuit a praeside stationis. Ac deinceps cum ista quasi cum uxore sua vivere coepit Ganza. Ceterum ipse frequentavit catechismum ac vult fieri catholicus.

Quaeritur cuiusnam Albertina sit legitima uxor.

Missionarius ipse existimat praevalere ius militis Tongo, cui more indigenarum nupserat momento baptismi. Namque, sic missionarius, nuptiae cum Ganza non erant consummatae quando data fuit Tongo.

Resp. Debilis est ratio qua utitur missionarius. Matrimonium enim, etiam mere legitimum, coniungit, iure naturae, sponsos a momento quo est contractum, ita ut non consummatio nihil operetur in casu.

Omnia pendent a validitate primi matrimonii quod Albertina fecerat cum Ganza. Iure naturae etiam impuberes valide contrahunt matrimonium, si nec cognitio nec liber consensus in ipsis desiderabatur. Sane Albertina rerum matrimonialium sufficientem scientiam

habebat. Sed num ipsa vere, et satis libere dedit consensum irrevocabilem? An talem recepit a marito? Haec sunt examinanda a missionario et facile deprehendet in primo matrimonio vitium substantiale. Si autem de nullo constat (namque dubium favet primo matrimonio) respondendum est pro matrimonio cum Ganza.

Quocirca, Albertina poterat et debebat ad Ganza redire et cum eo in vero matrimonio dies agere praesentis vitae.

Observes solutionem istam etiam magis favere fidei. Ganza enim cupit fieri catholicus. Oportet igitur ut possit pacifice vivere cum Albertina.

Observes in casu nullum locum fuisse privilegio Paulino. Albertina enim nihil Ganza obiciendum habebat.

A. VERMEERSCH, S. I.

De Vasectomia duplici.

In praeclaro opere de matrimonio, quod recens tertium edidit E. Card. GASPARRI, t. I, p. 469, haec leguntur: « Haec operatio tentationes contra castitatem auget potius quam minuit, quia vir abundantia seminis, quod testiculi elaborare pergunt, nullo modo se exonerare potest, unde tales viri coniciuntur in gravissimum periculum peccandi contra castitem ».

Quaeritur utrum haec scripta sint secundum veritatem, necne.

Resp. Fateri debemus Eminentem canonistam non feliciter locutum esse extra campum scientiae in qua tam egregium locum occupabat. Etenim nec abundantia seminis virilis producti tanta est, qualem eam fingit; et exitum optimum sibi reperit in alias partes organismi. Namque, ex quo viae spermaticae repletae

sunt, minus abundanter conficitur immo fere sistitur; et quod producitur facile sorbetur in vicinas corporis partes. Ut brevissime rem reddamus: negligit legem *spermatogenesis,* et *spermatolisim.*

II. Melius, paulo ante C. GASPARRI, p. 467, scripserat: « Vasectomia etiam duplici minime obstante, habetur concupiscentiae stimulus, erectio membri virilis, eiusdem penetratio in vaginam mulieris, emissio alicuius humoris ad instar seminis virilis (qui tamen non est virile semen) et tandem concupiscentiae sedatio, licet non plena et completa ».

Verum nonne ipse sic argumenta praebuit istis qui negant esse vere impotentem qui duplicem vasectomiam passus sit? Esto abesse iam potentiam ad prolem habendam, nonne sunt alii fines matrimonii qui plene attingi possunt?

Res ista controvertitur. Consulendus est in hac re R. D. ARENDT in ephemeridibus theologicis Lovaniensibus, 1932, p. 28-69; et 442-450, *De genuina ratione impedimenti impotentiae.* Hanc sententiam probabilem habet GENNARI, in t. VII, p. 52, nota 1 Theol. mor. Ibi etiam accurate exponit qua ratione SIXTUS V castratos a matrimonio excludit, et quomodo casus eorum qui vasectomiam passi sunt valde diversus sit a casu eunuchorum vel castratorum. Cfr NAVARRUM Dr. amicum SIXTI V, *Consilia* seu responsa L. V, Cons. IV, n. 15 et 18; Cons. I. n. 1. 2. 11; Cons. III.

De introductione disciplinae dictae a « scouts » in religionem.

Quaeritur: I. Potestne legitime introduci in noviciatibus et iunioratibus initiatio ad Scoutismum?

II. Institutio Scoutistica, etiam si omittas « sport » et « camping », potestne conciliari cum spiritu et educatione religiosa Noviciatus et Scolasticatus.

III. Licetne noviciis et Scolasticis ut suam initiationem et educationem scoutisticam quasi sigillent acceptando Legem scoutismi aut emittendo promissia scoutistica, quia postea fortasse dirigendos habebunt scoutistas et opera conexa ?

Resp. In primis observo novicios et scolasticos, iuniores professos, solere eam aetatem habere qua non possint iam cooptari inter socios scoutistas. Consociatio enim ista est pro iunioribus fundata. Ita, in Hispania, socii debent assecuti esse aetatem 9 vel 10 annorum nec plus quam septem decim annos esse nati. Ergo quaestio potest ab initio amoveri : religiosi, etiam novicii, non iam sunt istius aetatis qua possint cooptari inter socios scoutistas.

Sed hoc omisso, examinemus quaesita nobis facta.

Itaque magister quidam noviciorum et praefectus iuniorum professorum miratus quomodo, hodie bene multi iuvenes discant per victoriam supra se et professionem cuiuspiam generosae oboedientiae acquirere fortem, virilem voluntatem, et fieri iuvenes audaces, generosi, prompti ad succurrendum proximo, expediti, non victi quadam practica difficultate, volensque vere ad hodiernas luctas preparare religiosos suos, cogitat de communicanda suis iuvenibus religiosis ista scoutistarum institutione. Quid dicendum de huiusmodi consilio?

I. Observo in primis consociationem scoutisticam institutam esse pro iuvenibus saecularibus, ut mederent solitudini et anarchicae rationi qua incerti de statu suo futuro errabant sine definito consilio. Haec non est condicio eorum qui iam elegerunt statum sublimem vitae religiosae. Ipsis vita certa proponitur sequenda. In fine cum generali tum speciali propter quem religionem ingressi sunt habent multo plus quam in proposito scoutista.

2. Pulchra quidem sunt quae animum sociorum scoutistarum excitant ad viriliter agendum et repudian-

dum instinctum amoris proprii; sed haec ut media vitae honoratae et dignae in ipso saeculo consectantur, dum in vita religiosa multo magis supernaturaliter et propter Christum sunt exercenda. Quare quasi duplex vita et satis parallela aperiretur religiosis qui vellent scoutismo adhaerere. Hoc quomodo fieret sine detrimento vocationis suae?

3. Ceterum quo pacto transigendum est tempus noviciatus? Audiamus regulam quam Codex ipsis noviciis canone 565 § 1, praescribit: « Annus noviciatus debet sub disciplina magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio regulae et constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus extirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas ». Nonne ibi plus habemus quam quae in lege scoutistarum continentur? Quomodo studium silentii, humilitatis, assiduae orationis componetur cum exercitationibus scoutistarum? Quid autem de duce cui, ut scoutistae, spondent se oboedientes fore?

Quocirca ad quaesita proposita respondendum est: Initiationem ad Scoutismum in noviciatum et scolasticatum legitime introduci non posse; - Institutionem Scoutisticam non posse conciliari cum spiritu et educatione religiosa noviciatus et scolasticatus; - non licere ut, pratextu futurae fortasse directionis, acceptent Legem scoutisticam et emittant promissa scoutistica. Etiam nunc non desunt religiosi maturi qui scoutistis catholicis sunt opportunissime auxilio, et tamen ipsi non sunt formaliter scoutistae.

Sed nihil impedit quin commoti optimis fructibus institutionis fortis et virilis, magis in ipsa religione, propter Christum, excitent iuvenes, exemplo scoutistarum ut virilier et generose agant, atque ita sumant imitandum in religione quidquid optimum est in institutione scoutistarum. -

Observes demum ex formali scoutismo periculum creari propriae vocationi religiosae. Quae enim humano modo praestant praeclara, facile iuvenes alliciunt ut ipsi formaliter haec participent.

A. VERMEERSCH S. I.

De litteris testimonialibus noviciorum.

In instituto quodam religioso cooptatus est novicius qui, natus e parentibus haereticis, vixit in haeresi usque ad conversionem suam ad veram fidem.

Quaeritur num testimoniales litterae ab Ordinario originis de ipsis sunt exquirendae. Ipse nihil indicare poterit?

Resp. Lex est generalis nullaque exceptio ponitur in gratiam eorum qui ad veram Ecclesiam non pertinebant. Ipse canon 545, § 3, praevidet quid faciendum sit si responsum sit « aspirantem satis non esse sibi cognitum ». Superior religiosus debet tunc par aliam investigationem supplere. Ceterum in regionibus nostris de modo quo se gesserit iuvenis protestans in scholis, in universitate, cognitio ab Ordinario saepe obtineri poterit. Quare nec ratio legis insinuat exceptionem pro huiusmodi casu.

A. VERMEERSCH S. I.

Solutio casus de Testamento, propositi p. 256*, tomi 23.

Quae Petrus aegrotus manifestavit nepoti suo, quem accivit, nondum sunt testamentum sed propositum de mutando testamento, quod propositum nullum ius tribuit vel mutat. Quare, si Franciscus nepos nihil patruo vel avunculo suo promisit neque eum impedivit quominus vel testamentum holographum scriberet vel advocaret notarium ed conficiendum testamentum au-

thenticum, nullam obligationem contraxit, silentium de rebus quas ex ore avunculi (seu patrui) didicit servare potuit et omnem hereditatem sibi licite sumpsit.

Mentio tamen facta erat de leganda parte operibus piis. Sed cum bona essent, postea determinanda, et nulla determinatio facta esset etiam factum legatum pium non videtur.

Itaque ad 1. Franciscus nullius peccati reus videtur; ad 2. Nihil restituere debet. Nullius enim ius violavit.

Casus de Iustitia.

Famula quaedam domestica, iussa praeparare pro prandio anserem quem domna emerat in mercatu publico, cum animal exentraret, reperit inter viscera anulum aureum qui ibi sedem elegisse videbatur. Honesta famula, nihil cuipiam dicens, statim consultum adivit sacerdotem, confessarium suum, ac, narrato facto quaesivit quid de anulo facere ipsi liceret.

Marcus, sacerdos, plures alios interrogavit, sed minime consentientes inter se de iure vel obligatione famulae habuit.

Primus dixit anulum esse restituendum domnae, ad quam pertinebat ut accessorium rei principalis quam emerat.

Secundus, in anulo thesaurum agnovit, qui, secundum leges positivas, dividendus esset inter inventorem et domnum rei in qua latebat.

Tertius declaravit anulum tribuendum esse operi pio, cum verum dominum reperiendi nulla spes superesset.

Quartus haec omnia nimis severe dicta existimavit; rem esse actu in nullius dominio, ac proin a famula sibi servari posse, utpote quae rem prima occupaverit.

Quaeritur quisnam nodum eleganter solverit.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Prelum catholicum et cinematographum

(*Casus de nuntiis cinematographicis*)

Quantum ars cinematographica ab ephemeridum quae quotidie eduntur concursu, dependeat, aperte nobis manifestant verba Romani Pontificis, qui sermonem faciens ad repraesentantes Federationis preli cinematographici (*Fédération internationale de la Presse cinématographique*) (1), palam asseruit cinematographum, si quid potest aut valet, id maxime tribuendum esse prelo (*presse*).

Ideo nonnullae quaestiones ephemeridibus catholicis sat delicatae offeruntur ad quas solvendas, plurima veniunt consideranda.

In tanta varietate casuum maxime illos suscipimus solvendos qui ex nuntiorum pellicularum (film) insertione et evulgatione proveniunt. Considerabimus maxime moderatorum ephemeridum officia quoad evulgationem, in sequentibus casibus:

1° In pelliculis ex opere ab Ecclesia damnato argumentum mutuantibus.

(1) Die enim 11 augusti illos excepit qui convenerant Venetias ad Congressum habendum. Vide *Osservatore Romano* 12 aug. 1934; vel *Doc. Cathol.* vol. 32 (1934), pg. 830 et seq.

2° In pelliculis immoralibus.

3° In pelliculis incertae moralitatis. Plurima tamen necessario erunt consideranda quae alios etiam casus respiciunt.

Frequenter occurrit casus in quo pellicularum editores argumenta desumunt ex fabulis romanensibus, et quidem, quod maxime est dolendum, ex his quae eminent propter doctrinas erroneas et ab Ecclesia damnatas, vel propter impudica et lasciva argumenta.

Ubi de pelliculis agitur quae ex opere ab Ecclesia, ad normam legis prohibito, argumentum et nomen desumunt, praeter quaestiones morales, occurrere potest praevia iuridica quaestio: Utrum, scilicet, propter argumenti paritatem, leges de prohibitione librorum ab Ecclesia latae, sint applicandae etiam pelliculis cinematographicis, ex operibus prohibitis confectis.

Unde, priusquam ad argumentum sub adspectu morali tractandum deveniamus, istam praeviam iuris quaestionem breviter solvemus.

In hac priore parte non solutionem proponimus nisi quae accepta est et communissime accepta. Res posset videri inutilis, nisi recens non nulli voluerint ab diversimode concludere. Quare operae pretium esse putavimus solutionem stipatam suis rationibus dare.

***

Codex, in libro 3°, Titulo 23 « *De praevia censura librorum eorumque prohibitione* » agit, et quidem in parte IV, quae de magisterio ecclesiastico inscribitur.

Hinc ratio fundamentalis legislationis Ecclesiae, in hac re, clare panditur: munus et potestas magisterii: consulitur ergo rectae doctrinae in rebus fidei et morum conservationi: nemo tamen putabit solummodo voluisse Ecclesiam, puram doctrinam, speculativo modo, tueri. Cum fides et mores fidelium non solum spe-

culativis elucubrationibus impetantur, sed etiam, imo magis, omnibus aliis mediis quibus errores evulgantur, vel corrumpuntur hominum mores, clarum est Ecclesiae ius et officium esse invigilandi et providendi ne inde fideles detrimentum capiant.

Ideo hic Codex attingit non solum omnes libros, sed simpliciter omnia scripta, in quibus aliquid contineatur quod religionis aut morum honestatis peculiariter intersit. At praeter ea quae « scriptis eduntur » sunt, nostris temporibus, alia evulgationis media perquam aptissima ad hominum ideas sive ad bonum sive ad malum inducentes, spargendas: ut sunt « radiophonium », et « cinematographum ».

Praevia censura et prohibitio editionis vel evulgationis, lege aliqua generali, difficilius quam ubi de libris agitur exercentur.

At de iure Ecclesiae legibus suis disciplinaribus moderandi quoque, sic dictas, radiodiffusionem, et cinematographicas exhibitiones, ubi de rebus quae ad fidem vel mores pertinent, agunt, non est dubitandum. Ratio avertendi omne corruptionis periculum, eodem modo, imo magis, hic verificatur.

Quam enim magnus et vehemens sit radiophonii et cinematographi influxus in formationem conscientiae, (deformationem, proh! dolor, melius diceres), quantum ad mores corrumpendos valeant, non solum Romanus Pontifex ceterique animarum pastores comprobant, sed ipse civilis principatus ostendit, dum omnes fere civiles legislatores necessarium duxerunt, legibus latis, providere, ut certis limitibus circumscriberentur, tam qui radiophonio sermones spargunt, quam qui cinematographo, rerum imagines exprimunt. Quod, etsi aliis quoque rationibus moti, statuerunt, passim tamen fatentur se moralitatis publicae causa id maxime fecisse.

At fidelium atque humanitatis moralitatem omnem custodire munus maxime Ecclesiae catholicae est. Ergo

optimo iure et ipsa, quod de libris statuit et de sic dictis « film » statuere potest.

Iure meritoque, de facto, plurimi Episcopi ut partem muneris pastoralis, leges magis determinatas suis dioecesanis dederunt, quibus haec oblectamenta vitae sic moderantur ut animarum non sint causa ruinae spiritualis. Quibus utinam omnes quibus interest diligentem cooperationem praestarent ad efficaciter exsequenda quae his legibus continentur.

Cum vero de iure non sit ulla dubitatio, ad quaestionem de facto veniamus, 1^0 generalem, 2^0 magis ad casum nostrum restrictam.

Quaeri posset, in primis, utrum propter materiae similitudinem et finis identitatem, applicari possint pelliculis cinematographicis, praescripta Codicis de censura et prohibitione librorum L. III, Tit. 23.

Id suadere videtur canon 20: « Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similihus, a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis; a stylo et praxi Curiae Romanae; a communi constantique sententia doctorum »; id tamen his solum qui verba materialiter, prout sonant, accipere velint. Peritis, vero, in iure constat aliam esse vim Can. 20.

Haec autem *iuris analogia,* ut breviter dicamus de re in qua non parum laborant canonistae, similitudinem casuum respicit quae hic non habetur; principium praeterea statuit quod applicandum est ubi, *deficiente legis praescriptione*, tamen casus urget solvendus qui per *leges positivas solvi debet:* non vero valet ut leges circumferantur ad omnes casus de quibus norma in lege positiva desit: tunc viget potius libertatis principium.

Igitur, absonum esset velle integra praescripta de censura et prohibitione librorum, editionibus artis ci-

nematographicae applicare propter communem rationem medii evulgationis idearum, in qua conveniunt.

Non eodem modo res se habet ubi in concreto quaeritur de « pellicula » quae, plus minusve, *reproducit* argumentum alicuius operis censurae legi subiecti, aut iam de facto in librorum prohibitorum Indice redacti.

Tunc enim agitur de evulgatione operis prohibiti, et quaeritur utrum prohibitio etiam contineat vetitum *reprodutionis*, vel *repraesentationis* cinematographicae. Qui casus valde practicus est, ut patet ex frequentia qua eiusmodi adaptationes peraguntur.

Exempli causa nunc exhibetur « film » « Les misérables » ex opere eiusdem nominis Victoris Hugo, in Indicem redacto ab anno 1864. Et plurima alia frequenter.

Ad quaestionem solvendam relationes quae inter « film » et fabulam ex qua desumitur, exsistunt, sunt determinandae. Inde apparere potest utrum in prohibitione libri contineatur quoque prohibitio adaptationis cinematographicae ; et consequenter, utrum ipsa pellicula eodem modo atque opus ut prohibita sit habenda.

Ex Canone 1398 § 1, prohibitio librorum id efficit, ut liber, sine debita licentia, nec *edi* nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, *nec ullo modo*, cum aliis *communicari* possit ».

Iam vero sufficit notare subiectum prohibitionis semper *librum* esse, vel ad summum alias publicationes... quae tamen « *scriptis* » eduntur ex C. 1384 § 2, ut clare conclusio pateat : cum nullo *vero* sensu « film » vel *libris*, vel *scriptis editis* assimilari possit, nequit comprehendi sub iisdem censuris, quibus scripta comprehenduntur. Ergo non subiacet prohibitioni ecclesiasticae, cui liber subiacet. Constituit aliud ens.

At, forte quis advertere posset : adaptationem ci-

nematographicam continere formam per quam aptissimam *communicandi* librum cum aliis, quod Canone 1398 vetatur. Sed mera aequivocatione fundatur ista observatio : etiam in communicatione de qua Canon 1398 agit, *subiectum* est *liber specifice* ; « film » communicare aliis potest *quae in libro continentur.* Aliud est *librum* communicare, aliud ea quae in libro *continentur* aliis tradere. Quod sine dubio patebit iis qui considerent, finem legis Ecclesiasticae esse quidem impedire idearum quae in libro continentur communicationem ; et ad hoc instituit tam esse prohibitionem librorum videlicet tanquam *medium* ad illum finem obtinendum.

Hoc clare patet e simplici lectione constitutionis Leonis XIII « Officiorum et munerum », anni 1896, ex qua apparet quod « *cum inter* inimicorum calliditates artesque nocendi » *primum locum* teneat intemperantia *scribendi*, disseminandique in vulgus quae *prave* scripta sunt, ideo necesse fuit ut Ecclesia, perpetuo studuerit, ut homines, pravorum librorum lectione prohiberet ».

Plurimae aliae nocendi artes agnoscuntur : quae ex eadem causa reprobandae sunt. De facto, tamen, legibus unam insectatur Ecclesia, idque propter peculiarem eius naturam et ad doctrinam moresque corrumpendos aptitudinem.

Nemo tamen iuris peritus praescripta legis quae unum medium ad certum finem obtinendum respiciunt, ad alia quoque media applicuit eo quod et ipsa eodem modo illum finem attingant. Si aliquando, modo valet effatum : « *Finis legis non est lex* ».

Unde in casu quo « film » sparget venenum quod in pravo libro, ab Ecclesia prohibito, continetur, sequitur quod meretur eandem reprobationem ; quod ab Ecclesia quoque lege lata, et canonicis sanctionibus munita, prohiberi *potest ;* non vero sequitur eo

ipso contineri sub iisdem canonicis sanctionibus, quibus liber prohibitus subiacet; et eodem modo prohibitum esse.

Quare ad iuris quaestionem respondemus:

Prohibitio libri, iure ecclesiastico statuta, non afficit, ex iure ecclesiastico, ipsius libri cinematographicam editionem. Ergo ex eo quod liber prohibitus est iure ecclesiastico, non sequitur prohibitam esse, lege ecclesiae editionem cinematographicam, vel exhibitionem, quae ex illo libro sint desumptae. A fortiori loquendum non est de poenis ecclesiasticis *quibus* violatores legum de prohibitione librorum plectuntur. Nulla poena sine delicto.

***

Aliter res se habet sub adspectu morali: Leges respiciunt ordinem socialem, ideoque sanctiones pro omnibus peccatis constituere non possunt.

Ergo nemini concludere licet: prohibita lege Ecclesiae non est ista pellicula, ergo licite exhibetur atque exhibitionibus adsistitur. Manet ius divinum naturale et positivum quod omnium afficit conscientiam, et ad quod semper respiciendum est.

Manet ipsa Ecclesiae generalis doctrina, ad animarum bonum applicanda.

Sub hoc adspectu, veniunt generatim applicanda principia de scandalo, et cooperatione ex parte illorum qui pelliculas conficiunt, exhibent, iudiciis scriptis commendant; principia quoque de occasionibus peccandi iis datis qui exhibitionibus intersunt.

Ephemeridis catholicae responsabilitas sat magna hic est, cum multi, ipsius iudicio ducantur in frequentandis spectaculis cinematographicis.

Qua in re hoc, in primis, venit notandum. Ipsa pelliculae editio quae nomen et argumentum mutuatur

ex opere prohibito ab Ecclesia, contemptum quemdam contra Ecclesiae legem, in se continere videtur. Ut enim a priori et a posteriori constat, eo ipso quod argumentum ex tali opere pro pellicula desumitur, opus ipsum maximis laudibus extollitur, auctoris nomen et fama iterum suscitantur, ex quo ad opus ipsum perlegendum efficaciter alliciuntur multi. Quod praecise sua prohibitione Ecclesia vitare voluit.

Quae responsabilitas, ante omnes, editores pellicularum tenet; a qua in casu quodam magis favorabili omnino liberantur. Casus iste daretur si, ex opere propter doctrinas maxime damnato, illae partes argumenti arte cinematographica exprimerentur, quae nihil in se damnationis dignum continerent. Id impossibile minime est. Accidit enim, ex indole artis cinematographicae, ut argumenta dessumat, ubi de fabula romanensi agitur, ex sic dicta « actione » (trame) et aliquando partem tantum aliquam reproducendo; auctoribus autem antiquioribus nonnullis « actio » (trame) inservit ut doctrinam tum socialem, tum religiosam vel moralem proponant, doctrinae catholicae repugnantem: quare, si separatim a doctrina actio in se consideretur, indifferens vel etiam bona esse poterit: unde fit ut ex opere prohibito pellicula confici possit, quae si in se consideretur nihil contineat quod sensum moralem christianum offendere valeat.

Hoc etiam in casu, ut dictum est, prohibendum censemus pelliculam ex his operibus conficere. Et prohibitionis causas tunc ad *has duas* reducere possumus: contemptum prohibitionis Ecclesiae propter commendationem operis ab ea damnati, a qua prohibitione editio pelliculae praescindere non potest; scandalum, dein, iis datum qui pelliculae exhibitionibus intersunt, qui ex hoc, ad opus prohibitum legendum, facile inducuntur.

Cum vero istae rationes non eodem modo omnes pelliculas afficiant, et de actione vitanda agatur quae non in se, sed propter effectus qui ex ea sequuntur, mala reputatur, inde sequitur prudenter iudicium ferendum esse ex principiis voluntarii in causa. Causae autem quae licitam faciant permissionem, ubi de editoribus pellicularum agitur, vix admittendae sunt. Cum argumenta honesta ipsis praesto sint, in campo vastissimo naturae, artis, historiae; potius quam studio quaerendi argumenta « *lucrativa* », studio haud sano, hominum cupiditatem excitandi, auctoris famosi nomen producendo, horum argumentorum electio est tribuenda.

Et hoc ad lucrum inde percipiendum. Unde non immerito concludere possumus, scandalum non mere permitti, sed directe, inordinato lucri amore, quaeri, ut medium ad attentionem et favorem hominum conciliandum.

Idem fere dicendum est de moderatoribus aularum quibus exhibentur pelliculae, cum et ipsi generatim nulla honesta ratione ducantur ad eiusmodi pelliculas exhibendas, et fere eodem ordine atque editores, etsi minori extensione, ad scandalum concurrant.

At utinam hoc esset aut unicum aut maximum peccatum quod ab editoribus et propugnatoribus artis cinematographicae committeretur! Ipsis e contra sufficere non videtur ad has industrias recurrere ad commendandum « film », ceteroquin innocuum; exhibitiones ipsas deturpant, neque salvam indemnitatem oeconomicam putant nisi ea exhibeant quae magis aut pudorem aut morum honestatem evertere conantur. Unde, si ex fabulis romanensibus argumenta mutuantur, illas seligere curant quae ut, aiunt, magis ab his qui intersunt approbantur, quaeque aliae non sunt nisi quae cum ipsis naturalis moralitatis principiis pugnant. Itaque, ut nonnullis, depravatis hominibus, placeant,

eorum infinitam pene multitudinem, qui inexperti accedunt, corrumpunt.

At, ut verbis utar Romani Pontificis (1) « *immensam responsabilitatem quam promotores et propagatores cinematographi immoralis, quae in mentem evocat, mammonam iniquitatis Evangelii, non considerant. Quam frequenter lucri iniqui cupiditas eos inducit ad mores corrumpendos hominum generationum! Quot ruinae! At de salute agitur animarum! Quae horrenda res apparet non iam sub adspectu religioso sed simpliciter, etsi nonnisi humanis considerationibus ducamur* ».

Merito his corruptoribus verba *applicat Romanus Pontifex* a magno Dante de libro quodam prolata, « *Galeotto fu il libro e chi lo scrisse* ».

Haec de editoribus dicta sunt ut sub hac tristissima luce melius appareat ephemeridum responsabilitas. Non avari vel corruptores illi homines tantam non haberent audaciam, si iis auxilium non praestarent scriptores et ephemerides, etiam ii qui nomine catholico gloriantur.

« *Numquid*, quaerit Romanus Pontifex (2), *cinematographum adeo valeret, tot mala causaret, si prelum non ipsum sustentaret, aut si, e contra, omni vi adversus tantam immoralitatem decertaret? Aliis verbis, nonne cinematographum id est quod scriptores et ephemerides, istud faciunt esse?* ».

« *Ecce,* prosequitur Romanus Pontifex, *id quod numquam oblivioni dari potest* ».

Sub adspectu ergo efficacis cooperationis ad cinematographum sustentandum, considerandum est auxilium ab ephemeridibus datum, per nuntia quibus pelliculae vel commendantur vel saltem evulgantur.

---

(1) Concione habita ad raepraesentantes Congressus Foederationis internationalis preli cinematographici, die 11 augusti, 1934 (Cfr *Osservatore Romano*, 12-8-1934).

(2) In Allocutione citata.

***

Qua in re sedulo notanda est diversa responsabilitatis ratio quae a singulis, uti sunt singuli, et quae ab iisdem in unum corpus morale colligatis, contrahitur.

Prelo et ephemeridibus colligatis tribuenda est responsabilitas integra de qua clare Romanus Pontifex loquitur. Si omnes consilium, ex rei natura, praeceptum, Romani Pontificis audirent: « *numquam ne verbum quidem scribere quod aliquam aut mali commendationem, aut virtutis contemptum supponeret* », non tanta profecto esset editorum audacia. Ergo ipsis ephemeridibus tribuenda est cooperatoris efficacis responsabilitas per consilium et laudem pellicularum quarum nuntia edunt. Difficillimum, procul dubio, erit hanc responsabilitatem inter singulos dividere et uniuscuiusque participationis gradum determinare. At malum, cum vere ingens exsistat, subiectum responsabilitatis exsistat necesse est; neque ex eo quod difficillimum sit determinare singulorum responsabilitatem, neganda ipsa est, sed potius de officio singulorum ad causam responsabilitatis destruendam, est investigandum.

Et primo quidem nimis inefficax singularis actio apparet ad tantum malum evertendum; quare, nisi viribus unitis pugna instituatur, parum proficitur.

Qua in re subest consideratio quae magnium momentum nobis habere videtur.

Nullus status civilis exsistit in quo ad utilitatem materialem artis et in commodum professorum non exsistant consociationes quibus communi consilio proceditur in omnibus quae respiciunt sic dictam « professionem », in casu nostro corpus ephemeridum editorum: quae comitiis aut consiliis statuuntur vim legis pro omnibus habent et catholici aeque ac non catholici amico foedere consociantur. Quid inde? Sicut

ex virium unione id obtinuerunt ut mutuae utilitati efficaciter consulerent, et omnes adversitates fortiter superarent, haud dubium quin ad similem victoriam in cinematographo morali propugnando, non post multum tempus, pervenirent, si eadem concordia uniti decertarent.

Unde officium catholicarum ephemeridum moderatorum esse putamus, studio pugnandi contra cinematographum immorale, vires inter se et cum honestis, licet non catholicis, ephemeridibus unire, ut nonnisi pelliculis, omni adspectu moralibus et moralitatem foventibus, cooperationem publicitatis praestent; aliis vero bellum virile indicendo.

Id quanto cum exitu factum sit ibi ubi difficilior pugna sperabatur, in America Septemtrionali, ipse Romanus Pontifex testatus est, et nuntiis quotidianis quae ad nos perveniunt magis in dies comprobatur (1).

***

Si ex hac sociali consideratione ad individualem descendamus, quid singulis ephemeridibus, pro diversitate casuum, liceat quid vero expediat, breviter dicendum est.

Nuntiorum quae cinematographum respiciunt, duplex esse potest finis. Unus, certo honestus, alter, honestus vel non, pro subiecta materia.

Si ad lectores praemonendos, nuntius inseratur etiam pelliculae immoralis, utilitati et bono lectorum consulitur qui scire hoc pacto valent quibus pelliculis interesse possint, a quibus abstinendum sit. Id praestant catholicae ephemerides quae iudicium morale assidue et tempestive de pelliculis quae exhibentur lectoribus proponunt. Quod quidem non solum liberalitatis

(1) Cfr *Osservatore Romano* (1935, nn. 17, 29, 53).

sed officii esse putamus. Nam ephemerides inter et eius habituales lectores intima relatio statuitur vi cuius sicut servitium veridicae informationis procurare tenentur, sic et moralitatis. Fidem vulgo lectores praestant ephemeridum scriptoribus; hi, ut fidem mereantur veritatem colere tenentur. Quare sicut, merito, de officii defectu erga lectores arguuntur qui in re commerciali, aut industriali falsas notitias spargunt, a fortiori sunt improbandi hi qui in nuntiis de pelliculis cinematographicis edendis falsum de moralitate pelliculae, iudicium directe vel indirecte ingerunt. Qua de causa non recte procedere censemus ephemerides quae nulla de moralitate monitione facta, nuntia *commendatitia* (*réclame*) inserere audent quibus ad pelliculam immoralem conspiciendam impellantur lectores. Quod peculiarem induit gravitatem si, ut catholica, ephemeris habeatur. Tunc fieri non potest, ut auctoritate innixi ephemeridis catholicae, non decipiantur multi, existimantes licitum esse spectaculum quod a tali ephemeride commendatur.

Unde severe invigilandum, ut fini primario insertionis nuntium respondeat: admonendi scilicet, lectores ut tuto iudicare de moralitate possint.

Scimus equidem non deesse lectores qui, cum immundis spectaculis delectentur, iudicio ephemeridis condemnatorio, ad cinematographum immorale petendum, ducantur. At tunc bene applicari possunt Ezechielis (1): « *Si autem tu annuntiaveris impio, et ille, non fuerit conversus ab impietate sua, ...ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti* ».

Non tamen eo praecise consilio praemonendi lectores, societates cinematographicae nuntia petunt, quae magno pretio generatim solvunt; non eo consi-

(1) Ezech. Proph. V, 19.

lio, tam diligenter nuntii confectionem curant, sed deliberato procedunt consilio, alliciendi, inducendi promiscue omnes ad spectaculum contemplandum : unde mirifice curant sic dictam publicitatem, et non minus adlaborant ad opus conficiendum, quam ad suscitandam hominum curiositatem et cupiditatem : probe viri sagaces tenent res hodie tantum valere quantum publicitate commendantur.

Quare casus sat gravis, ephemeridibus catholicis, occurrit frequenter : cum societates quae publicitati praesunt, magna vi polleant, atque severe exigant ut nuntia, prout ab ipsis conficiuntur, ab ephemeridibus reproducantur, sub poena denegandi omnem publicitatis concessionem, petunt, ut includatur nuntium pellicularum suspectae moralitatis, imo vero plane immoralis.

Clare apparet eiusmodi contractus acceptari non posse ab ephemeride catholica, nisi certis sub conditionibus.

Imo nonnulli simpliciter sunt reiciendi

Agitur iam de nuntiis, quae ut nomen vulgare (réclame) indicat ad homines sollicitandos mirifice sunt adaptata : in his, imaginibus expressis et suasorio sermone, omnibus argumentis, pellicula commendatur.

Verum equidem est homines generatim expertos quantum his inventionibus sit tribuendum bene tenere ; at multi incauti seducuntur.

Quare ne rei cooperationis formalis obiectivae videantur moderatores ephemeridum catholicarum, his vel similibus normis stare tenentur.

a) Ubi de inserendo nuntio sic confecto (réclame) agitur, ex imaginibus et sermone id delendum est quod, in se, bonos mores offendit : puta nimis impudicas imagines ; verba quibus directe malum, ut divortium, latrocinium, laudantur. Secus, scandalum esset ex ipso obiecto.

b) Ubi de pelliculis certo immoralibus agitur, observanda sunt, in sua integritate verba Romani Pontificis (1) : « *numquam quidquam dicere quod videatur aut virtutem contemnere aut vitium laudare* ». Inserere autem nuntia prout ab editoribus conficiuntur, quibus multum extollitur pelliculae immoralis aut pulchritudo, aut praestantia, certo in laudem redundat vitiorum quae in pellicula commendantur.

Quare pro his pelliculis unice locus in ephemeride catholica esse potest in elencho in quo omnia spectacula continentur, et quidem ea intentione ut honestae et catholicae personae, probe sciant a quibus aulis cinamatographicis frequentandis abstinendum sit.

At occurrit hic non levis difficultas : indoles pellicularum saepenumero cognosci non potest nisi postquam primo exhibita est ; postquam locum habuerit sic dictum « début ».

Interea nuntii sparguntur quibus, ferventer pellicula commendatur, studiose vitando omnia quae pericula moralia quibus forte abundat, revelentur. Quid tunc ephemerides catholicae? Vocemus has pelliculas, *incertae moralitatis.*

Ipsa difficultas, in primis, nobis argumentum praebet efficacissimum ad propugnandam unionem ephemeridum catholicarum in consociatione internationali quae etiam ad campum cinematographicum pertingere valeat (2). In his nationibus quibus « film » conficitur, exhibitiones praeviae, quibus paucis interesse licet, praecedere solent publicam praesentationem ; quam benemerita de religione et morali esset constitutio of-

---

(1) Alloc. citata.

(2) Exsistit quidem unio internationalis preli catholici ; et laeti accipimus nuntium futuri congressus Romae anno 1936 habendi ; exsisit quoque unio catholica cinematographica (O. C. I. C.) *Office catholique international du cinéma* : vide *Doc. Cath.* 7. 32 (1934), col. 833 : at ipsis auxilium undique est praestandum ut hoc quoque caritatis catholicae opus aggredi et perficere valeant.

ficii quibus *notitia* de moralitate ephemeridibus aliarum nationum, tempestive communicaretur !

Praeterea sufficeret actio perseverans et coordinata omnium ephemeridum catholicarum ad denegandam evulgationem pellicularum de quarum moralitate non constaret, ut ipsae societates editrices quae boni saltem nominis curam habent, propriis impensis copiam darent praevidendi pelliculas. Id iam fieri in America scimus, postquam sic dicta « *Legion of decency* », ab Episcopis, cooperantibus optimis laicis, promota, severum bellum adversus « film » immorale indixit (1).

Ut, denique ad casum concretum deveniamus, si quaeratur : licetne ephemeridibus catholicis nuntia commendatitia (réclame) de his pelliculis incertae moralitatis inserere in casu quo debitis adhibitis mediis dubium solvere non valuerint et ex denegata insertione damnum non leve ipsis sequeretur ?

Tertia insuper addita conditione, affirmativum responsum dabimus quoad meram liceitatem. Conditio est, ut moniti sint lectores, his in casibus, nullam contineri commendationem ex insertione, quae informationis causa tantum fit.

Hac conditione impleta, scandalum quod oriri potest efficaciter vitatur, cum omnes lectores bonae voluntatis intelligere possint ephemeridem non approbare pelliculam, ipsisque officium manere aut investigandi ulterius, aut abstinendi a spectaculo ex quo timere merito possint propriae animae damnum.

Aliunde nimium videtur exigere ut catholicae ephemerides haec nuntia reiciant, cum non parva iactura oeconomica, et periculo ne a multis lectoribus qui pravas ephemerides quaerunt, deserantur, ob damnum probabile aliquorum, vitandum, quod ipsis totum tribuendum erit, cum iam moniti prius fuerint.

---

(1) Vide *Osservatore R.* 1935 n. 53 (3-III-1935).

*
* *

Quid tandem de pellicula ex opere prohibito desumpta? Si pellicula ipsa ist immoralis aut incertae moralitatis, valent insuper superius dicta. Habenda vero est, ut immoralis, i. e. contra legem moralem divinam, si id propter quod opus prohibitum est, sive in texto scripto vel ore prolato, sive imaginibus, fideliter reproducat. Quare prohibenda tunc est evulgatio, utpote cooperatio efficax, quae ex obiecto ad formalem accedit. Et hoc etiam in casu quo id dubium tantum sit. Nam cum nomen habeat ex opere auctoris damnati, praesumptio habetur fundata quod opus uti scriptum fuit argumentum prebuit pelliculae conficiendae.

Si vero constet pelliculam non reproducere id quod damnationis causa fuit, i. e, si pellicula in se honesta sit, ephemeris quae verum de pellicula iudicium dare debet, fateatur necesse est, eam in se innocuam esse: eodem modo, nuntia (réclame) quae *ratione sui*, non sint reprobanda, evulgare potest: etenim spectaculum honestum proponit lectoribus.

Quid vero de scandalo, per inductionem ad opus prohibitum legendum? Respondendum censemus hoc scandalum tribui tantum ephemeridi potest, si nuntiis contineantur auctoris laudes et, *operis ipsius prohibiti commendatio.* Si, vero, ab his abstineat vel consuetas tantum contineat exaggerationes quibus nemo fidem adhibet, scandalum sufficienter vitatur monitione addita, qua constet discrimen inter opus prohibitum et pelliculam quae nuntiatur. Quae si observentur, inductio ad opus prohibitum legendum aut simpliciter non habetur, aut nimis remotus ad eam est influxus ephemeridis ut ratio ipsius habenda sit.

Quae dicta sint ut quaerentibus quid liceat, respondeamus; praeterea ne, aut nimia severitate ducti

grave vulnus infligamus his ephemeridibus catholicis quae primum agmen ducunt in religionis defensionem; aut, nimia lenitate moti, indifferentismo morali faveamus, quod non minus ac religiosus, societatem nostram pervadit, cum magno nominis christiani dedecore et animarum detrimento.

Quid magis expediat clare patet: ad officium catholicorum, non ergo ad res de consilio, pertinet viribus unitis, agere ut, quod etiam in aliis casibus accidit, id quod singulis interdum permittendum est, omnibus in unum congregatis, penitus interdicatur. Quod utinam ut fructus futuri congressus preli catholici consequatur, faxit Sacratissimum Cor Iesu, unitatis et concordiae christianorum, vinculum, et auctor.

Hactenus de parte negativa seu de omittendis. Verum plura positiva reformationis tentamina facta esse non ignoramus. De quibus ex professo dicere cogitamus in proximo articulo cuius praesens non est nisi modesta introductio.

ULPIANUS LÓPEZ S. I.

Utrum pueri canonizari possint?

Antiquiores theologi scribentes de rebus ad canonizationem pertinentibus, ut DE MATTA, MATTHAEUCCI, DE LAUREA, et summus omnium BENEDICTUS XIV, hanc quaestionem expressis verbis non tractaverunt, utrum scilicet aliquando etiam pueri digni invenirii possent, qui ad summum in ecclesiastico cultu honorem eveherentur. Tamen ad expoliendam doctrinam de notis et signis sanctitatis inutile non erit hanc quaestionem discutiendam suscipere: theoretice solum, ut patet; nam iudicium in casu, si forte offerri contingat, penes solum tribunal S. R. Congregationis est.

Ac videri quidem potest pueros canonizari non posse. Nam ad canonizationem requiritur virtus heroica, virtus autem heroica dicit summam perfectionem, qua maiorem homo in hac vita attingere non potest. Pueritiae autem essentia in eo est, quod sit imperfecta, non circa numerum annorum tantum, sed etiam circa reliqua omnia. Insuper homines « nonnisi post multos labores, nimiumque sudorem ad culmen heroicae sanctitatis perveniunt; ac longa mora in pertinaci conflictu adversus carnem exercitati per parva sensim incrementa virtutum ad gradum adeo sublimem perfectionis ascendunt, ut non amplius homines, sed heroes et homine maiores dicendi sint », docente AUGUSTINO MATTAEUCCI O. Min. in sua Practica theol.-can. ad Causas Beat. et Canonizationum pertractandas tit. II c. 1. n. 56. Atqui si ad ascendendum gradum heroicum longa mora requiritur, et plerisque etiam optimis ne longa quidem vita sufficit, puer paucorum annorum quomodo ascendet?

Sed contra est, quod habetur in Missali Romano inter festa pro aliquibus locis de S. STANISLAO KOSTKA: « Deus, qui inter cetera sapientiae tuae miracula etiam in tenera aetate maturae sanctitatis gratiam contulisti » et reliqua.

Ut autem quaestionem propositam accuratius aggrediamur, haec praenotanda occurrunt.

Quaestio utrum pueri canonizari possint, reducitur ad eam, utrum in pueris haberi possit *virtus heroica;* nomine autem virtutis heroicae hanc intelligendam supponimus, de qua in Causis Servorum Dei beatificandorum agitur, quaeque ab harum Causarum peritis et maxime a BENEDICTO XIV luculenter definitur. Quae omnia hic repetere longum est; compendiosam explicationem desiderantes remitto ad meum tractatum *Lehrbuch der Aszetischen Theologie*, 1930 pg. 56 sqq.

Porro restringimus disputationem nostram ad eos pueros utriusque sexus, qui usum rationis iamiam adepti fuerunt; non enim de infantibus post baptismum decedentibus nobis sermo erit, quamquam vel de his docet DE MATTA in Tract. de Sanct. Canonizatione IV c. 3 n. 5 aliis auctoribus innixus: « se credere, infantes et pueros, post quorum felicem obitum Deus operatur miracula, posse canonizari, quia tunc in eis magnam gloriam fecit Dominus, et concurrit sanctitas vitae, quae per miracula ad eius invocationem facta clarius demonstratur. »

His praemissis sequentia argumenta proponimus.

Primum argumentum desumitur *ex praxi Canonizationis.* — Ecclesia Servos Dei Confessores non canonizat nisi praehabito iudicio de heroicitate virtutum. Atqui canonizati sunt Servi Dei iuvenili aetate mortui non pauci, velut, reliquis omissis, LUDOVICUS Tolosanus O. Min., 23 annorum, ALOYSIUS GONZAGA S. I., 23 annorum, GERMANA COUSIN, 22 annorum, CATHARINA THOMAS O. S. A., 21 annorum, IOHANNA D'ARC, 19 annorum, STANISLAUS KOSTKA, 17 1/2 annorum. Si vero adolescens septendicennis virtute heroica praeditus erat, ut canonizari potuerit, quis est qui demonstret sedicennem aut quindicennem aut etiam infra hanc aetatem exsistentem virtutem heroicam habere non posse? Profecto hi iuvenes Sancti non ultimo brevis suae vitae anno subito ad tam sublimem gradum sanctitatis pervenerunt, sed iam antea veram heroicitatem habuisse censendi sunt.

Audiatur BENEDICTUS XIV (III c. 39 n. 5): « Ecclesia, quae in Confessore canonizando non solum mortem, sed et vitam imitationi fidelium proponit, non brevem, et uno actu collectam, sed intensam, longam, et multiplicem, extensamque per multos actus et habitus heroicitatem requirit. Sed in eo *quod attinet ad tempus, res nec est definita, nec facile definiri potest,*

cum fieri quandoque possit, ut quis consummatus in brevi expleat tempora multa, et multam gloriam Dominus in illo faciat, et condemnet iustus mortuus vivos impios, et iuventus celerius consummata longam vitam iniusti. Dum munere fungebar Fidei Promotoris et intereram Congregationi Sacrorum Rituum, nonnullos Consultores audivi asserentes, pro virtutum approbatione opus esse, ut Dei Servus per spatium saltem ultimorum decem annorum suae vitae heroice vixerit, sive res sit de Dei Servo, qui ante conversionem multis fuerit criminibus obnoxius, sive de Dei Servo, qui citra gravia crimina, sed non heroice antea vixerit... Cum autem assertionis rationem explorassem, nec ulla umquam mihi allata sit, a proposita sententia non recedo, quae *diuturnam exposcit quidem heroicitatem, absque ulla tamen temporis definitione* ».

Porro in definienda virtute heroica auctores tamquam signum etsi non constitutivum, tamen manifestativum, statuunt *eminentiam* super communem aliorum hominum, etiam bonorum, agendi modum, uti videri est apud BENEDICTUM XIV, III c. 21. Sed pari modo sollemne est inter auctores, hanc eminentiam diudicari debere non ex comparatione quadam generali, sed *cum hominibus eiusdem condicionis*, uti habet MATTHAEUCCI II, c. 1, n. 39 : « Propter quod est adnotatione dignum, quod in iudicandis gradibus heroicitatis virtutum Servi Dei in concreto, prout est praxis S. R. Congregationis, est attendendus status, sexus, et condicio eorum, de quorum causa tractatur. Circumstantiae enim multum conferunt ad regulandum iudicium. Nam quod in uno est heroicum, potest in alio propter extrinsecam circumstantiam non verificari... Qua item ratione Tob. 1 ut extraordinaria commemoratur gravitas Tobiae ex eo, quod cum esset iunior in Tribu Nephtali, nihil tamen puerile gessit in opere. Qua laude non fuisset digna in sene et annoso morum

gravitas, utpote proprium senum operari considerate et prudenter ». Ex his facile colligitur, virtutem pueri non diiudicari ex eminentia super quoslibet homines, sed *super modum virtuose agendi aliorum puerorum* vel optimorum.

Alterum argumentum petitur ex *doctrina theologica de virtutibus.* — Communis inter theologos sententia est, virtutem heroicam non esse specifice diversam a virtute communi, sec. S. THOMAM III, q. 7 art. 2: « Ad secundum dicendum, quod habitus ille heroicus vel divinus non differt a virtute communiter dicta, nisi secundum perfectiorem modum, in quantum scil. aliquis est dispositus ad bonum quoddam altiori modo quam communiter omnibus suppetat ». Et SUAREZ, in III p. Divi Th. t. I q. 7 art. 2: « Virtus heroica non differt a virtute communi, quia in eadem materia et sub eadem ratione formali seu motivo versantur; et perfectio quam addit virtus heroica, solum est, ut parum aut nihil habeat admixtum vitii contrarii, et facilis et expedita sit ad ferventem et perfectum actum virtutis eliciendum, quae perfectio accidentaria manifeste est ». MARTINUS quidem DE ESPARZA S. I. cuius tractatus de Virtutibus moralibus inter agentes de Canonizatione magno honore habetur, admittit in quaest. 5 distinctionem specificam inter habitum heroicum et communem, sed restringit distinctionem ad virtutes acquisitas: « Quia (ut ait art. 2) certissimum apud me est virtutes per se infusas, utcumque inter se dispares quoad maiorem vel minorem perfectionem operationum procedentium ex ipsis, esse eiusdem semper infimae speciei in iis omnibus, quibus insunt sive incipientibus, sive proficientibus, sive perfectis, atque in supremo perfectionis culmine constitutis, ac proinde totam virtutum istarum differentiam quoad maiorem vel minorem entitativam perfectionem ipsarum, esse differentiam quoad solam maiorem vel mi-

norem intensionem earundem, atque hoc solo modo consequenter differre virtutem infusam, quae est heroica, ab ea quae est ordinaria ». Porro etiam Dona Spiritus Sancti, quorum maxime effectus est alacritas et promptitudo in exercenda virtute heroica, cum gratia sanctificante in ipsa iustificatione infunduntur. Ideo ex hac parte omnis homo iustificatus, dummodo ad usum rationis pervenerit et actus humanos elicere possit, sufficienter dispositus est, ut gratia Dei adiuvante ad actus heroicos progredi possit, nec ratio ostendi potest, cur pueri ex parte Dei minoribus gratiis ac donis instructi esse debeant quam alii. — In universum enim loquendo *pueritia et adolescentia non sunt vitae status a reliquis distincti relate ad ultimum hominis finem*. Etiam puer est homo in statu viae: sicut graviter peccare et in aeternum damnari potest, ita etiam animam suam salvare et gloriam aeternam promereri. Non autem ponenda est distinctio inter negotium salvandae animae et perficiendae. An quis diceret, puerum posse quidem animam salvare, sed maiores gradus gloriae reservatos esse iis, qui vicesimum aetatis annum superassent?

Tertium argumentum desumitur ex *martyrio*. — Omnibus concedentibus habetur in martyrio ex parte subiecti summus et perfectissimus actus heroicus. Qui actus adeo eminet, ut in vero martyre ulterior inquisitio de heroicitate institui non debeat. Atqui exstant exempla puerorum, qui plena conscientia et deliberatione martyrium subire minime dubitaverunt. Ut taceam de antiquis, de AGNETE, PANCRATIO, PONTICO Lugdunensi, PELAGIO Cordubensi aliisque, quorum martyrium historice constat, quin ecclesia expressis verbis iudicium de eo tulerit; habentur inter formaliter canonizatos et beatificatos Martyres THOMAS, ANTONIUS, LUDOVICUS Nangasakienses 14, 13, 11 annorum a Pio Papa IX inter Sanctos relati, et CAROLUS LWANGA

Afer cum quattuordecim sociis infra viginti annorum aetatem a Pio Papa XI inter Beatos adscripti. Atqui si pueris datum est summum gradum virtutis heroicae ascendere, qui manifestatur in martyrio, nemo est qui neget pueros ad exercitium virtutis heroicae in genere capaces esse.

Solvitur Obiectio quaedam. — Dixerit quispiam: Concesso quod pueri capaces sint ad quosdam actus virtutis exercendos, qui speciem heroicitatis prae se ferant. Sed valor virtutis non iudicatur ex initio, sed ex continuatione et fine. Quis autem nisi propheta de puero heroico iudicare potest, utrum virtus eius sit solida, genuina, in posterum duratura? An non videmus tot pueros et puellas in familiis christianis et in ephebeis religiosis angelorum fere ritu viventes, qui tamen postea proh dolor, cum ad maiorem aetatem pervenerint, non solum perfecti et sancti minime evadunt, sed in peccata gravia labuntur, immo a fide deficiunt? In eiusmodi autem pueritia quasi angelica specietenus tantum et secundum apparentiam heroica fuit, minime vero genuina et solida. — Ad hoc respondemus: Agimus ex supposito non de pueris hic et nunc inter viventes degentibus, sed de his, qui praematura morte subrepti sunt, quorum igitur tota vita oculis panditur et iudicio atque crisi subici potest. Ecclesia autem in diiudicanda vita alicuius Servi Dei non inquirit *qualis futurus fuisset, sed qualis fuit.* Profecto praeter Deum, qui etiam futuribilia scrutatur, nemo scit, qualis fuisset Iohanna d'Arc, si ad senilem usque aetatem pervenisset. Tamen cum plena certitudine statui potest et ab Ecclesia statutum est, eam quando vivebat, vere heroice vixisse. Ceterum eadem difficultas non solum circa pueros, sed eodem modo etiam circa adultos moveri potest. Nam etiam adultus in statu viae, etiamsi summum apicem perfectionis ascendisse videatur, potest non solum ab altitudine

perfectionis deficere, sed etiam ipsius animae salutem perdere. Ideo ex hac obiectione hoc unum sequitur, neminem ante mortem canonizari et verum heroem praedicari posse; non vero non in omni aetate vitae mortalis virtutem heroicam inveniri posse.

Sane cavendum est, ne in pueris vel puellis pie religioseque educatis dulcedo quaedam et innata ingenuitas innocentiaque inconscia confundatur cum virtute heroica. Certe ut puer heros praedicari possit, requiritur in eo fortitudo et constantia non pro modulo aetatis tantum, sed quasi supra aetatem, promptitudo ad ardua, indefessus spiritus orationis et mortificationis, abnegatio sui, constantia in tribulationibus, actus viriles caritatis in Deum et erga proximum. Non igitur adstruimus *facile* fieri posse, ut puer vel puella heros praedicetur; sed solum ad quaestionem, quam nobis discutiendam proposuimus, respondemus: Virtus heroica, quae requiritur ad effectum Canonizationis, haberi potest etiam in pueris.

L. VON HERTLING S. I.

QUAESITA VARIA

Statisticae rationes annorum 1928 - 31.

Ad annorum 1927 ab anno 1921, reperientur apud PERIODICA *XIX (1930), (154*)-(158*). Desumptae sunt ex " Annuaire statistique de la Belgique et du Congo belge „, 1933.*

Status	Annus	Incolae	Matrimonia	Ex 1000 incolis	Divortia	Neonati
Anglia	1928	—	303228	7.6	4018	660267
	29	—	313316	7.9	3396	643673
	30	—	315109	7.9	3563	648811
	31	39.947931	311847	7.8	3714	632081
Argentina	1928	—	76617	7.4		309303
	29	10.904022	—	—	—	—
	30	—	—	—	—	—
	31	—	—	—	—	—

Australia	1928	—	48593	7.7	1828	134078
	29	—	47500	7.5	2036	129480
	30	6.476032	43255	6.7	1783	128399
	31	—	38882	6.0	—	118509
Austria	1928	—	49414	7.4	5703	116783
	29	—	51523	7.7	6003	112121
	30	6.722395 (*)	51705	7.7	6573 (*)	112601
	31	— (*)	49717	7.4	6730 (*)	106661
Belgium	1928	8.003269	71485	8.9	2351	146981
	29	8.060189	71811	8.9	2134	146206
	30	8.092004	71624	8.9	2491	151406
	31	8.159185	66168	8.1	2531	148538
Bulgaria	1928	—	55987	10.0	—	185189
	29	—	55851	9.8	—	173417
	30	—	54483	9.5	—	179973
	31	6.600000 (*)	55555	9.5	— (*)	170950
Canada	1928	—	74311	-	785	236757
	29	—	77288	-	816	235415
	30	–	71657	—	875	243495
	31	10.376786	66578	—	684	240108
Cile	1928	—	47671	11.1	–	179594
	29	—	42004	9.6	—	176030
	30	4.287445	39202	9.2	-	169395
	31	—	29052	6.7	—	149488
Dania	1928	–	27300	7.8	2307	68516
	29	—	27725	7.9	2265	65297
	30	3.550656	28974	8.2	2300	60303
	31	—	29020	8.1	—	64299
Gallia	1928	—	338804	8.3	18175	674046
	29	—	334322	8.1	26151	730652
	30	—	342059	8.2	20367 (*)	148886
	31	41.824923 (*)	326358	7.8	21202 (*)	680710
Germania	1928	—	587175	9.2	36928	1.181815
	29	—	589611	9.2	39424	1 147458
	30	—	562648	8.7	40722	1.127450
	31	65.437000	515403	8.0	39971	1.031770
Graecia	1928	—	41262	6.7	1147	189250
	29	—	44450	7.1	1232	181870
	30	—	44649	7.0	1203	199243
	31	6.483000	45517	7.0	—	199243

(*) Numeri ad tempus, nondum plane certi.

Status	Annus	Incolae	Matrimonia	Ex 1000 incolis	Divortia	Neonati
Helvetia	1928	—	30050	7.5	2557	69594
	29	—	31238	7.7	2733	69006
	30	4.066400	32132	7.9	2723	69855
	31	—	32269	7.9	2857	68249
Hispania	1928	—	170642	7.6	—	666240
	29	—	168805	7.5	—	653668
	30	23.560975	(*) 173834	7.6	—	(*) 658949
	31	—	(*) 175016	7.6	—	(*) 649066
Hollandia	1928	—	59128	7.7	2708	179028
	29	—	61482	7.9	2741	177216
	30	7.920388	62911	8.0	2851	182310
	31	—	59422	7.4	3007	177387
Hungaria	1928	—	79634	9.4	5615	224693
	29	—	78518	9.2	5162	215463
	30	—	77907	9.0	5495	219784
	31	—	76354	8.8	—	206925
Hybernia	1928	—	20990	—	—	85125
	29	—	21019	—	—	63690
	30	—	21178	—	—	84232
	31	2.952000	20502	—	—	82759
Iaponia	1928	—	499555	8.0	49119	2.135852
	29	—	497410	7.9	51222	2.077026
	30	64.447724	506674	7.8	51259	2.085101
	31	—	496574	7.6	50609	2.102784
India	1928	—	—	—	—	8.882573
	29	—	—	—	—	8.565341
	30	—	—	—	—	8.690714
	31	351.399880	—	—	—	—

Status	Annus	Incolae	Matrimonia	Ex 1000 incolis	Neonati	Ex 1000 inc.
Italia	1928	40392000	285248	7.1	1.072316	26.7
	29	40706000	287800	7.1	1.037700	25.6
	30	41069000	303214	7.4	1.092678	26.7
	31	41439000	276035	6.7	1.026197	24.9

Status	Annus	Incolae	Matrimonia	Ex 1000 incolis	Divortia	Neonati
Jugoslavia	1928	—	121332	9.1	—	437494
	29	—	128117	9.4	—	452486
	30	—	—	—	—	—
	31	13.930918	—	—	—	—

(*) Numeri ad tempus.

Status	Annus	Incolae	Matrimonia	Ex 1000 incolis	Divortia	Neonati
Lusitania	1928	—	45347	7.3	—	211314
	29	—	44525	7.2	909	200874
	30	6.190999	47746	7.7	958	202529
	31	—	44908	6.7	865	204120
Luxemburgia	1928	—	2723	9.4	79	6114
	29	—	2676	9.1	72	6210
	30	299782	2704	9.0	95	6377
	31	—	2607	8.7	122	5988
Norvegia	1928	—	16683	6.0	834	49881
	29	—	17795	6.4	813	48372
	30	2.814194	12064	6.4	873	47844
	31	—	17756	6.3	855	(*) 47236
Polonia	1928	—	(*) 294788	9.8	—	(*) 983720
	29	—	(*) 300625	9.8	—	(*) 987797
	30	—	(*) 300421	9.7	—	(*) 1.015834
	31	33.120020	(*) 273332	8.6	—	(*) 965795
Suetia	1928	—	40573	6.6	2113	97868
	29	—	41719	6.8	2188	92861
	30	6.141571	43858	7.2	2218	94220
	31	—	(*) 42988	7.0	2346	(*) 91004
Tchecoslovachia	1928	—	137201	9.5	5416	337269
	29	—	139200	9.5	5379	326307
	30	14.723234	(*) 136987	9.3	5697	(*) 333587
	31	—	(*) 129909	8.3	—	(*) 318452
Uruguay	1928	—	11026	6.2	629	44632
	29	—	11731	6.4	655	44236
	30	1.876606	11799	6.3	633	45718
	31	—	11168	—	—	—
Venezuela	1928	—	12406	—	—	92093
	29	—	11809	—	—	92991
	30	—	9815	—	—	91502
	31	—	8499	—	—	87434
Nova Zelandia	1928	—	10537	7.6	785	27200
	29	—	10967	7.8	843	26747
	30	—	11075	7.8	839	26797
	31	1.526860	9817	6.8	—	26622

(*) Numeri ad tempus.

De Re quadragesimali.

Recolenti quae ad normam can. 1251 et 1254, de ieiunii lege tenenda sunt, legendum occurrit quod Cl. D. Armandus Gougnard, Mechliniensis Seminarii professor egregius in Ephemeridibus Theologicis Lovaniensibus (1) sub titulo « A propos de Carême » habet scriptum.

In hoc articulo cl. auctor iure meritoque notat, et Ecclesiam in novo Codicis iure generalem ieiunii legem mitigasse et nihilominus multos numerari qui de facto non ieiunant eo quod eadem nisi gravi cum incommodo servare queunt.

Dicendumne igitur, quaerit ipse, legislatorem ecclesiasticum talem promulgasse ieiunii legem quae vel moraliter observari nequeat vel, quod in idem recidit, quae paucos modo tenere videatur ?

Conveniendum sane cum auctore Codicem, spectatis tum prudentia tum vel maxime legislatoris honestate, nullam prorsus legem impossibilem edicere; at tamen cur legem quae non multos absolute Christi fideles attingat idem continere nequit ?

De facto dantur in Codice leges, et quidem generales, quae pauciores respiciunt personas quam quae nostris diebus, non obstante praescripto canonis 1251 § 1, et ieiunio tenentur et quia tenentur ieiunant.

Quod si ita est, nec alia argumenta quam quod lex ieiunii generalis est a laudato auctore afferuntur ad probandum Ecclesiam nova lege voluisse multos, plurimos, inquam ad ieiunium compellere, non video qua ratione vere iuridica ipse innitatur ad carpendum vel reprehendendum vel Theologiae Moralis auctores vel etiam confessarios qui, legitima consuetudine fulti docuerunt et docent diebus ieiunii praeter unicam

(1) Ephem. Theol. Lov. an. 1927, pp. 207-211.

comestionem licere mane 60, vespere 250 gram. circiter cibi sumere; ex quo consequitur multos ieiunium sine gravi incommodo servare non potuisse et ideo ab eius lege sese dispensatos reputare.

Neque si illa legislatoris voluntas multos, — multo saltem plures quam qui nunc ieiunii lege tenentur, — obligandi non melius probatur, nulla adeo cogens apparet necessitas, cui citatus auctor suffragari videtur, qua ubi adhuc probata tum frustuli tum coenulae consuetudo defuerit, curandum sit ut in his tanta cibi quantitas extra plenam refectionem sumenda permittantur qua et ieiunare et simul proprii status obligationibus satisfacere vere possibile reddatur.

Mihi enim videtur Ecclesiastici ieiunii essentiam in eo esse quod unica tantum vera comestio in die habeatur; comestio, inquam, non ita intelligenda ut in ea cuique tantum cibi sumere liceat quantum quis inglutiendi sit physice capax, id enim virtute temperantiae vetatur, sed ea comestio in qua quantitas cibi tanta est ut iuxta communem hominum existimationem plena moraliter et propria detur refectio.

Porro si vel maxime nostris caritatis atque necessariae temperantiae diebus quantitas cibi quae iuxta probatos auctores in coenula permittitur notabiliter augeatur, consequetur inde aut duas iuxta moralem existimationem sumi refectiones aut, si mavis, nullam haberi veram comestionem; ideoque in neutro casu ecclesiasticum ieiunium unica comestione formaliter servari.

Quare cum auctore discrepamus tum de commodo regulae a Laymann (Theolg. Mor. L. IV, tr. VIII cl. n. 10) desumpta tum etiam de utilitate alterius regulae a Theologia Mechliniensi depromptae, qua scilicet « unicuique licebit tantam cibi quantitatem sumere quanta exigitur ut proprii status officia adimplere possit ».

Quod praeterea effici adhuc posset. Demus aliquem

scientificum virum quandam ciborum synthesim invenire quae in minima quantitate, puta 100 gram. suscepta cuilibet operario, etiam si ad laboriosas nordicas regiones pertineret, sufficeret ut obligationibus propriis facere satis posset. Numquid in casu, ut ieiunium servaretur, probata quantitas 250 gram. circiter novi inventi cibi sumi necnon liceret?

Regula allata supponere videtur hanc ieiunii legem mortificationem in cibis sumendis praescribere tamquam si haec ieiunii lex esset ut quisque sumeret quanto indiget ad officia proprii status implenda, sese simul in quantitate cibi paulisper mortificando. Quod non ita est; nam ieiunii lex unicam tantum in die comestionem habere praescribit quae, spectatis generalibus locorum personarumque adiunctis, legislatoris iudicio et voluntate quamdam mortificationem in cibis ita ieiunantibus afferet. Haec porro mortificatio finis legis est quem legislator tantum vult obtinere ubi possibilitas legem servandi exsistat.

Certum prorsus est cath. Ecclesiam desiderare et hortari ut in tempore quadragesimali, praesertim vero diebus ieiunii, fideles quo sese Liturgiae spiritui magis conforment in cibis sumendis christianam mortificationem adhibeant. Quod vero hoc per legem Ipsa ab eis velit obtinere qui ieiunare rationabiliter non possunt, prorsus negandum. Hic fortasse applicari posset illud effatum: « Afflictio afflicto non est addenda ».

Sit igitur, illam consuetudinem (quod ad quantitatem cibi in frustulo et cenula diebus ieiunii permissam attinet), in locis ubi formata aut probata non sit (sed ubi non formata invenietur?) ita institui posse ut aliquantulum actualem generalem probatam excedat, sed recordandum etiam quod ubi ea adsit difficillime amplificari poterit. Requireretur enim saltem non minus quam quod fideles loci regionis, dioecesis, natio-

nis, etc. per 40 annos continuos (D. 27 I.), et maiorem cibi quantitatem quam quae a probata consuetudine permittitur scientes sumerent et simul ieiunare contra canonum preascriptum autumarent.

M. Fábregas, S. I.

De Sollicitatione.

Titius, confessarius, in certo loco confessiones excipiens, ibi detegit crimen sollicitationis patratum a sacerdote quem Superiores iam pluries monuerant de vitanda familiaritate cum quibusdam paenitentibus. Titius curavit ut crimen ad Ordinarium deferretur. Postea rescivit sacerdotem reum, in illo loco confessiones iam audire non posse.

Reversus alia occasione in istum locum, audivit sacerdotem gravius fuisse punitum suspensione a Missa celebranda per aliquod tempus, exercitatione spirituali facienda et privatione officii. Has poenas commisit postquam alius paenitens adivit Dominum Decanum ut suae conscientiae consuleret, et D. Decanus ad Ordinarium perrexit. Titius supposuit (non investigavit rem) sacerdotem istum iterum ob simile crimen fuisse denuntiatum: paenitens enim litterasad Ordinarium mittere debuit.

Sed Titius confessiones excipiens alios paenitentes invenit qui fuerunt sollicitati. Magis tamen de re inquirere neglexit, eo quod periculum relapsus sit amotum; namque circumstantias et aetatem provectam sacerdotis considerans, certus erat nullum iam officium ipsi commissum iri.

Narrat praeterea aliquis paenitens se a suo confessario (valde probabiliter eodem Decano) fuisse obligatum ad litteras sacerdotem accusantes mittendas

Ordinario. Sed cum id facere renuisset a suo confessario hoc onere levatum esse. Quod audiens, Titius securius iam perrexit omittere indagationem accuratam de exsistentia criminis et obligatione consequente.

Inde quaeritur:

Num omnes sollicitati monendi sunt de obligatione denuntiandi, etiam quando sollicitatus punitus est, et Ordinarius supponere potest plures fuisse sollicitatos; idque etiam si nullum iam sollicitans officium implet?

Quod si affirmative; quid Titio facinendum est ad reparandam neglegentiam suam? Potestne, inconsultis paenitentibus, rem deferre Ordinario, dicendo, suppressis nominibus, in eo loco adhuc alios sollicitatos esse, et dispensationem petere a facienda denuntiatione? eo magis quod, sinistrae oblocutiones post discessum sacerdotis exortae, iam oblivione teguntur, et fortasse, si indagare oporteret, iterum renascerentur?

Resp. Si re vera timendum est ne reviviscant pravae oblocutiones quae nunc sopitae sunt, cum nullus relapsus iam sit possibilis, attenta aetate sacerdotis eiusque remotione ab officio, Titius nihil facere debet ad reparandum neglegentiam suam. Sin aliter, debet monere debet paenitentem de sua obligatione denuntiandi. Confessarius enim debet iudicium Ordinario vel S. Officio permittere de actione post factam denuntiationem. Ipse debet simpliciter oboedire canoni 904.

Rigore sigilli confessarius prohibebatur, inconsultis paenitentibus, Ordinarium certiorem facere esse in hoc loco alios sollicitatos.

De irregularitate.

Iuvenis quidam seminarista, qui solos minores ordines receperat, persuasus a parocho impedito, sol-

lemniter praefuit sepulturae ecclesiasticae: corpori defuncti dedit absolutionem, pronuntians formulas liturgicas.

Nunc in eo est ut suscipiat subdiaconatum.

Quaerit iam nonne debeat petere dispensationem ab irregularitate. Egit enim cum anxietate et dubitans ne fortasse fieret irregularis.

Resp. In rigore iuris potest ascendere ad ordinem superiorem sine dispensatione. In dubio enim non est irregularis. Protegitur canone 986: « Haec delicta irregularitatem non pariunt, nisi fuerint gravia ». Seminarista aliquanto agitatus, sed mandato parochi confortatus, non videtur grave peccatum fecisse. Si facile potest sine incommodo, utiliter tamen petet dispensationem ut perfecta pace fruatur.

Solutio casus de Iustitia, propositi p. 48*.

Rogamur de variis sententiis prolatis iudicium pro veritate proferre. Quod ita praestandum arbitramur.

1. De sententia Primi. Cum domna, dum emit anserem, nullatenus suspicaretur inter eius viscera contineri anulum aureum, nullum animum habuit domini de isto anulo; ac proin ad ipsam non pertinet ut accessorium rei principalis. Conferas istum casum cum alio bene noto cuiuspiam qui emit agrum in quo latet thesaurus. Possessor agri non habet animum domini in thesaurum, sibi ignotum.

2. Secundus errat volendo ad possessionem anuli applicare regulas de thesauro. Thesaurus enim, ut notas communes demus variarum legum, est res mobilis, abscondita vel infossa, quam nemo suam esse probare potest. (Cfr nostram Theolog. mor. II, ed. 2, n. 395). Liquet igitur desiderari primam condicionem ut anulus sit thesaurus. Nemo enim anulum abscondit vel infodit.

3. Tertius nullam causam afferre potest cur anulus esset pio operi tribuendus. Non agitur enim de re furto sublata, et de obligatione furis restituendi domino, vel, si eum reperire nequeat, causae piae.

4. Tandem Quartus nodum bene solvit. Quamdiu famula de re quam invenit inter viscera volucris nullum actum dominii fecit, anulus manet res nullius. Potest autem famula exercendo animum domini, anulum facere suum.

Casus de matrimonio condicionato et de duplici effectu.

Titius, cum novisset sororem sponsae suae fuisse affectam morbo, matrimonium contrahit cum sponsa sub condicione, dummodo non habeat dispositionem ad istum morbum. Quare fit exploratio sponsae a duobus peritis medicis. Ambo declarant sponsam esse perfecte sanam, nihil in ea esse quod locum det timendi istum morbum.

Addunt tamen fieri posse ut, ob causam ignoratam, quaedam morbosa dispositio se revelet.

Titius, hoc audito, suam condicionem revocare non vult, sed in ea firmiter perseverat.

Valetne matrimonium, an debet prius Titius voluntate absoluta matrimonium contrahere?

Pro validitate matrimonii argumentantur, *moraliter* constare de impleta condicione; quod sufficere videtur. Ita in dubia impotentia; ita in dubio de morte prioris coniugis, permittitur matrimonium cum habetur certitudo moralis. Atque in genere practice procedi potest quando res *moraliter* constat.

Ex altera parte, contra valorem matrimonii observant, ab eo qui intendit consensum suspendere, non

dari consensum qualis can. 1081, § 2 postulari videtur. A viro autem omnino pendet ut det consensum absolutum nec sibi reservet ius recedendi a matrimonio si, praeter exspectationem, morbi dispositio se revelet.

Quid igitur dicendum in casu?

II. Titius in Germania damnatur ad patiendam duplicem vasectomiam, ne infantes generet non bene physice constitutos. Permittitur tamen ipsi ut, si velit non pati operationem istam, claudatur in hospitium per totam vitam suam. Hoc audiens, existimat sibi licere omnino pati vasectomiam, ut possit libere in civitate sua ambulare et omnia facere quae reliqui faciunt. Allegat duplicem effectum et citat Lugo qui permittit ut vir cui quis minatur mortem, sibi amputet brachium, ut sic salvus fiat. Estne recta applicatio duplicis effectus?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Sancti Roberti Bellarmini

Instructiones pastorales habitae in visitatione Ecclesiae Cathedralis de pastore et ovibus.

Ineunte anno Domini 1602, vacante sede ecclesiae Capuanae, obitu Caesaris Costae Archiepiscopi, electus est ad regimen eiusdem sedis, Robertus Card. Bellarminus. Die 21 Aprilis, dominica altera post Pascha, quando legitur evangelium boni pastoris, ab ipso Papa consecratus est episcopus et mox pallio insignitus; ac mirantibus multis, immo ipso Clemente Papa VIII, — nam ut plurimum cardinales curiales tunc temporis avelli vix poterant a Curia — iam initio mensis Maii sollemni ingressu intravit archiepiscopus ecclesiam cathedralem.

Per triennium solum, ipso praedicente, Ecclesiae Capuanae, decessoris incuria haud mediocriter delapsae, pastor praefuit; multa tamen brevi temporis spatio verbo, exemplo, opere perfecit, ut omnia instauraret in Christo: ter visitavit totam dioecesin, ter celebravit synodum dioecesanam, semel convocavit concilium provinciale, quod annis octodecim non erat

convocatum. Amabatur a populo sicut et ipse populum amabat; potestates autem civiles eum venerabantur ut servum Dei (1).

Reformationis initium fecit Sanctus Archiepiscopus a visitatione cathedralis Ecclesiae, quo tempore, meditans de officio boni pastoris, quattuor sermones composuit de pastore et ovibus (2), sibimetipsi autem confecit hos canones (3), quos ad unguem observavit.

Officia Episcopi sunt XII.

Tria erga Deum, tria erga clerum, tria erga populum, tria erga templum.

Tria erga Deum: 1° Sacrificare quotidie, *Hebr.* 5 et 7. — 2° Laudare septies in die, *Psalm.* 118. — 3° Orare semper, *Luc.* 18. Et haec debent fieri summa diligentia, quia sunt officia divina, quibus debent postponi omnia officia humana, ut dicit S. Bernardus in sua Regula.

Tria erga clerum: 1° Ordinare clericos omnium ordinum adhibito diligentissimo examine. — 2° Distribuere beneficia secundum iustitiam commutativam et distributivam, id est: dando ea utilioribus ecclesiae et magis merentibus. — 3° Visitare quotannis omnes paroecias et vocare parochos omnes et alios ad synodum dioecesanam, ibique omnes instruere, monere, corripere, etc.

Tria erga populum sunt: 1° Docere. — 2° Ministrare Sacramentum Confirmationis. — 3° Formam se praebere bonorum operum, maxime in eleemosynis, quod non solum est charitatis, sed etiam iustitiae.

Tria erga templum sunt: 1° Instruere omnibus

(1) De regimine ecclesiae Capuanae cf. *Autobiographiam* 35-38, apud X. M. Le Bachelet S. I, *Bellarmin avant son Cardinalat*, Paris 1911, pag. 461-463. Vide etiam notam ultimam pag. 103*.

(2) Arch. P. Un. Gregor. 385a, fol. 357r-372r.

(3) Arch. P. Un. Gregor. 385a, fol. 372v.

utensilibus magno studio. — 2⁰ Consecrare ecclesias, altaria, calices et similia. — 3⁰ Frequentare ecclesiam, saltem festis diebus, ut caeteri sacerdotes contineantur in officio, etc.

In visitatione prima Ecclesiae cathedralis quattuor habuit — ut modo dixi — Sanctus Robertus sermones, plenos sapientiae et Spiritus Domini. Eos notulis quibusdam illustratos lectori propono. Utilissimi sunt non solum historiographis, sed etiam iis omnibus quibus cura pastoralis cordi est, sive ut scientia sive ut praxis. Mira simplicitate et claritate agit Sanctus Doctor de officiis pastorum et ovium; multa attingit, quae et hodiedum haud exigui sunt momenti; prae ceteris noto ea quae dicuntur de praedicatione et peccatis socialibus. Sed videat ipse lector.

Inspiratus est Neo-episcopus in hisce sermonibus conficiendis a Sancto Augustino eiusque tractatu *de pastoribus et ovibus in Ezechiele*, quem tractatum per modum duarum contionum invenies in editione Migniana (serm. 76 et 77), tom. 38, pag. 270-317.

Quod si videre iuvat, quomodo Bellarminus ipse factis perfecerit quod hisce sermonibus verbis docuit, videas J. Brodrick, S. I., *Blessed Robert Bellarmine*, vol. II, cap. 20: Pastor Bonus; et A. Fiocchi S. I., *S. Roberto Bellarmino*, cap. 21: Il buon Pastore di Capua.

Sermo Primus

in visitatione Ecclesiae Cathedralis.

(De Pastore: pars prima)

Explicandum est, cur sit necessaria visitatio.

Officium Episcopi est partim cum Deo, partim cum populo. Sic dicunt Apostoli [*Act.* 6, 4]: *Orationi et verbo instantes erimus.* Oratio cum Deo; verbum cum populo. Sed cum oratione coniungitur laus, et cum

verbo coniungitur sacramentum. Nam episcopus primo instruit populum, secundo confert sacramenta; sed ad utrumque requiritur magna Dei gratia; ideo necessaria est oratio. Et quia Deus paratus est multa donare, sed vult tributum laudis, quod propriissime Deo convenit, qui est auctor omnis boni: ideo oportet assidue laudare.

At haec omnia solus non potest. Non enim potest toti dioecesi praedicare et sacramenta dare, nec sufficit orare et laudare quantum oportet. Ideo dati sunt illi coadiutores, sicut Moysi dedit Deus [*Num.* 11, 16] 70 seniores in coadiutores: canonici sunt coadiutores in officio cum Deo, parochi in officio cum populo. Sed non ideo ipse debet otiari quia divisit officia aliis; non enim adiuvatur, qui nihil facit; sed debet prae ceteris haec omnia agere. Nec solum debet omnia agere, sed etiam superintendere aliis, et curare ut alii recte agant. Cura enim proprie ad episcopos pertinet, *quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* [*Act.* 20, 28]. Unde si canonici et parochi non funguntur suo munere, culpa recidit in episcopum, qui potest et debet eos dirigere.

Haec est ergo prima causa visitationis (f. 357 v). Debet circumire Ecclesias et parochias, ut videat, si sui coadiutores funguntur suo munere. Nec sufficeret vocare eos ad se, quia dicerent quicquid vellent, etc.

Altera causa est, ut suppleat multa, quae per parochos fieri non possunt, ut est confirmatio, absolutio a casibus reservatis, consecratio altarium, calicum, indumentorum, etc.; ut correctio cleri, qui non potest corrigi nisi a Praelato; ut reformatio populi in peccatis publicis et gravibus, quae per parochos exstirpari nequeunt, ut concubinatus, usura, superstitiones et super omnia haereses.

Tertia causa est exemplum Christi et Apostolorum. Christus enim non manebat semper Hierosolymis et exspectabat, ut eum populi adirent. Sed circuibat per civitates et castella docens et curans. Item Sanctus Petrus *Act.* 9, 32 transibat per omnes ecclesias, visitans eos, et *Act.* 15, 36 Paulus dixit Barnabae: *Revertentes visitemus fratres per omnes civitates, in quibus praedicavimus Verbum Domini, quomodo se habeant.*

Non debet esse molesta sed grata visitatio, quia non est proprie iudicis, sed patris et pastoris et medici. Unde non ordinatur ad faciendos processus, sed ad corrigendum fraterne. Huius rei signum est, quod incipit visitatio cum oratione pro mortuis, ut etiam illi sentiant utilitatem visitationis. Magnus abusus est, quod (f. 358^{r}) homines vix adduci possunt ut denuncient, timentes offendere proximos; et ut corrigantur, timentes haberi mali. Primus est vanus timor, quia non tenentur denuntiare, nisi peccata publica, excepta haeresi. Et minus malum est offendere proximum, qui iniuste conquiritur, quam Deum, qui iuste conquereretur. Secundus timor est vanior, quia bonum est corrigi in hoc mundo ut curentur, quam in alio ut puniantur. Exemplum de morbo vel macula in vultu. Sed quare homo aegre fert corripi quoad vitia animae et non quoad maculas corporis vel morbos corporis? Quia homines ordinarie volunt pulchritudinem et sanitatem veram et omnia alia vere bona; et solam personam suam non vult bonam vere, sed apparenter; id est: vult non esse bonus sed haberi, et ideo aegre fert corripi, quia videt se non haberi bonum. Haec est superbia diaboli, hypocrisis pessima, quam venit Christus destruere. Ideo oportet reflexionem facere et praeparare coetus.

***

Ut igitur visitatio sit utilior, non solum visitare volo templa materialia (1) et personas singulares, sed etiam templum spirituale et personas in communi; quod fiet tractando de officio boni et mali pastoris, ut a me ipso visitatio incipiat, et de officio boni et mali gregis. Sed cum tractabo de pastore, simul tractabitur de coadiutoribus eius, id est: de reliquo clero. Erit haec tractatio utilis nobis et vobis. Nobis erit frenum in malis, et stimulus in bonis, quia non poterimus excusari ob ignorantiam; vobis, quia videntes periculum nostrum, non invidebitis sed compatiemini.

Officium boni et mali Pastoris habetur in *Ezechiele* cap. 34, 1 sqq. Nam ex officio mali colligitur officium boni. Quattuor puncta tangit Propheta. Primo dicit: *Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos* et declarat: *Lac comedebatis et lanis operiebamini.* Secundo dicit: *Gregem meum non pascebatis,* et declarat: *Quod crassum erat, occidebatis; quod infirmum fuit, non consolidastis,* etc. (f. 358^{v}). Tertio dicit: *Requiram gregem meum de manu eorum,* etc., ubi ponitur poena mali pastoris. Quarto: *Ego ipse pascam oves meas,* ubi ponitur consolatio ovibus, qui habent malos pastores.

Quoad primum: malus pastor est, *qui pascit seipsum;* bonus, *qui non pascit seipsum.* Pascere seipsum est ex officio pastoris quaerere propriam utilitatem. Nam officium pastoris, sacerdotis, clerici, principis etiam et magistratus, non est institutum pro utilitate propria, sed pro utilitate aliorum. Patet. Nam primo: gratia gubernandi est gratia gratis data, non gratum faciens ex Apostolo 1 *ad Corinthios* [12] et *ad Roma-*

(1) De cura quam habuit Bellarminus ipsius Cathedralis, cf. *Autobiogr.* 36, *loc. laud.* pag. 461.

nos [12] et *ad Ephesios* [4]. Secundo: Petrus *epistola* prima cap. 5, 2 monet *pascere gregem non coacte, sed spontanee, nec turpis lucri gratia, sed ex animo.* Ille coacte pascit, qui indiget victu et ideo assumit officium pascendi; ille turpis lucri gratia, qui non cogitur necessitate paupertatis, sed cupit ampliare divitias; et est turpe lucrum, quia vilissimo pretio vendit rem pretiosissimam. Tertio: Sanctus Augustinus saepe repetit, episcopos esse Christianos propter se, et Episcopos propter populum. Et Aristoteles lib. 8 *Ethicorum* (1) ponit in hoc discrimen regis et tyranni. Hinc apparet abusus plurimorum, qui volunt ordinari ob egestatem suam et suorum, quasi sacerdotium sit ars panis lucrandi. Dicunt se ordinari ad titulum patrimo (f. 359^{r}) nii, sed ordinantur ad titulum paupertatis. Hinc est factus contemptibilis ordo ecclesiasticus. Olim ordinabantur paucissimi, ut patet ex vitis Sanctorum Pontificum, nunc turbae. Sed gravius peccant, qui quaerunt episcopatus vel magnas abbatias, etc., ut ditescant, etc.

Sed videamus, quid sit: *Lac comedebatis et lanis operiebamini.* Per lac intelligitur victus, per lanam vestitus, et in his includitur totum quod requiritur ad vitam sustentandam, ut domus, iumenta, famuli, etc. Non est illicitum haec sumere ab ovibus. Nam Dominus dicit [*Math.* 10, 10]: *Dignus est operarius cibo suo.* Et Paulus: [1 *Cor.* 9, 7] *Quis pascit gregem, et de lacte eius non comedit?* Et hinc sunt ordinatae decimae in utraque lege, veteri et nova.

Sed illicitum est pascere gregem pro lacte et lana, cum e contrario sint sumenda lac et lana, ut vires suppetant ad pascendum. Sicut non est vivendum, ut comedamus; sed comedendum, ut vivamus. Signum,

---

(1) Augustin., *Serm.* 46, 1, 2: ML 38, 270 et Aristot., *Ethic.* VIII, 12 : 1160 b.

si quis quaerat officium pascendi, ut habeat lac et lanam, est : si negligat officium et si plus velit, quam sit necesse. De altari vivere licet, non luxuriari, non ditescere, non ditare suos. Habentes victum, et quibus tegamur, his contenti simus. Reliqua pauperum sunt (1).

Sed per lanam non solum intelligitur vestis ad arcendum frigus, sed etiam ad tegendam turpitudinem nuditatis et ad distinguendos gradus et ad honorandum. Unde Sanctus Augustinus in libro *de pastoribus* dicit (2), quod lana significat honorem, quo populi afficiunt pastores. Episcopus enim si consideretur ut homo, est sicut caeteri : mortalis, miser, (f. 359^{v}) peccator ; sed populus cooperit hanc infirmitatem lana honoris. Respicit enim illum, ut Angelum Dei, immo ut ipsum Christum et ideo ei libenter subicit caput ad benedictionem. *Excepistis me*, inquit Apostolus [*Gal.* 4, 14], *ut Angelum Dei, ut Christum Iesum.* Nec immerito. Nam *Malachias* [2, 7] dicit de sacerdote : *Angelus Domini est.* Et Christus [*Luc.* 10, 16] : *Qui vos audit, me audit.* Et Deus in *Psalmo* [81, 6] : *Ego dixi : Dii estis.* Quod explicat Dominus in *evangelio Ioannis* [10, 34] de illis, ad quos sermo Dei factus est, id est, de Praelatis, quibus Deus loquitur, ut mediatoribus inter se et populum. Hinc Ioannes Climacus gradu 4^{0} dicit (3), Deum aperire oculos subditorum, ut videant virtutes Praelati, et claudere, ne videant vitia Praelati. Diabolum contra, etc. De hoc honore idem dicendum, quod de victu et vestitu, nimirum non esse illicitum, immo debitum ; sed illicitum esse illum habere pro fine, et plus velle quam debea-

(1) In visitatione quadam facta festo SS. Petri et Pauli, Bellarminus haec dicit : « Haec visitatio non debet esse molesta. Tria sunt, quae nonnullos contristant in visitatione. Primo *expensa*... De primo nihil timendum, quia quamvis sit dignus operarius cibo suo, et non deberent inviti temporalia dare iis, a quibus accipiunt spiritualia ; tamen volo imitari Apostolum Paulum, et nihil accipere omnino », Arch. P. Un. Gregor., 385a, fol. 381v.

(2) Augustin., *Serm.* 46, 3, 6 : ML 38, 273,

(3) Ioan. Climac., *Scal. Parad.*, grad. 4 : MG 88, 715.

tur; et quod debetur officio, existimare quod debeatur personae. Immo bonus pastor, licet corpore sedeat altius, corde prosternit se ad omnium pedes, omnes meliores putans. Inde mitis et affabilis omnibus est.

S. Basilius in *Quaestion. diffusius* [*tractat.*], q. 30 dicit (1), Praelatum debere esse affectum ad suum officium, sicut chirurgus alicuius xenodochii, qui versatur in plagis curandis et abstergenda sanie. Ex quo officio non potest inflari sed humiliari et compati, etc.

Sermo Secundus

in visitatione Ecclesiae Cathedralis.

(De Pastore: pars altera)

Quo ad secundum: *Gregem meum non pascebatis.* Pascere tenemur verbo et sacramentis, oratione et exemplo.

Verbi obligatio est maxima: Nam primo per Ezechielem horribiliter minatur Deus speculatori (f. 360r) non annuntianti populo, ut caveat a gladio evaginato supra peccatores, cap. 3 et 33. Isaias quoque cap. 56, 10 vocat speculatores caecos et canes mutos non valentes latrare, et declarat hos esse pastores, qui non habent intelligentiam nec zelum. In evangelio Christus mittit Apostolos, quibus episcopi successerunt, praecipue ad praedicandum, [*Marc.* 16. 15]: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.* Et [*Ioan.* 20, 21]: *Sicut misit me Pater, ego mitto vos.* Ipsum autem misit Pater evangelizare, [*Luc.* 4, 18]: *Ad evangelizandum misit me.* Item alibi, [*Luc.* 4, 43]: *Oportet me evangelizare, aliis ieiunantibus, quia ideo missus sum.* Et tota vita eius non fuit aliud quam praedica-

(1) Basil., *Regul. fusius tractatae:* interrog. 30: MG 31, 993.

tio, oratio et miracula, quae duo sunt propter primum. Iam Apostolus monet episcopum [2 *Tim.* 4, 2]: *Praedica verbum, insta opportune importune,* etc. *Opus fac evangelistae.* Idem Concilium Tridentinum sessione 5 et 24, ubi dicit praecipuum munus episcopi esse praedicationem, et Concilium 4 Carthagin. cap. 20, prohibet Episcopis curam rei familiaris, ut soli lectioni, orationi et praedicationi vacare possit. Et Concilium Moguntinum cap. 25 et postea Tridentinum, statuunt, ut saltem diebus Dominicis et solemnibus praedicetur (1). Denique idem significat cathedra episcopalis. < Ego praedicabo assidue, sive multi sive pauci adveniant. > (2) Malus pastor aut non praedicat, aut male praedicat. (f. 367 r marg.). Olim soli episcopi praedicabant. Deinde coeperunt dormire. Et Deus misit fratres mendicantes, qui eos excitarent et iuvarent. Sed illi male usi sunt hoc adiutorio: coeperunt erubescere praedicationem. At res est nobilissima, ad quam faciendam venit Deus in mundo. Et ideo nullam habent excusationem. Alii praedicant, sed non bene. Debet enim praedicator esse fidelis et prudens. Fidelis praedicat Christum, non se. Facit, ut sponsa amet sponsum, non se, qui est custos sponsae. Item fidelis non timet repre (f. 368 r marg.) hendere, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Qui vult amari Deum, non se, nihil timet. Prudens est, qui dat cibum in tem-

---

(1) Concil. Trident. 2; sess. 5 de reform. 2; sess. 24 de reform. 4: Mansi XXXIII, 30 et 159. Concil. Carth. IV can. 20: Mansi III, 952; Concil. Mogunt. cap. 25, citat. a Tridentino sess. 24, *loc. laud.* pag. 159.

(2) Verba uncis inclusa, postea expuncta sunt ab ipso Bellarmino. Attamen perfecte exsecutus est quod hic promisit. Quod testantur scripta relicta necnon *Autobiogr.* 36, *loc. laud.* pag. 461. Vide etiam H. VAN LAAK S. I., *Ad sermones sacros Capuanos* in Gregorianum XII, 1931, 285 sqq. In primo sermone ad populum Capuanum, in die Ascensionis anni 1602, Bellarminus ait: « Praedicare studebo pro viribus. Non debetis exspectare a vero pastore flores et folia eloquentiae, sed fructus maturos, id est: doctrinam veram et utilem ». Arch. P. Un. Gregor. 385, fol. 518r.

pore, qui accommodat se auditoribus et non vult ubique ostendere sapientiam suam. (1) (f. 360r cont.)

De pastura per Sacramenta, ea pertinent ad episcopum proprie quo ad ordines et confirmationem. Reliqua pertinent ad episcopos per parochos. Unde Paulus [1 *Cor.* 1, 17]: *Non me misit Dominus baptizare, sed praedicare.* Malus pastor dat ordines per (f. 360v) favores et indignis, contra illud [1 *Tim.* 5, 22]: *Nemini cito manus imposueris.* Et canones concilii bene providerunt, sed non servantur. Debent esse sal terrae et lux mundi, id est docti et probi. Et melius est paucos bonos habere, quam multos malos. Sic etiam in confirmatione est magnus abusus, quod datur infantibus trium quatuorve annorum. Sic enim datur sine reverentia et sine dispositione debita. Baptismus solus debet dari infantibus ob necessitatem; et sic etiam, si confirmatio esset necessaria infantibus, daretur simul cum baptismo. Sed non est necessaria, sicut nec communio, et ideo danda est adultis, qui incipiunt tentari ad peccandum, et debet dari instructis circa rudimenta fidei et cognoscentibus quid percipiant. Unde in plerisque locis non datur nisi post septennium. Sanctus Card. Borromaeus requirebat annum duodecimum. Itaque deinceps nemo admittetur, nisi examinatus habeat septem annos et sciat memoriter *Pater*, *Ave Maria* et *Credo*, de quo habebit testimonium parochi sui. Et nisi fuerit confessus, si sit paulo

(1) In Synodo tertia dioecesana dixit Bellarminus ad clerum: « In contione... dicantur vera, utilia, accommodata populo. Debent singulae partes examinari, ad quid proderunt. Duo fines sunt Christianae contionis: instructio intellectus et inflammatio voluntatis. Pro primo declarandi sunt articuli symboli, praecepta decalogi etc.; pro secundo tractandum est saepe de novissimis et de passione Christi et de vanitate mundi, etc. ». Arch. P. Un. Gregor. 385a, fol. 373v - 374r. Quaenam fuerit conditio scientifica ipsius cleri, patet ex verbis Bellarmini ad parochos in quadam Synodo dioecesana: « Tenentur habere doctrinam sufficientem. Non sufficit dicere: non scio. Quia non admittitur excusatio in artifice, qui profitetur aliquam artem. Tenentur scire catechismum perfecte et Sacramentorum administrationem. », Arch. P. Un. Gregor. 385a, fol. 375r.

maior, et dabitur (ut plurimum) mane et ieiunis, adstantibus toto tempore celebrationis huius Sacramenti.

De oratione. Tenemur omnes clerici assidue orare, laudare, sacrificare pro populi salute aeterna et temporali. Et hic duplex imminet necessitas. (f. 361 r) Haec enim ratione Dei et ratione populi diligentissime obeunda sunt.

Ratione Dei, quia haec tractantur immediate cum Deo, unde dicuntur officia divina, quae sunt anteponenda omnibus officiis humanis. Primo, quia Deus est Rex magnus super omnes ; secundo, quia cognoscit et videt omnes imperfectiones et displicent ei, cuius omnia perfecta sunt opera ; tertio, quia Deus habet millia millium Angelorum, qui eum laudant et orant pro nobis sine intermissione et summa diligentia. Unde nos comparatione eorum sumus veluti ranae coaxantes in paludibus respectu avicularum in ramis arborum cantantium ; et ideo admissi ad tantum munus, ut cum Angelis chorum faciamus, maxima poena digni sumus, si opus Dei faciamus negligenter (1).

Ratione populi tenemur diligentissime haec obire, quia peccata populi comedimus. Nam redditus ecclesiarum, exceptis decimis, sunt dona populorum, relicta pro salute animae. Unde tenemur orare Deum et impetrare, ut non peccent; et si peccent, habeant gratiam conversionis et post mortem liberentur a poenis purgatorii. Et quidem sacrificium semper prodest, sed magis prodest oblatum a bono ; reliqua nihil prosunt facta a malis, quia Deus non placatur ad preces impiorum. Quomodo potest, qui non est gratus Deo, impetrare aliis

(1) In tertia Synodo Dioecesana Bellarminus haec reprehendit: « Alio respiciunt vel non aperiunt caput ad Gloria Patri, vel remissius canunt Gloria Patri, vel errant dicentes unum pro alio. Denique multi non considerant, quod sunt obligati recitare horas in choro, quia ad hoc sunt canonici, ad hoc tenentur residere. » Arch. P. Un. Gregor. 385a, fol. 373v. Alibi in Synodo loquitur de quibusdam, qui omittunt chorum, dicentes : parum perdo, paucos obolos ! Cf. ibid., fol. 375v.

gratiam? *Mors in olla*, inquit Sanctus Bernardus (1), *sunt beneficia ecclesiastica. Sumptus*, inquit, *ecclesiasticos gratis habere te putas? Sed bonum erat magis fodere aut mendicare. Peccata populi comedis, ac* (f. 361[v]) *si propria tibi minus sufficere viderentur. Sollicitus esto, tamquam rationem redditurus pro eis. Gemitus fundere, dignos agere poenitentiae fructus; alioquin tibi ea noveris imputanda, quae modo inter delicias comedis, et parvipendis et dissimulas, quasi nihil attinentia tibi!* Et infra: *Audietur* (in extremo iudicio) *populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata.*

Sed pastura per exemplum est maximi momenti. Nam tenemur populum praecedere in omni genere virtutum. Patet primo ex illo *Ioan.* 10,4: *Pastor ante eas vadit*. Quomodo ostendet exemplo viam iustitiae, patientiae, liberalitatis, castitatis, charitatis, qui est iniustus, iracundus, etc.; quomodo viam regni, qui vadit ad inferos? Secundo ex illa *ad Titum* 2,7: *Te ipsum praebe exemplum bonorum operum, et forma esto fidelibus* et 1 *Petr.* 5, 3: *Forma facti gregis ex animo.* Debet igitur esse quasi idea perfectionis, quam omnes secure imitentur. Et quia, qui imitantur, numquam assequuntur perfectionem ideae, idea debet esse perfectissima; alioqui imagines ne mediocriter quidem essent pulchrae. Sicut qui sagittant, altius respiciunt, ut ad medium pertingant. Tertio ex illo [*Philipp.* 3,17] *Imitatores mei estote, sicut et* (f. 362[r]) *ego Christi.* Debet igitur pastor Christum imitari. O quam alta idea est vita Christi, et tamen conari debet pastor eam imitari. Ideo dictum est Petro [*Ioan.* 21, 22]: *Sequere me*, et Paulus [1 *Tim.* 3, 2]: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse.* Quarto ex nomine pastoris et ovis colligunt Sancti Patres, quanta de-

(1) Bernard., *Decl. ex Sermon.* 16: ML 184, 448.

beat esse perfectio Pastoris (1). Hinc apparet caecitas ambientium, qui assumunt sibi onus tam perfecte vivendi, ut possint esse idea aliorum. Nescitis, quid petatis! Quinto ex malis, quae oriuntur ex malo exemplo pastoris. Explicat haec Ezechiel dicens: *Quod crassum erat, occidebatis; quod infirmum fuit, non consolidastis; quod aegrotum, non sanastis; quod confractum, non alligastis; quod abiectum, non reduxistis; et quod perierat non quaesivistis.* Quinque genera ovium distinguit. Alii enim sunt homines perfecti, et hi dicuntur crassae oves; alii sunt imperfecti sed boni, et pugnant cum vitiis et passionibus; alii sunt aegroti, id est in peccato, et dicuntur confracti, quia cadunt ex pondere naturae in praecipitium; alii peccant ex errore sive ignorantia, et hi dicuntur abiecti sive errantes extra ovile; alii peccant ex malitia, et dicuntur mortui, qui sponte fugiant et lupum sequantur, a quo devorantur. Pastor igitur malo exemplo occidit animas bonas et perfectas, quia laici respiciunt sacerdotem et putant sibi licere, quod ille facit. Episcopus hoc facit; cur non ego? Sacerdos hoc facit; cur non ego? Et si occidit fortes, quomodo poterit sanare infirmos? (2) (f. 362^{v}).

---

(1) De bono exemplo dicit Bellarminus ad Synod. dioecesanam: « Ut habeantur boni, requiritur, ut vitent familiaritatem nimiam cum parochianis, quia ista parit contemptum, et sacerdos tenet locum Dei, et ideo debet esse maxime reverendus. Hoc intelligitur: ne rideat, ludat, epuletur cum laicis. Sed bene potest graviter conversari. Similiter non debet ire per domus mulierum, nisi cum probatis testibus, nec umquam comparere in tabernis, in locis infamibus, etc. Non debet domi habere mulierem suspectam: 1º quia canones hoc severissime prohibent; 2º propter periculum; et daemon saepe decipit, quia non tentat ad tempus, ut homo securus fiat et putet se habere donum castitatis et postea irruit cum ignitis telis, etc.; 3º propter scandalum, nec sufficit dicere: Mihi pro minimo est, ut a vobis iudicer! Hoc enim recte dicit, qui non dat occasionem », Arch. P. Un. Gregor. 385a, fol. 375v.

(2) In Synodo tertia dioecesana haec dixit S. Robertus: « Ne scandalizemus pusillos, immo ad perfectionem ducamus omnes. Tenemur enim hoc facere tamquam magistri et pastores. In particulari monendi sumus ut quantum fieri potest, differamus a laicis, in verbis, in moribus, in vestibus, in cultu corporis; et nolimus imitari vanitates et mutationes eorum. Hic dicatur de barba, ne utamur longis pilis super labrum superius; ne radamus partem et partem

Quoad tertium. Minatur Deus, *se quaesiturum oves perditas vel mortuas de manu pastoris.* Horribilis comminatio! Similis est in epistola *ad Hebraeos* [13. 17]: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Illud *quasi* est affirmativum, sicut illud *quasi unigeniti* (f. 363r) *a Patre* [*Ioan.* 1, 14]. Quaerere ovem perditam de manu pastoris, est velle, ut pastor restituat pretium ovis. Quantum est hoc pretium? Passio Christi docet. Et qui non potest restituere pretium unius, quomodo restituet pretium multarum? In libro primo cap. 20 Thomas Cantipratanus (1) refert de quodam Praelato malo, cui in visione Sanctus Petrus ostendit librum, et coegit legere ista verba: « Mortificabas animas, quae non moriuntur ». Et rursum refugientem compulit legere: « Quando de inferno reducis animas, quas tuo exemplo aeternis suppliciis tradidisti? » Hinc apparet summa insipientia ambientium episcopatum. Quis enim sapiens tanto oneri se sponte subiceret, immo quaereret illud? Cogitent tales, quod vix salvatur, qui non habet curam nisi sui ipsius; quid igitur fiet de illo, cuius salus pendet a salute tam multorum? Cogitent, Christum esse zelotem valde animarum, cum ipsae sint thesaurus, pro quo acquirendo dedit omnia sua; ipsae sint arces violenter ereptae de manibus hostium, non sine morte sua corporali. Quam igitur irascitur non bene custodienti! Cogitent animas non esse tales, ut possint custodiri in arca sub clave, sicut aliae gemmae; vel possint contineri domi, sicut sponsa sub custodia matronarum, quia habent mille portas, unde exeant; vel possint custodiri ut arces fossis et aquis, quia daemones omnia transiliunt; vel possint curari ut oves

relinquamus. Ista est novitas ad imitationem Turcarum. Si volumus distingui in vestibus et corona capitis, cur non etiam in barba? », Arch. P. Un. Gregor. 385a, fol. 374r-374v. Notes velim verba *vanitates et mutationes* reddi Italice: *la moda.*

(1) Thomas de Cantimpré, *Bonum universale de apibus* I, 20.

materiales, quas pastor etiam vi ligare et curare potest. Sed esse oves rationales et liberas, esse arces et gemmas vivas, quae non possunt custodiri vel sanari, nisi ipsae velint. Finis enim episcopi non est pax exterior, ut principum saecularium, sed pax interior et vera sanitas animarum (f. 363^{v}). Cogitent, quod *quicumque scandalizat unum de pusillis, melius est ei, ut suspendatur mole asinaria,* etc., [*Matth.* 18, 6]. Quanto melius est pastori millies mori, quam scandalizare unum ex ovibus, quas tenetur non solum non scandalizare, sed aedificare! Hinc Sanctus Damasus in *epistola* ad alios episcopos (1) dicit, episcopos teneri imitari Sanctum Patriarcham Iacob, immo eum superare. Iacob enim sic pavit oves Laban, ut diceret [*Gen.* 31, 38-40] *Die noctuque aestu urebar et gelu, somnus fugiebat ab oculis meis; oves tuae et caprae steriles non fuerunt; captum a bestiis non ostendi tibi; ego damnum omne persolvebam.* Hinc S. Gregorius Nazianzenus in *Apologetico* (2); hinc Ioannes Chrysostomus in homilia 3 *in Acta* (3): *Non temere dico, sed ut affectus sum ac sentio: non arbitror inter sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant. Unius enim animae perditio tantam habet iacturam, ut nulla ratio possit aestimare.* Et Sanctus Augustinus non solum de episcopis, sed etiam de aliis clericis dicit in epistola ad Valerium (4): *Quemadmodum nihil est in hac vita et maxime hoc tempore facilius, levius et acceptabilius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur, sed nihil apud Deum miserabilius, tristius et damnabilius: ita e converso nihil laboriosius, periculosius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo mo-*

(1) Damas., *Epist. ad ep. de chorep.:* ML 130, 674.

(2) Greg. Naz., *Orat.* 2 (Apol. de recusata sacerd. dignitate), 28: MG 35, 437.

(3) Ioan. Chrys., *In Act. Ap.,* hom. 3, 4: MG 60, 39-40.

(4) August. *Epist.* 21, 1: ML 33, 88.

do, quo Imperator noster praecipit, militetur. Quod si tempore Augustini, quando Christiani erant ferventiores, tam periculosum et difficile erat officium clericale, quid modo in fine saeculorum, quando paucissimi habent spiritum Dei?

Sed una consolatio est, quod non iubemur facere, ne pereant animae, sed monere, hortari etc., et sic ostendere pellem ovis mortuae Domino. Sic dicit (f. 364[2]) Ezechiel in loco citato, et Apostolus *Act.* 20, 26-31: *Mundus sum a sanguine omnium, quoniam non subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis, et per triennium die ac nocte monens unumquemque vestrum.*

Ergo fratres nostri clerici dent operam perfectioni serio; quia retrocedere non licet, faciamus de necessitate virtutem. Et in populo quicumque estis in magistratu vel patres et matres familias, quicumque ullo modo superiores, agite in subditos episcopale officium (1), exhortando, ad sacramenta invitando, orando pro subditis, praebendo lumen exemplo, etc.

Quoad quartum. *Ego ipse pascam oves*! Magna consolatio ovium, quae carent bono pastore sine culpa ipsarum. Quomodo hoc facit? Primo: instruit Deus pastores malos, eosque dirigit, ut bene doceant et regant, etiamsi ipsi hoc non intendant. Nam si per asinam Deus docuit prophetam, bene poterit per malum pastorem bene docere populum. Sicut fecit cum Balaam, qui [*Num.* 22] volebat maledicere populo Dei, sed Deus vertit eius verba in benedictionem. Idem dicit Ioannes Cassianus (2), quod saepe Deus illuminat pastorem ineptum et indoctum, ut recte consulat ovibus, sicut contra eripit consilium a prudentibus in poenam subditorum. Secundo: Deus saepe facit, ut

(1) Easdem ideas vide apud S. Ioan. Chrysostomum, cf. quae scripsi in *Gregorianum* XIII, 1932, 321-372.

(2) CASSIAN., *Collat.* (?)

subditis vertatur in bonum, regimen malum pastorum. Nam aliqui, id est boni, exsistimant se tentari a Deo, sicut dicebat Moyses populo laboranti in deserto [*Deut.* 13, 3]: *Tentat vos Dominus, Deus vester, ut videat, an diligatis eum.* Vere enim magna tentatio est oportere honorare et alere malum pastorem et illi oboedire. Sed in hoc apparet vera fidelitas subditi, quando honorat malum pastorem propter Deum, et non respicit in eo, nisi officium, etc. Praeterea intrant in se et cogitant, cur Deus dedit nobis tam malum pastorem? Certe potuisset dare bonum vel hunc facere bonum. Ipse scit omnia; ipse est verus Episcopus animarum; iste vicarius (f. 364^{v}) eius est, cur tolerat eum? Certe propter peccata nostra. Et vere ita est. *Dedi eis Regem in furore meo*, dicit Propheta, [*Os.* 13 11]. Et *Iob* cap. 34, 30: *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Unde legitur de quodam, qui querebatur in oratione apud Deum, quod dedisset malum pastorem, cui respondit Deus: « Dedi istum, quia non inveni peiorem. Talem enim populus meretur, quia alias dedi bonum et noluerunt proficere, etc. » Tertio Deus ipse pascit, quando instruit et illuminat subditos, ut respiciant in Christum, principalem Pastorem, quando episcopus non bene regit neque verbo neque exemplo. V. g. si episcopus est avarus et cupit ditescere, Deus illuminat subditum bonum, ut omisso exemplo episcopi respiciat Christum, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut nos sua inopia locupletaret, et qui dixit: *Beati pauperes*, etc. Si episcopus non est castus, respiciat Christum, agnum immaculatum, et qui dixit: *Beati mundo corde*, etc. Si episcopus est iracundus, respiciat Christum mansuetissimum et mitissimum, et qui dixit: *Beati mites.* Si episcopus est nimis laetus et deditus solatiis, respiciat Christum, qui numquam legitur risisse, sed saepe flevisse, et qui dixit: *Beati, qui lu-*

gent. Si episcopus est crudelis, respiciat Christum, fontem misericordiae, et qui dixit: *Beati misericordes*, [*Math.* 5, 3-8]. Si est superbus, respiciat Christum humilem, et qui dixit [*Luc.* 14, 11]: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Si episcopus est inoboediens suo superiori, respiciat Christum, qui fuit *oboediens usque ad mortum*, etc., [*Philipp.* 2, 8]. Denique (f. 365^{r}) quomodocumque Deus pascat, certe pascet, cum id promiserit [*Ezech.* 34, 15]: *Ego pascam oves.* Et bene securae sunt oves, quas Deus pascit, qui numquam dormit nec timet lupos aut latrones. Unde dixit Dominus: [*Ioan.* 10, 49]: *Nemo potest eas eripere de manu Patris mei.* Sed promissio haec propriissime pertinet ad aliam vitam. Tunc enim oves liberantur non solum de manu luporum et latronum, sed etiam de manu mercenariorum et malorum pastorum, et pascit illas Deus ipse pabulo Verbi increati, quod dat vitam aeternam. (1)

SEB. TROMP, S. I.

QUAESITA VARIA

De Praesumptione et Favore iuris.

Non raro fit ut sermone vulgari favor iuris nomine praesumptionis vocetur. Ita, in casibus qui saepe in regionibus missionum occurrunt, baptismus, in ordine ad matrimonium validus dicitur ex *praesumptione,* dum Codex merito abstinet hac voce. Atque accurate in can. 1014 matrimonio tribuit *favorem iuris*, dum

(1) Qualis fuerit conditio Ecclesiae Capuanae tempore Bellarmini, appareret ex sermone Dominicae 9 post Pentec., habito probabiliter anno 1604: « In hac civitate et dioecesi certe est maxima causa flendi, ubi plura cernantur peccata et gravia, opera bona paucissima. Alibi, ut Venetiis, Neapoli, Romae, Parisiis sunt quidem multa peccata, sed sunt opera pia innumera. », Arch. P. Un. Gregor. 385, fol. 628v.

can. 1015 § 2, post cohabitationem *praesumit* consummationem, donec contrarium probetur.

Praesumptio definitur a Codice, can. 1825, *rei incertae probabilis coniectura;* pertinet igitur ad genus probationum; eo, deficiente argumento directo, opus habet nostra infirmitas; dum *favor iuris* est positiva iuris dispositio quae speculativum dubium non solvit. Observes verba can. 1014 « quare *in dubio* standum est pro valore matrimonii »; quod repetit can. 1070 § 2 « Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est, ad normam can. 1014, pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam ».

Atque ex ipso can. 1014 maior est favor iuris pro privilegio fidei quam pro matrimonio. Vult, enim can. 1014, ut salvum sit praescriptum can. 1127, quo favor iuris agnoscitur privilegio fidei.

Attamen ius canonicum ita statuit quantum potest, salvo semper iure divino. Iam vero novimus matrimonium ratum et consummatum numquam, ne Papae quidem auctoritate, solvi valide posse. Itaque in conflictu inter matrimonium fortasse sacramentum consummatum et privilegium fidei standum erit pro valore matrimonii. Quare, in casu ubi agebatur de matrimonio duorum qui in haeresi dubie baptizati erant, S. C. S. Officii declaravit partem conversam non posse uti privilegio fidei « propter gravissimum dubium de baptismo in haeresi recepto »; nec propter Paulinum privilegium ad alias nuptias transire.

Quare, quamdiu positive dubium est partem non conversam fuisse baptizatam, non licet eam practice pro non baptizata habere, quamvis speculative fortiora sint argumenta pro nullitate. Cfr can. 1076 § 3; (1)

(1) Instr. 18 dec. 1872. Coll. de Prop. Fide, n. 1392.

« Numquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis » : ratio est periculum violandi ius divinum.

De Renuntiatione bonorum ante sollemnem professionem.

In Ordine quodam regulari, Chrysogonus, professus votorum simplicium, rogatus est ad normam can. 581 intra sexaginta dies ante professionem sollemnem bonis suis se actu abdicare.

Chrysogonus tamen dubitabat de sua perseverantia, non quidem in vita religiosa, sed in Ordine ad quem actu pertinebat. Pluries enim cogitaverat de transitu in aliam religionem magis severam, cum licentia S. Sedis. Inde hanc facere renuntiationem proposuit, ut patrimonium suum interea maneret inalienabile, annuus reditus et administratio cederent Ordini cuius esset membrum ; bona autem sua tandem aliquando acquirerentur ab Ordine in quo diem supremum obiret. Sed non nulli putabant renuntiationem istam non esse satis perfectam. Quid iuris in casu ?

Resp. Nihil tali renuntiationi obici posse. Prima quidem specie reditus annui obnoxii videntur voluntati Chrysogoni, cum mutent destinationem prout ipse mutet vel non religionem. Et quid de prohibitione alienationis per plures saltem annos ?

Sed re vera condicio cui subiecta est varia destinatio bonorum est prorsus subtracta voluntati, saltem immediatae renuntiantis. Ipse nihil de bonis statuere iam potest : ipso manente in religione sua, bona manebunt ; ad aliam religionem, ipso transeunte, transibunt; et hoc necessario vi actus renuntiationis. Bona

quidem sunt per plures annos inalienabilia, sed hoc est corollarium modi renuntiationis. Nonne Chrysogonus potuisset statuere ut, per plures annos reditus annui ad varia monasteria transirent. Per istos annos bona etiam fuissent inalienabilia. Iam vero huc recidit renuntiatio Chrysogoni. Vetitum alienandi per aliquot annos est corollarium condicionatae mutationis praevisae in Renuntiationis formula. Nihil impedivisset quin directe statuisset reditus per plures annos aliis et aliis monasteriis cessuros esse. Quod etiam hoc corollarium secum traheret per illos annos patrimonium alienari non posset. Dispositio facta omnino in idem recidit. Caput est ut facta renuntiatione, bona voluntati renuntiantis subducerentur. Quod perfecte in casu obtinetur.

Addas restrictiones iuri naturali in bona, incapacitates debere stricte intellegi; ita ut in dubio incapacitas neganda sit.

A. VERMEERSCH, S. I.

Estne ad usum can. 523 necesse ut confessarius sit approbatus ab Ordinario loci an satis est ut ab aliquo Ordinario loci iurisdictionem ordinariam consecutus sit?

Occasione rerum quas in ipsis Periodicis scripsimus movimus, ex litteris optimi Religiosi Cong. S. Redemptoris, ipsum ut probabiliorem tenere sententiam quae admittit competentem esse in casu quemlibet sacerdotem ab aliquo Ordinario approbatum. Velim hic paucis verbis declarare cur, salva omni reverentia, illi sententiae calculum adicere non possimus.

1. Ipse can. 523 definit quod in casu non requiritur « Quemlibet sacerdotem ad mulierum confessio-

nes excipiendas approbatum, *etsi non destinatum religiosis* ». De communi iurisdictione non cogitatur.

2. Quando canon quidam promulgatur cuius verba, absolute sumpta, duplicem vim habere possunt, alteram ordinariam et consuetam; alteram extraordinariam, si interpretes ab initio non extollunt vim extraordinariam ordinaria praeferenda est canoni 523 tribuerunt, sed contenti fuere exceptione a speciali iurisdictione.

3. Si aliter intellegitur canon, religiosae, etiam quando abest periculum mortis, maiorem optionem haberent quam ipsi laici! Hi enim extra periculum mortis non possunt confiteri nisi apud sacerdotem approbatum ab Ordinario loci. Quare si tantam exceptionem auctores suspicati essent, statim in omni tractatu id notaretur. Quocirca eorum silentium demonstrat se de tanta exceptione non consentire.

De rubricis.

De oratione imperata.

In dioecesibus N. N. imposita est ut *Imperata*, ad normam rubricarum, oratio festi B. M. V. Mediatricis omnium gratiarum. Fit autem ut in Missa Dominicae 2.ª oratio praescribitur *A Cunctis*, qua memoria B. M. V. recolitur. Quaeritur quid secundum rubricas in Missa faciendum sit.

Prima specie praesto sunt hi modi enodandi difficultatem. In ipso Breviario proponitur altera forma orationis *A Cunctis*, omissa mentione B. M. V. Et in Missali occurrit etiam huiusmodi forma orationis *A Cunctis*, sine nomine B. M. V. Quae cum ita sint, assumpta in Breviario et in Missa hac altera forma ora-

tionis *A Cunctis*, servabitur imperata, ut videtur sine violata rubrica.

Verum alterum obstaculum occurrit quo facilis ista solutio amandanda est. Mutatio fieri debet non in prima sed in altera oratione. Ita in Breviario, ad Laudes legitur « Si vero Officium vel Commemoratio fuerit de Beata Maria Virgine, tum (oratio *A Cunctis*) dicitur ut infra » i. e. sine mentione B. M. V. Pariter si in Vesperis non primae vesperae diei octavae sed secundae vesperae septimae diei infra octavam commemoranda sunt, secundum rubricas generales nomina B. M. V., S. Ioseph, Apostolorum, Titularis omittenda sunt, si oratio iam antea dicta fuit. Atque auctores negant tamquam orationem ad libitum sumi posse orationem Sancti qui fuerit nominatus in oratione *A Cunctis*. Immo non potest tunc oratio pro Congregatione et Familia, in qua B. Virgo est nominata.

Itaque nihil aliud secundum rubricas est faciendum quam Imperatam silentio praeterire.

IOS. PAUWELS, S. I.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Sancti Roberti Bellarmini Instructiones pastorales habitae in visitatione Ecclesiae Cathedralis de pastore et ovibus. (1)

II

SERMO TERTIUS

in visitatione Ecclesiae Cathedralis

(De officio ovium: pars prima)

Quae diximus, ad solos superiores pertinent; quae dicemus pertinent ad omnes. Nam etiam episcopi sunt oves Pontificis et Dei: Solus Deus est Pastor et non ovis. Immo, qui praesunt aliis, debent eis praelucere in oboedientia erga suum superiorem. Et tamen difficile est imperare et oboedire, quia unum impedit aliud.

De ovibus duo sunt tractanda, quia duas habent relationes, unam ad pastorem, alteram inter se.

De priore relatione tres invenio in Evangelio proprietates bonarum ovium. Prima est *Ioan.* 10, 4: *Oves illum*, pastorem videlicet, *sequuntur.* Secunda [*ibidem*]: *Sciunt vocem eius.* Tertia [*Ioan.* 10, 5]: *Alienum non*

(1) Vide *Periodica* fasc. III, pp. 85*-103*.

sequuntur, sed fugiunt ab eo. Quarta est in *Canticis* [cap. 4 et 6]: *Omnes gemellis foetibus, et sterilis non est in eis.* De posteriore (f. 365^{v}) loquitur *Ezechiel* [34, 17 sqq.], qui dicit inter oves esse arietes terribiles, qui pascant herbas virides et bibant aquam purissimam et utraque pedibus conculcent, item humeris expellant oviculas, denique cornibus feriant, etc.

Prima igitur proprietas bonae ovis est sequi pastorem, non praecedere. *Oves eum sequantur.* Hic significatur vera oboedientia. Sed sciendum, quod Christianus est cives duarum civitatum, temporalis et aeternae. Ut civis temporalis civitatis debet agnoscere pro pastore Regem et eius ministros; ut civis aeternae civitatis debet agnoscere suum Episcopum et eius ministros. De utraque oboedientia clare loquitur Scriptura divina. Nam David Rex dicit [*Psalm.* 77, 71] se electum pascere Iacob. Et de subditis bonis dicit [*Psalm.* 17, 45]: *In auditu auris oboedivit mihi.* Homerus quoque inter gentiles vocat Regem pastorem populi. In Evangelio [*Matth.* 22, 21; *Marc.* 12, 17; *Luc.* 20, 25]: *Reddite, quae sunt Caesaris Caesari,* id est: honorem, oboedientiam, tributum. Sic declarat Paulus [*Rom.* 13, 7]: *Cui tributum, tributum; cui honorem, honorem.* Et [*Rom.* 13, 1]: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Nam non est potestas nisi a Deo; qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et [*Rom.* 13, 5]: *Necessitate subditi estote, non tantum propter* (f. 366^{r}) *iram, sed etiam propter conscientiam.* Et in epistola *ad Titum* (3, 1): *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto oboedire.* Et Sanctus Petrus [1 *Petr.* 2, 13]: *Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi tamquam praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis.* Et *Iudas* 8 de haereticis: *Dominationem,* inquit, *spernunt, maiestatem autem blasphemant.* Et si haec dicuntur de gentilibus, quanto magis de Christianis.

De praelatis Ecclesiae *Luc.* 10, 16: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* [*Matth.* 16, 19]: *Tibi dabo claves;* [*Ioan.* 21, 17]: *Pasce oves meas;* [*Act.* 20, 28]: *Quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* [1 *Cor.* 4, 21]: *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* et *ad Hebr.* 13, 17: *Oboedite praepositis vestris et subiacete eis,* etc. Immo in lege *Deuteron.* 17, 12: *Qui non oboedierit sacerdotis imperio, morte moriatur* etc.

Sed oboedientia perfecta requirit tria (1): primo exsecutionem perfectam, quod notat Paulus, cum dicit [*Col.* 3, 20-23]: *Oboediant in omnibus.* Secundo: voluntatem promptam, [*Psalm.* 53, 8]: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Alioqui exsecutio non est meritoria, nec est diuturna, et est laboriosa et propria bestiarum et damnatorum ad triremos; et ideo monet Apostolus [*Eph.* 6, 6], ut servi Christiani oboediant ex animo. Tertio: conformando iudicium iudicio superioris. Hoc enim est vere sequi pastorem, non praecedere. Nam si iudices superiorem tuum male praecipere, iam tu efficeris iudex magistri tui et eum praecedere conaris. Quid si Pastor revera erret ex ignorantia vel malitia? Si clarum est illum (f. 366^{v}) errare et praecipere aliquod peccatum, tunc non est oboediendum, quia id esset non oboedire Deo; sicut si prorex iuberet contrarium ei quod iubet Rex. *Oboedire oportet Deo magis quam hominibus,* [*Act.* 5, 29]. Sed si dubium sit, oportet iudicium proprium iudicio superioris submittere. Et melius est rem minus bonam facere ex oboedientia, quam rem meliorem contra oboedientiam, quia Deo summe displicet inoboedientia: *Melior est oboedientia quam victimae; quasi peccatum ariolandi est nolle parere,* [1 *Reg.* 15, 22]. Deus enim instituit ordinem superiorem et inferiorem et vult omnino servari. Et fuisset hic ordo etiam in

(1) Conferas epistolam notam S. Ignatii *de virtute oboedientiae,* cap. 5-10.

paradiso et est inter Angelos. Et etiamsi superior non sit bonus, Deus vult illi oboediri [*Matth.* 23, 3]: *Quae dicunt, facite; quae faciunt, nolite facere.* Et Sanctus Petrus [1 *Petr.* 2, 18]: *Oboedite non solum bonis, sed etiam discolis.* Quia in hoc oboeditur Deo, qui semper est bonus. *Qui vos audit, me audit* [*Luc.* 10, 16]. Et ideo Paulus [*Eph.* 6, 5] monet omnes subditos, ut oboediant dominis tamquam Christo, id est: respiciant Christum in persona superioris.

S. Basilius cap. 22 *Constitut.* (1) notat ideo subditos vocari oves, quia oves non discutiunt praeceptum pastoris. Sanctus Hieronymus in *epistola* ad Rusticum (2): *Credas salutare quidquid praecipitur, nec de maiorum sententia iudices, cuius officium est oboedire.* Sanctus Gregorius lib. 2 (f. 367^{r}) cap. 4 in 1 Regum (3): *Vera oboedientia nec praepositorum intentionem discutit, nec praecepta discernit; nescit enim iudicare, qui perfecte didicerit oboedire.* Idem omnes Patres docent. Et confirmavit Deus multis miraculis meritum oboedientiae; in elementis aqua et igni, apud Gregorium de Mauro, et apud Sulpicium de alio intrante fornacem ignis; in arboribus apud eundem Sulpicium de palo irrigato, qui in arborem crevit; in animalibus, ut de leone apud Cassianum; in daemonibus, apud Bonaventuram in vita Sancti Francisci (4).

Secunda proprietas ovium est, quod vocem *pastoris noverunt,* [*Ioan.* 10, 4]. Et vero sic est. Nam pastore vocante omnes currunt; si alius vocet, non moventur.

---

(1) Basil., *Monach. Const.* 22. 4-5: MG 31, 1408-1409.

(2) Hieron., *Epist. ad Rust. Monach.* 125, 15: ML 22, 1081; CV 56, 134.

(3) Gregor. Magn., *In I Reg.* II, 4, 11: ML 79, 131. Bellarm. errore. *In I Reg.* IV, 4.

(4) Gregor. Magn., *Dialog.* (= *Vita S. P. Bened.*) II, 7: ML 66, 146; Sulpic. Sever., *Dialog.* (de virtut. Orient. Monach.) I, 18 (de igne) et I, 19 (de palo): ML 20, 195-196; Cassian., *De Coenob. Instit.* IV, 23-29: ML 49, 183-190 (exempla varia); *De vitis patrum* V, 14, 4: ML 73, 948 (de leone): Bonavent., *Legenda S. Franc.* VI, 9, ed. Quaracchi, 1898, VIII, 522. Vide etiam *Bellarmini Tract. de Oboed. caeca* cap. 4, apud Le Bachelet, *Auctar. Bellarm.* pag. 383-384, et *Epist. S. Ignatii de virtute oboedientiae,* cap. 18.

Unde hoc? Quia *assidue audiunt illum.* Igitur vera proprietas ovium Christi est assidue audire verbum Dei ex ore pastoris. Qui enim iussit pastori, ut assidue loquatur verbum salutis, et sic pascat gregem, ut supra diximus, idem voluit, ut oves assidue audirent. Necessitas maxima est audiendi verbum Dei. Nam ideo Christus [*Matth.* 13, 24 sq.] comparavit homines terrae et verbum Dei semini, quia sicut terra, si non seminetur, nihil parit, ita etc. Item [*Ioan.* 10] comparavit ovibus et verbum Dei herbis et cibo, quia sicut oves sine cibo debilitantur, non crescunt, steriles fiunt, et moriuntur, sic etc. (f. 367^{v}). Comparavit [*Luc.* 11, 21] militiae et verbum Dei armis. Nam gladius Spiritus est verbum Dei, et scutum est veritas: *Scuto circumdabit te veritas eius,* [*Psalm.* 90, 5]. Sicut milites inermes necessario vincuntur, ita etc. Comparavit aegrotorum xenodochio et verbum Dei medicinis [*Matth.* 9, 12 et *Luc.* 5, 31]; ideo enim supra diximus fideles comparari ovibus, quarum paucissimae sunt fortes et pingues, sed aliae vel debiles vel aegrotae vel confractae etc. Et Dominus [*Luc.* 4, 18] dicit se venisse ad evangelizandum, ut sanaret aegrotos. Et in *Psalmo* 106, 20 dicitur: *Misit verbum suum et sanavit eos.*

Sed declaremus ista! Quae necessario requiruntur, ut homines sint iusti et salventur, sunt tria: fides, spes, charitas: *Nunc manent tria haec,* inquit Apostolus, [1 *Cor.* 13, 13] *fides, spes, charitas.* Si unum ex his desit, impossibile est salvari; si omnia tria adsint, impossibile est damnari. Sed ad fidem non sufficit habitus, qui infunditur in baptismo, nisi infantibus. Adulti indigent actu. *Corde enim creditur ad iustitiam, confessio fit ad salutem,* [*Rom.* 10, 10]. Ut quis actu credat, requiritur verbum. *Quomodo credent sine praedicante? Fides ex auditu,* [*Rom.*10, 14, 17]. (Hic dicatur de doctrina Christiana, quantum necessaria

sit!) (1) Non sufficit credidisse, sed requiritur, ut saepe cogitentur et ruminentur mysteria fidei, et sic alatur fides. Alioquin dormit et aliquando exstinguitur. Saeculares non habent otium scrutandi Scripturas; ideo Deus iussit pastori, ut studeat pro ovibus, et die festo communicet cibum istum spiritualem. Et sicut pastor obligatur loqui, ita oves obligantur (f. 368^{r}) audire. Idem dico de spe. Ad spem requiritur primo, ut sciamus promissa Dei et ea intelligamus et ruminemus. Secundo ut illis adhaereamus tamquam nobis datis et possibilibus acquiri. Tunc enim qui sperant in Domino, mutant fortitudinem, assumunt pennas ut aquilae, currunt et non laborant, volant et non deficiunt. Ad haec requiritur magna instructio et persuasio, quae sine verbi Dei auditu non habetur. Idem de charitate. Nam ad accendendum amorem Dei requiritur cognitio pulchritudinis eius et beneficiorum eius et amoris eius erga nos (2). Ista omnia sine meditatione Scripturarum non habentur etc.

---

(1) In *Autobiogr.* 37 apud LE BACHELET, *Bellarm. avant son Card.* pag. 462 legimus: « Scripsit, dum esset in pago quodam maiore, explicationem symboli lingua italica, quam typis mandavit, ut parochi, qui concionari nesciunt, legerent post evangelium, unius articuli explicationem, praecipue quando congruebat cum festis diebus ». Iam ediderat Bellarminus anno 1597 Romae: *Dottrina cristiana breve* et ibidem anno sequenti: *Dichiarazione più copiosa della dottrina cristiana.* Autob. autem agit de libello ab istis prorsus diverso, de cuius origine, historia, influxu cf. H. VAN LAAK S. I. in *Gregorianum,* 12, 1931, 284-285. Parochum concionari non posse Bellarminus admittit de facto, minime de iure. In *sermone XI de sermone Domini in monte* haec profert: « Maioribus ordinibus maior scientia requiritur, ut possint exercere suum officium; debent enim intelligere mysteria, quae tractant et de iis reddere populo rationem. Curati debent praeterea scire casus conscientiae, et concionari populo, explicare doctrinam Christianam ». Arch. P. Un. Greg. 385a, fol. 214 v.

(2) Thema Bellarmini praedilectum. Cf. *De cognitione Dei,* Lovanii 1861, edit. Vivès VIII, pag. 623-652; *De ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum,* Romae 1615, edit. Vivès VIII, pag. 239 sqq.; *Exhort. domestic.* ed. FR. VAN ORTROY S. I., Bruxelles 1899, ubi de cognitione Dei pag. 193-204 et 239-252; *De imitatione Dei* (instructiones 17 de attributis divinis; aliae 11, ut apparet ex indice, manserunt in votis), Arch. P. Un. Gregor. 385a, fol. 394-420 (fol. 412-419 vacua); *Meditationi della Essenza divina,* Arch. P. Un. Gregor. 373, fol. 241-252 (fol. 252 autogr., cetera non autograph., sed ab ipso Bellarmino correcta).

Et haec pro parte populi sana; pro parte aegrota magis necessaria est praedicatio. Nam morbus animae est contrarius morbo corporis. Nam morbus corporis sentitur primo ab ipso aegroto et ab illo declaratur medico, et ordinarie aegrotus cupit sanari, et ideo vocat medicum, expendit pecunias, sumit amaras potiones etc. At morbum animae non sentit qui aegrotat, sed alii cognoscunt. Et ideo qui aegrotat non quaerit medicum, non cupit sanari etc. Ideo necesse est, ut persuadeatur illi, quod aegrotet et morbum esse gravem et periculosum. Quis faciet hoc, nisi praedicator? Ideo secundum Gregorium praedicator comparatur cani, qui lingua curat plagas (1). Sed quomodo curabit, nisi audiatur? « At ego sum doctus et novi Scripturas! » Sed Deus vult te illuminare per eum, quem constituit in hoc officio. Et nemo est bonus medicus sui ipsius (f. 368^{v}).

Sermo Quartus

In visitatione Ecclesiae Cathedralis

(De ovibus: pars altera).

Tertia proprietas: *Alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo*, [*Ioan.* 10, 5]. Quis est iste alienus? Diabolus? Non, quia ipse est lupus. Haereticus? Non, quia ipse est latro. Episcopus malus? Non, quia ipse est mercenarius. Concionator non-episcopus? Non, quia ipse vel praedicat sine auctoritate, et est latro, vel intrat per ostium verae auctoritatis, et tunc est coadiutor pastoris, et oves eum audiunt et non fugiunt ab eo! Quis igitur? Malus socius, malus vicinus, malus consanguineus, qui semper consulunt mala et

(1) Gregor. Magn., *Moral.* XX, 6, 15: ML 76, 145 et *Hom. in Evang.* II hom. 40, 1: ML 76, 1302.

contraria Verbo Dei sub specie benevolentiae et amicitiae. De istis dicit Christus: [*Math.* 5, 29 et 18, 9] *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum,* etc. Illi enim dicuntur oculi, manus et pedes, qui sunt tibi cari et utiles in temporalibus. Et hoc idem significat: *Sed fugiunt ab eo;* et alibi [*Luc.* 14, 26]: *Qui non odit patrem et matrem,* etc. Sed est etiam alienus amor proprius et iudicium proprium. Iste quanto magis videtur proprius, tanto magis est alienus, quia Deus non vult, ut suae oves regantur proprio iudicio, praesertim corrupto per passiones. *Ne innitaris prudentiae tuae!* [*Prov.* 3, 5]; *Qui vult venire post me, abneget semetipsum,* [*Matth.* 16, 24 et *Luc.* 9, 23] Iudicium universale est rectum, sed particulare corrumpitur per passiones; ideo non est sequendum. Itaque verae et bonae oves Dei nolunt facere quod dictat caro, sensus, gula, ira, invidia, ambitio etc.; sed quod dictat lex Dei, declarata per ministrum Dei (f. 370 ^{v}).

Quarta proprietas est in *Canticis* [4 et 6]: *Sicut grex tonsarum, quae ascenderunt de lavacro. Omnes gemellis foetibus et sterilis non est in eis.* Illae sunt bonae oves, quae dant pastori lanam et agnos. Sed per lanam et agnos non intelligimus, ut supra (1), victum et honorem. Non enim ista quaerunt praecipue boni pastores ab ovibus, sed quaedam alia, quae sunt utilia ipsis ovibus.

Igitur bonae oves sunt illae, quae sunt tonsae, lotae, foecundae et semper pariunt gemellos. Lotae dicuntur quae sunt vere iustificatae et dealbatae per lavacrum baptismi vel poenitentiae. Istae enim sunt duae piscinae: una ex aqua frigida, quae non laedit, et est baptismus, qui non requirit opera laboriosa poenitentiae; altera ex aqua calidissima et quae adurit; ista est poenitentia, quae dicitur baptismus laborio-

(1) Vide supra pag. 90*.

sus a Patribus. *Baptismo habeo baptizari* etc., [*Luc.* 12, 50]. Et quid facient, qui baptizantur pro mortuis? et qui eunt ad Sacramentum poenitentiae et refugiunt calorem aquae ferventis? Aut non lavantur et mittuntur in stagnum ignis et sulphuris, aut la (f. 371 r) vantur, sed non perfecte et ideo mittuntur in balneum ardentissimum purgatorii.

Ad haec lavacra non admittuntur nisi oves tonsae. Tondendae sunt oves a lana superflua, id est a superfluis cogitationibus et operibus, quae non sunt utilia ad vitam aeternam, propter quam fit lotio. Ideo in baptismo interrogantur baptizandi, an renuntient satanae et operibus eius et pompis eius. Et nisi promittant se abrenuntiare, non admittuntur ad lavacrum, et multo magis id requiritur in lavacro poenitentiae. Satanas est *princeps huius mundi*, ut Dominus loquitur in evangelio, [*Ioann.* 12, 31; 14, 30; 16, 11]; et Paulus [*Eph.* 6, 12] vocat daemones *rectores mundi tenebrarum harum*. Et quia non potest ullus duobus dominis servire, nemo admittitur ad lavacrum Christi, nisi serio renuntiet diabolo et servire proponat soli Deo. Opera diaboli intelliguntur omnia peccata, quae habent aliquam utilitatem vel delectationem vel honorem, et sunt opera luxuriae, avaritiae, superbiae. Haec enim sola sunt in mundo, unde exire debemus, et cui praeest diabolus.

Pompae dicuntur ea, quae habent apparentiam tantum et ostentationem, sed non veram utilitatem, delectationem vel honorem. Et his valde delectatur diabolus: ut cum quis secundum statum suum deberet vestiri panno et vult vestiri serico; deberet habere unum famulum, vult (f. 371v) habere decem; deberet uti terreis vasis, vult habere argentea; deberet contentus esse muris albatis, vult habere tectos muros pretiosis pannis. (Hic potest dici aliquid de exemplo

Summi Pontificis et Regis Philippi et Cardinalium) (1). Quae ita sunt tonsae, facillime lavantur; sed quando oves non sunt tonsae, lavacrum non pertingit ad carnem et pellem, sed est tantum exterior in apparentia. Sed aliquando oves refugiunt tonderi a Spiritu Sancto et sinunt se tonderi a spiritu diabolico; ut sunt illi, qui in ludis prohibitis omnia consumunt. Isti sunt inoboedientes Deo et Regi et rectae rationi; et non solum non lavantur, sed inquinantur blasphemando, furando, depauperando uxores et filios etc. (2).

Non sufficit oves esse lotas; sed requiritur, ut sint foecundae, [*Psalm.* 36, 27]: *Declina a malo*, hoc est: lotum esse, et: *fac bonum*, hoc est: foecundum esse. Si quis intraret portam paradisi et inspiceret omnes Sanctos, nullum inveniret non foecundum operibus bonis: orationibus, ieiuniis, eleemosynis corporalibus et spiritualibus. Ideo in iudicio fiet examen de operibus misericordiae. Sed non sufficit quaelibet foe-

(1) Saepius S. Robertus in contionibus scriptis applicationes practicas verbulo tantum indicat (cf. supra pag. 113*), quod in casu est maximopere dotendum. In sermone XIII de Sermone Domini in monte, habito die 6 Jan. 1605, per transennam agit de rege Philippo: « Revera religio non destruit statum et regnum temporale, sed confirmat et conservat. Ut patet exemplo Constantini, Theodosii, Clodovei, Caroli Magni, Ludovici, qui non amisit regnum propter religionem, sed acquisivit nova regna. Sic Rex Catholicus ob pietatem invenit nomen mundum, et postea unita est domus Austriaca et Burgundica cum terris Hispaniae, et facta est monarchia maxima, etc. », Arch. P. Un. Gregor. 385a fol. 228r.

(2) Quomodo Bellarminus cum auxilio potestatis civilis vicerit vitium ludendi in Urbe Capuana, vide apud J. Brodrick S. I., *Blessed Robert Bellarmine* II, pag. 77 78; A. Fiocchi S. I., *S. Rob. Bellarmino* pag. 378. Saepius in sermonibus Capuanis S. Robertus agit de hoc vitio Tractatum parvum invenies in sermone anni 1603 in Dom. IX post Pentecost., Arch. P. Un. Gregor. 385, fol. 631r-632v. Brodrick Capuam vocat « Monte Carlo saeculi XVII ». Quod plane confirmatur hisce verbis Bellarmini: « Duo vitia reprehendi alias. Iterum reprehendam, nec cessabo. Unum est de otio et ludis chartarum. Quia in hac civitate non datur opera litteris vel armis vel venationi; sed otio, detractionibus, ludis, et id publice », Cont. anni 1604 in Dom. XII post Pentec., Arch. P. Un. Gregor. 385 fol. 650r. « In hac regione magnum excessum video in otio et ludo. Dicatur de rusticis in casali Sanctae Mariae passim ludentibus chartis, et hic etiam in viis publicis, etiam diebus feriatis; et de nobilioribus in porticibus. At inquiunt: transmittimus tempus! ». Cont. anni 1603 in Dom. XIV post Pentec., Arch. P. Un. Gregor. 385, fol. 665v.

cunditas, sed debent esse gemelli foetus; ista enim sunt opera vere meritoria et propria bonorum Christianorum. Gemelli foetus sunt opera procedentia ex amore Dei et proximi. Isti duo amores, quando sunt veri et perfecti, semper sunt coniuncti. Non potest diligi vere Deus, quin diligantur imagines eius; nec potest diligi vere imago Dei, quin diligatur Deus. Ideo dicit Paulus [*Rom.* 13, 8]: *Qui diligit proximum, legem implevit.* Et Sanctus Ioannes, ut refert Sanctus Hieronymus (1), dicebat in extremo senio: *Diligite alterutrum.* Et interrogatus, cur semper idem (f. 372^{r}) diceret, respondit: *Quia praeceptum Domini est; et si solum fiat, sufficit.* Et similiter dici potest: Qui diligit Deum legem implevit; et si hoc solum fiat, sufficit. Haec est differentia inter bonum Christianum et bonum paganum, quod iste non parit nisi unicum filium; quia facit aliqua opera misericordiae ex sola humana compassione; at bonus Christianus parit geminos, quia in eodem opere respicit Deum et proximum. Et hinc est, quod pagani benefaciunt tantum amicis, inimicis autem malefaciunt; at Christiani benefaciunt inimicis quia vident eos etiam esse imagines Dei.

Hic est igitur fructus; isti sunt agni, ista est lana, quam boni pastores desiderant. *Non quaerimus vestra, sed vos,* inquit Paulus, [2 *Cor.* 12, 14]: et alibi [*Philipp.* 4, 17]: *Non quaero datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.* Et [4, 1]: *Gaudium meum, et corona mea.* (f. 368^{v} contin.).

De relatione inter se.

Malae oves sunt, quae opprimunt alias per doctrinam vel per divitias vel per potentiam. Oves, quae *pascunt herbas virides et bibunt aquam puram et pedibus conculcant,* sunt (f. 369^{r}) homines docti, qui sciunt veritatem, sed eam pravis affectibus polluunt

(1) Hieron., *In Epist. ad Gal.* III, cap. 6, 10: ML 26, 433.

et sic pollutam tradunt simplicioribus. Veritas enim est cibus et potus. Quae enim sunt multa in corporalibus, in spiritualibus uniuntur, quia spiritualia sunt perfectiora. Exempla de moneta, in qua uniuntur monetae aereae multae in una argentea, et multae argenteae in una aurea. Sunt igitur aliqui, qui norunt viam vitae, sed male vivunt; sic pedibus conculcant herbam et aquam, et simplices pascuntur herba conculcata et aqua turbida, quia putant sibi licere etc. Tales erant philosophi, *qui veritatem Dei in iniustitiam detinebant*, ut dicit Apostolus [*Rom.* 1, 18]. Tales erant scribae apud Iudaeos, qui, ut Dominus ait [*Luc.* 11, 52], *acceperant clavem scientiae, et nec ipsi intrabant, nec alios sinebant intrare.* Tales sunt hoc tempore omnes docti, qui male vivunt, qui gravissime punientur. *Nam scienti bonum et non facienti peccatum est illi*, [*Iac.* 4, 17] et: *Vae illis, per quos scandalum venit*, [*Luc.* 17, 1]. Item medici, qui sciunt veritatem et tamen propter lucrum ordinant superfluas medicinas; et iureconsulti, qui sciunt veritatem, et tamen fovent malas causas; et theologi, qui ex affectu dant mala consilia, notantur in ista proprietate malarum ovium.

Oves crassae, quae lateribus tradunt debiliores et impediunt ne pascantur, sunt divites, qui omnia trahunt ad se et pauperes cogunt fame mori.

Deus enim providet mundo tantum cibi et aliarum rerum, quantum sufficiat omnibus; sed si aliqui velint habere (f. 369^{v}) superflua, aliqui carebunt necessariis; et hoc est trudere oviculas a pascuis. Sicut, si flumen velit exundare, destruit loca vicina; et sicut venae maiores, si retinent sanguinem, quem accipiunt a corde diffundendum per corpus, ipsae crepunt et totum corpus moritur. Hinc *Isaias* cap. 5, 8: *Vae qui coniungitis domum ad domum et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Numquid vos soli habitabitis in terra? In auribus meis sunt haec, dicit Dominus omnipotens;*

nisi domus multae desertae fuerint, grandes et pulchrae, absque habitatore. Id est: relata mihi sunt haec omnia, et quia videmini velle esse soli in terra et expellere alios: ego faciam, ut vere sitis soli et non habeatis filios, qui habitent in domibus vestris. Sed illud *Vae* est notandum, dictum a Deo, qui omnia novit. Sanctus Ioannes Baptista [*Luc.* 3, 11] iubet, non consulit, ut *qui habet duas tunicas, det non habenti.* Christus in evangelio [*Matth.* 5, 3]: *Beati pauperes;* [*et 19*, 24]: *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum coelorum.* Apostolus [1 *Tim.* 6, 9]: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem.* Nota Paulum asserere, non opinari, non dubitare etc. Iacobus [*Epist.* 5, 1]: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis, quae advenient vobis. Vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum et argentum vestrum aeruginavit, et aerugo eius in testimonium vobis erit et manducabit carnes vestras.* Id est: non habetis occasionem gaudendi, ut putatis, sed flendi, quia superfluae vestes in arca, et aurum (f. 370^{r}) repetitum corrumpi debent, et ipsorum corruptio accusabit vos in die iudicii, quia non poteritis negare vos habuisse superflua. Et illae tineae et aerugo manducabit in aeternum animas vestras, quia vermis non morietur etc. Ideo dum tempus habeamus, operemur bonum! Seminetis aurum et vestes et reliqua in sinum pauperum; nam reddet septuplum et sine labore portatum in domum nostram coelestem. Magna felicitas, si dares tantum semen ad seminandum agrum, et colonus sine ullo tuo labore vel sumptu ferret centuplum in horreum tuum! Ita est hoc, etc.

Denique *arietes, qui cornibus feriunt debiliores*, sunt viri potentes, qui opprimunt debiliores vel favore vel

gratia vel pecunia (1), vel etiam armis et violentia. Hoc est gravissimum peccatum, quia isti obliviscuntur se esse fratres, immo etiam se esse homines, quia bestiarum est viribus niti sine ratione et ut fortior comedat debiliorem. Isti adeo excaecantur, ut putent iustum et velint haberi iustum, quod ipsis libet, et inveniunt modum iustificandi etiam maximas iniustitias. Achab voluit vineam Naboth, et quia noluit dare, putavit sibi factam iniuriam. Unde uxor eius Iezabel invenit modum iustificandi adeptionem vineae. Iussit falsos testes surgere contra Naboth, quod blasphemasset Deum et Regem, et sic fuit lapidatus et vinea confiscata. Sed Deus, qui omnia videt, et est Pater viduarum et iudex pupillorum, Nabothum per patientiam coronavit et fecit occidi Achab, et Iezabel praecipitari ex fenestra et comedi a canibus. Et insuper occidit omnes filios et consanguineos eius. Ita rapuit vineam at amisit regnum; occidit unum hominem et fuit ipse occisus cum tota progenie. Reliquit insepultum Nabothi, et ipsa Iezabel non potuit sepeliri, (f. 370^{v}) quia devorata a canibus, [3 *Reg.* 21 et 22; 4 *Reg.* 9]. Et si quando haec iudicia Dei non apparent, peius est, quia servatur punitio pro alia vita, ubi sine misericordia fiet iudicium. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Potentes potenter tormenta patientur. Ex uno iudicio Dei oportet argumentari de aliis, quia idem est Deus, aeque sapiens, aeque potens, aeque bonus. (f. 372^{r} contin.)

(1) Cf. Serm. VII de Serm. Dom. *in* monte: « Alii sunt, qui mutuo dant tum viri, tum feminae; sed volunt praeter capitale usuram, qualem nec inter gentes audivimus umquam consuetam fuisse. Volunt enim singulas carolinas pro scuto singulis mensibus, ut sit maior usura in capite anni quam capitale ». Arch. P. Un. Gregor. 385a, fol. 192v. Originem depravationis commercii rerum pecuniarium breviter indicat Bellarminus in sermone habito anno 1603 Dom. IX post Pentecost.: « Cambium inventum fuit tamquam medium ad negotiandum merces; at postea evasit negotiatio ipsa, et finis negotiationis ». Arch. P. Un. Gregor. 385, fol. 631v.

Ultimam tales essent oves meae, ut possem gaudium et coronam de illis habere. Oves ruminant, id est cogitant, examinant se super auditis in contione, etc.

***

In lucem editis quattuor instructionibus pastoralibus, quae mirum in modum illustrant regimen Bellarminianum ecclesiae Capuanae, appendicis gratia quaedam addere iuvat de relatione, quam habuit Bellarminus Episcopus ad civilem auctoritatem. Ex *Autobiographiae* cap. 38 (1) constat defensorem famosum potestatis indirectae R. Pontificis in res temporales cum ministris Philippi II dissensiones alicuius momenti non habuisse, immo optime cum iis concordasse: « Ministri quoque regii nihil molestiae illi umquam intulerunt, sed venerabantur eum, quoniam arbitrabantur eum esse Dei servum ». Hac de re Bellarminus a Clemente VIII in epistola 28 Dec. 1603 maxima laude affectus est (2). Qua prudentia autem in dissensionibus cum potestate civili procedendum exsistimaret, clare elucet ex *Admonitione ad Episcopum Theanensem* controv. 7, ubi de relatione ad principes duas has regulas aureas statuit (3):

« Duo in re tam ardua mihi occurrunt. Primum, ut nihil temere et sine maturo consilio agamus; et si nobis non adsint in praesentia viri periti, quorum consilio fidere possimus, scribamus, si tempus patitur, ad absentes. Alterum, ut sic vivamus, ut intelligant principes vel principum administri, nos non quaerere occasiones cum illis rixandi, sed solo Dei timore et honore

(1) X. Le Bachelet S. I., *Bellarmin avant son Cardin.*, pag. 463.

(2) Cf. J. Brodrick S. I., *Blessed Robert Bellarmine*, II, pag. 104-105. In eadem epistola Papa etiam laudat Regis ministrum.

(3) X. Le Bachelet S. I., *Auctarium*, pag. 652.

duci, ut libertatem Ecclesiae defendamus ; et alioqui eorum amicitiam optare et magni facere. Et revera conemur officiis et beneficiis amicitiam illorum diligenter conservare et nutrire : multa enim principes saeculi amicis episcopis concedunt, quae non concederent iis, quos adversarios sibi esse sciunt aut credunt ».

Hac de causa, ceteris paribus, nobilitas sanguinis et amicitia principum Bellarmino auctore ratio esse potest, cur unus prae alio in episcopatum adoptetur. In *sermone XI de Sermone Domini in monte*, qui totus est de munere doctorum et pastorum in Ecclesia, hac de re dicit : (1)

« Quando illa duo (vita exemplaris scil. et doctrinae copia) desunt, reliqua omnia non sufficiunt (episcopo creando) ; quando illa adsunt, reliqua non sunt necessaria. Sed ceteris paribus, nobilitas est attendenda, quia utilis. Sic etiam commendatio principum non est spernenda, quia bonum est habere principes amicos. Similiter meritum, quia servivit ecclesiae, attendendum est, quia id requirit iustitia distributiva ; sed anteponenda est utilitas ecclesiae. Sic de paupertate : bonum est providere pauperi, sed non cum detrimento ecclesiae ».

Non autem exsistimandum est, Bellarminum, si opus erat, iura Ecclesiae non acriter defendisse. Quod luce clarius apparet ex pugna, quam iniit cum *gabellottis*. In oratione quadam, quam habuit Capuae in festo Sancti Matthaei — nomen sit omen! — sic libertate apostolica flagrans est locutus (2) :

« Discant hoc exemplo (Sancti Matthaei) Gabellotti periculum suum et timeant et convertantur, dum

(1) Arch. P. Un. Gregor. 385a, fol. 216r.

(2) Arch. P. Un. Gregor. 385a, fol. 90v-91r. Gabellotti sunt exactores gabellarum ; gabellae autem (a voce Arabica *qabala*) vectigalia quaedam, a municipiis victui imposita. Exigebantur a venditoribus, qui ea repetebant ab emptoribus.

tempus habent. Praecipue peccatur hoc tempore in exactione gabellae a clericis. Quod est tam magnum peccatum, ut excommunicatio addita sit, quae est summa poenarum. Et qui non timent excommunicari signum est, quod parum credunt, et sunt similes ethnicis et publicanis. Ac ut videant, quo fundamento nitatur immunitas ecclesiastica, primo Concilium Tridentinum sess. 25 (1) dicit ordinatione divina et humana consistere. Idem dicit Concilium Lateranense sub Leone X, sess. [9] (2). Idem Bonifacius in capite *Quamquam* de Censibus (3). Idem alii. Secundo hoc semper observatum est apud omnes, et etiam apud gentiles. Natura enim hoc docet. Hebraei sacerdotes et Levitae erant immunes a gabellis et tributis, ut patet *Exod.* 30, 12 et *Numer.* 1, 49 et 1 *Esdrae* 7, 24. Item sacerdotes Aegyptii tempore Pharaonis, *Gen.* 47, 22. Item de aliis sacerdotibus gentilium ex Aristotele 2 *Oeconomicorum;* ex Caesare lib. 6 *de bello Gallico,* ex Plutarcho in *Camillo* (4). Apud Christianos primus Imperator Christianus Constantinus statim exemptos clericos declaravit apud Eusebium lib. 10 *Hist.* cap. 7 (5). Idem fecerunt Iustinianus et alii. Immo Basilius Imperator apud Balsamonem in *Nomocanone Photii* (6) dicit causam omnium malorum Graeciae fuisse quandam legem sui praedecessoris contrariam immunitatis ecclesiae. Tertio: bona ecclesiae sunt bona Christi, ut habetur in *canonibus Apostolorum* (7) et alibi passim, et clerici sunt proprie ministri Christi. Quis non videt non decere, ut Christus solvat gabellas! Et sic ipsemet dixit *Matth.* 17, 27: *Ergo liberi sunt filii.* Id

(1) Conc. Trid. sess. 25 cap. 20 de reformatione: Mansi XXXIII, 192-193.
(2) Conc. Later. V sess. 9: Mansi XXXII, 884.
(3) Bonif. VIII in Sext. Decr. tit. XX, cap. 4: *Quamquam.*
(4) Testimonia gentilium vide in Controv. *De Clericis* I, cap. 29.
(5) Const. *ad Anulinum,* apud Euseb. *Hist. Eccl.* 10, 7: MG 20, 893.
(6) Basil. Porphyrog. apud Theod. Balsamon., *In Conc. I Const.* can. 1: MG 137, 109 sq.
(7) *Const. Apost.* II, 25: MG 1, 660-665.

est: Filius Dei liber est cum tota sua familia. Quarto: clerici solvunt decimas Papae et multa alia onera: seminariorum, synodorum, procurationum etc. Sicut ergo Papa non imperat gabellas nisi clericis, ita non debent principes imponere gabellas nisi laicis ».

Nec dubitat Bellarminus principia modo posita ad praxin applicare et ex iis sequelas deducere rigorosissimas. Anno enim 1604 Dominica XIII post Pentecosten ad gabellarum quaestionem redit et sic rem Capuanam describit (1):

« Duo vitia... iterum reprehendam, nec cessabo. Unum est de otio et ludis... Alterum est de gabellis, quas coguntur solvere clerici. Propterea sunt excommunicati fere omnes, qui vendunt panes, vinum, carnes, fructus et similia. Nec sufficit dicere, quod clerici sunt contenti. Id enim faciunt coacte, ut iis dentur res bonae et cito. Quale est hoc malum, ut sint tot excommunicati in hac civitate! Immo tot contemnentes excommunicationem et non curantes gratiam Dei pro tribus obolis! Sed hoc redundat etiam in maiores, qui deberent invenire modum, quo isti non haberent occasionem hoc faciendi ».

Ex hisce verbis clare apparet, Bellarminum in vindicandis veris Ecclesiae iuribus habuisse animam inflexibilem. Et mirum non est, eum numquam a magistratibus civilibus litteras exhortatorias accepisse, in quibus rogaretur episcopus, ut « prout ei cordi erat gratia Regis, Domini sui », desisteret ab aliquo praecepto ecclesiastico iam edito, illudve in aliud mutaret. Respondisset enim Sanctus, ut aliquando colloquens clare expressit: sibi gratum fore, ut magistratus a tali modo agendi abstineret, « prout ei cordi erat gratia Dei, Domini Nostri ». Haec est libertas filiorum Dei (2).

(1) Arch. P. Un. Gregor. 384, fol. 650r-650v.

(2) Cfr A. Fiocchi S. I., *S. Rob. Bellarmino*, pag. 379; J. Brodrick S. I., *Blessed Robert Bellarmine*, II, pag. 99.

Talem autem libertatem plene sibi vindicare non potuisset Sanctus Episcopus, nisi tum populus tum magistratus eum habuissent verum servum Dei. Quod fuit gradu eximio.

SEB. TROMP S. I.

De natura liturgiae ad mentem Sancti Thomae.

Quid nomine liturgiae designetur.

Ut definire possimus quid nobis ad mentem s. Thomae sentiendum sit de natura liturgiae catholicae, necesse est primo demonstremus quid hoc nomine designandum sit.

Nomine igitur liturgiae universitatem illam rituum et formularum designamus quae in Ecclesia catholica missam, sacramenta, sacramentalia, officium canonicum horarum, funebria constituunt (1).

Et in hac re omnes liturgistae nobiscum concordes sunt. Ubi tamen pressius sensum vocis liturgiae definire conantur, auctores iam non omnino inter se conveniunt, cum timeant quidam ne liturgiae nomine rem tam magnam atque amplam designando, vitae vel scientiae liturgicae nimium concedere cogantur.

Alii namque usum communem suae nationis in argumentum afferentes, volunt — vel voluerunt — id tantum in missa et in sacramentis nomine liturgiae appellandum esse quod est in iis sensibile, caerimoniale ac decoris causa ritibus principalibus additum (2).

---

(1) Annus liturgicus potius quam cultus liturgici pars eius generalis quaedam forma dicendus est.

(2) V., v. g., J. J. NAVATEL S. J., *L'apostolat liturgique et la piété personnelle*, in *Etudes des Pères de la Compagnie de Jésus*, t. 137 (1913), pp. 452; 457.

Illis scriptoribus scilicet liturgiam constituunt non ipsi ritus sacri cum suis propriis formulis, sed caerimoniae tantum et formulae secundariae, quibus ritus illi aucti et, tamquam splendidis vestimentis, induti apparent

Alii existimant eatenus missam et sacramenta esse liturgica quatenus ab Ecclesia sunt ordinata, seu liturgiam aliud non esse quam ordinationem ecclesiasticam sacrorum rituum. Ut autem missa et sacramenta sunt a Christo instituta, adeoque quod ad suam solam substantiam pertinet, nondum sunt res liturgicae, sed ut tales fierent, necesse fuit ut ab Ecclesia complerentur et ordinarentur (3).

Idemque fere sentiunt illi philosophiae religiosae doctores qui ab ipso divino cultu liturgiam discernentes, hanc arbitrantur esse cultus secundariam quandam atque addititiam, partem, eamque exteriorem ac « collectivam » quam singulae ecclesiae christianae, aliae aliter, suis legibus ac consuetudinibus constituerunt et ordinaverunt (4).

Alii denique, omnem talem missae ac sacramentorum partitionem respuentes, liturgiam ex omnibus ac totis illis ritibus constare affirmant, cum censent non solum ea quae sunt in iis de iure ecclesiastico, sed etiam ea quae sunt de iure divino, non solum partes eorum secundarias et mutabiles, sed etiam praecipuas seu essentiales, liturgiam constituere (5).

---

(3) V. praesertim C. Callewaert, *Liturgicae Institutiones*, Tractatus Primus. *De sacra liturgia universim*. edit. 3.a (1933), pp. 6-10.

(4) Hermann Hering, *Liturgie*, in *Realencyklopädie für protestantische Theologie*, t. XI, pp. 538-545; Mensching, *Liturgie*, in *Die Religion in Geschichte und Gegenwart*, t. II, pp. 1683-1685; Robert Will, *Le culte. Etude d'Histoire et de Philosophie religieuses*, t. II, 1929, p. 6; etc.

(5) Sic, v. g., L. Beauduin OSB., *Essai de manuel fondamental de liturgie*, in *Quaestions liturgiques*, t. III (1913), p. 57;

Haec porro sententia nostra quoque est. Quicumque enim persuasum sibi habet cultum liturgicum ab Ecclesia catholica adhibitum non e subiectiva quadam populi credentis « experientia religiosa », sed e divina institutione ortum esse, illiusque cultus institutionem arte cum eiusdem Ecclesiae constitutione cohaerere intellegat, quomodo duas priores sententias quas supra breviter exposuimus, arbitrariis distinctionibus nixas esse non existimaverit? Tales certe nobis videntur, et proinde liturgiam catholicam ex ipsa missa, ex ipsis sacramentis ac sacramentalibus, ex ipso horarum et funeris officio constitutum esse sine dubio asseveramus (6).

Quid sit liturgia.

Qua re posita, restat tamen ut determinemus quaenam sit, missae, sacramentorum, sacramentalium et ceterorum rituum liturgicorum communis ratio ob quam liturgici appellandi sint.

Et hic iterum liturgistas et, suo modo, ceteros quoque philosophiae religiosae theoreticos consentientes reppereris, cum omnes sine dubio affirment ritus sacros liturgicos esse quatenus cultum divinum ab Ecclesia publice procuratum constituunt, in hoc vero inter se discrepantes quod propriam cultus publici rationem alii aliis modis intellegunt.

Alii nimirum censent omnis cultus religiosi naturam in eo sitam esse quod per eum Deus hominem

---

F. M. Festugière OSB., *La liturgie catholique*, in *Revue Thomiste*, t. XXII (1914), p. 44; Gatterer S. J., *Annus liturgicus cum introductione in disciplinam liturgicam*, 1925, p. 5; L. Eisenhofer, *Handbuch der katholischen Liturgik*, t. I, 1932, p. 6.

(6) Quidam suas distinctiones eo usque deducere velint, ut negent horarum recitationem liturgica messe, nisi in choro, cum debitis ritibus, agatur. De definitione liturgiae, v. articulum nostrum *La définition de la liturgie*, in *Gregorianum*, t. VIII (1927), pp. 207-215.

ad divinam unionem movet — vel sic hominem movere videtur — homo rursus ad hanc unionem consequendam tendit (7).

Alii cultum divinum (Gottesdienst) definiunt verbi praedicationem ac sacramenti functionem ab unaquaque ecclesia ordinatam — unde liturgica quoque efficitur — et usu orationis completam, qua communitas fidelium se ipsa in spiritu aedificat (8).

Alii duplici quoque nota naturam cultus divini ab Ecclesia catholica adhibiti determinantes, docent eum omnes illos ritus complecti quibus Ecclesia Deum honorat — quod praesertim sacrificio missae et officio horarum agit — suosque fideles sanctificat — quod maxime sacramentis ac sacramentalibus et aliquo modo etiam ritibus funebribus operatur. Sic saltem ante paucos annos, plerique scientiae liturgicae studiosi dicebant.

Alii divinum Ecclesiae nomine « cultus mysterici » appellantes, existimant hanc eius esse naturam quod e mysteriis christianis constat. Mysteria enim esse missam, sacramenta, sacramentalia, horas canonicas, cultum sanctorum, quoniam in iis fideles non solum redemptionis a Christo peractae fructum percipiunt, sed istius operis socii efficiuntur, utpote quod ad hoc in singulis ritibus seu partibus cultus liturgici una cum ipso Christo praesens reddatur (9).

---

(7) V., v. g., Robert Will, *Le culte. Etude d'Histoire et de Philosophie religieuses*, t. I, 1925, pp. 61-80.

(8) Hermann Hering, *Gottesdienst*, in *Realencyklopädie für protestantische Theologie*, t. VII, pp. 1-7. Cfr Bertholet, *Gottesdienst*, in *Die Religion in Geschichte und Gegenwart*, t. II, pp. 1325-1326.

(9) De nova hac theoria, v., praeter alias innumeras dissertationes super editas, nostrum articulum : *Estne liturgia cultus mystericus?* in *Periodica de re morali, canonica, liturgica*, t. XXIII (1934), pp. 112*-132*; 137*-146*. Scriptis P. Odonis Casel OSB ibi recensitis addendum est hoc : *Die Eucharistielehre des hl. Justinus Martyr*, in *Der Katholik*, IV. Folge, Bd. XIII (1914, II), pp.

Quidquid autem de istis opinionibus sentiendum est — unaquaeque saltem aliquid veri continet, etsi quaedam vix ab homine catholico admitti possint, — nos in definiendo cultu qui publice in Ecclesia catholica Deo exhibetur ipsum s. Thomam ducem sequemur. Primo namque manifestum est sanctum Doctorem cultum quem Ecclesia Deo publice tribuit, non solum in sacrificio missae sed etiam in ipsis sacramentis ac sacramentalibus et in ipso cotidiano horarum officio ponere (10); certum deinde est illum sibi absolutissimum ac subtilissimum quendam divini cultus conceptum effinxisse qui simul aptissime in singulas cultus liturgici partes quadrat (11).

Multum tamen deest ut universa doctrina s. Thomae de natura cultus divini sit in uno suae *Summae Theologicae* loco quasi collecta. Ex parte enim reperitur in I-II ac II-II, et ex parte in III, et in singulis istis partibus inter plures quaestiones divisa est, quae diversas materias tractant. Plura habentur etiam in III et IV libro *Distinctionum* et in libro III *Summae contra Gentes*. Adde quod in usu vocabulorum seu no-

153-176; 243-263; 331-355; 414-436. Dissertationibus aliorum auctorum: Pl. Rupprecht OSB. *Sacrificium mediatoris. Die (Zu den) Opferanschauungen des Aquinaten*, in *Divus Thomas* (Freiburg), IX (1931), pp. 293-308; 397-428; X (1932), pp. 59-78; 514-530; XI (1933), pp. 315-344; 411-426. — Bernhard Poschmann, « *Mysteriengegenwart* » *im Licht des hl. Thomas*, in *Theologische Quartalschrift*, CXVI (1935), pp. 53-116. — J. Bütler S. J., *Die Mysterienthese der Laacher Schule im Zusammenhang scholastischer Theologie*, in *Zeitschrift für katholische Theologie*, LIX (1935), pp. 546-571. — Burkhard Neunheuser OSB (Marialaach), *Zur theologischen Rechtfertigung der Lehre vom Kultmysterium*, in *Liturgisches Leben*, II (1935), pp. 189-217. — Joseph M. Scheller OP, *Zur Mysterienlehre*, in *Zeitschrift für Aszese und Mystik*, XI (1936), pp. 61-63.

(10) *Summa theologica*, II-II, qq. 82-91 et I-II, q. 101, a. 4; q. 108, a. 2, ad 2m; III, q. 65, a. 1, ad 8m. De ratione qua s. Thomas sacramenta cum cultu divino coniungit, plura postea dicentur.

(11) Verissime scilicet, iterum dictum apparet « Sanctum Thomam semper formalissime loqui ».

minum s. Doctor non semper secum plene constans est (12).

Itaque syntheticam istius doctrinae expositionem nobis non inutilem fore existimavimus.

De natura cultus divini

Deus ab omnibus creaturis ratione praeditis colitur; coluntur parentes a filiis suis, homines in dignitate constituti — ut puta principes, duces militares, magistri — a suis subditis et etiam ab alienis, domini denique a servis suis. Cultus scilicet id est quod a creaturis rationalibus Deo, a filiis parentibus, ab omnibus hominibus et praesertim a subditis suis hominibus in dignitate constitutis, a servis dominis suis tamquam debitum quoddam, debito iustitiae satis simile, praestandum est (13).

Omnis autem cultus a s. Thoma tam arte cum *honore* copulatur, ut principaliter in hoc situs appareat. Deus colitur, cum ei debitus honor ac servitus exhibetur, parentes coluntur cum iis honor et obsequium, homines in dignitate constituti, cum cultus et honor, domini, cum honor et ea quae cum hoc connexa sunt tribuuntur. Cultus igitur praecipue ex honore constat,

---

(12) Locus praecipuus in quo agatur de cultu divino est *Summa theologica*, II-II, qq. 81-91. Ei addendi sunt: *Summa theologica*, I-II, q. 99, a. 3, c.; q. 101, a. 2, c. et ad 3; q. 102, a. 4, c.: a. 5, ad 4; q. 103, a. 3, c.; a. 4, c.; II-II, q. 92, a. 1, c. et ad 3; a. 2, c.; q. 93, a. 2, c.; q. 95, a. 2, c.; qq. 101 (de pietate), 102 (de observantia), 103 (de dulia); q. 121, a. 1; q. 122, a. 4, c.; III, q. 25 (tota); q. 63, a. 4, ad 3: *III Dist.*, dist. 9 (tota); *IV Dist.*, d. 13, q. 2, a. 1, ad 4; d. 15, q. 4, a. 2, qu. 1, c. vers. fin.; *Summa contra Gentes*, l. III, cc. 119-120.

(13) II-II, qq. 80-103. Etiam actus virtutis paenitentiae ad praestationem debiti cuiusdam erga Deum pertinet adeoque ii quoque actus cultus divini dici possunt. V. L. De San S. J., *Tractatus de paenitentia*, 1900, pp. 33-67. Paenitentia ut est virtus specialis, pars potestativa est iustitiae, probabiliter non differens a virtute religionis.

una autem cum eo complectitur etiam quaecumque pertinent ad perficiendam propriam seu specialem honestatem actuum quibus homo ad ipsum Deum vel ad alios homines ordinatur (14).

Verum quidem est s. Thomam ubi de cultu hominibus in dignitate constitutis debito, seu de observantia, disserit, cultum et honorem, non tamquam totum quoddam et huius partem, sed tamquam duas unius rei partes demonstrare. Scribit videlicet (15):

> Ad eos qui sunt in dignitate constituti, pertinet gubernare subditos. Gubernare autem est movere aliquos in debitum finem, sicut nauta gubernat navem, ducendo eam ad portum: omne autem movens habet excellentiam quandam et virtutem supra id quod movetur. Unde oportet quod in eo qui est in dignitate constitutus, primo consideretur excellentia status cum quadam potestate in subditos, secundo ipsum gubernationis officium.
>
> Ratione igitur excellentiae debetur ei honor, qui est quaedam recognitio excellentiae alicuius. Ratione autem officii gubernationis debetur ei cultus qui in quodam obsequio consistit, dum scilicet aliquis eorum obedit imperio et vicem beneficiis eorum suo modo rependit.

Re tamen vera causa istius oppositionis haec tantum esse videtur, quod tota illa quaestio de observantia loco quodam e M. Tullii Ciceronis Libro II *De Inventione* nititur, in quo dicitur eam esse observantiam « per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam et honore dignantur » (16). Tullium porro

---

(14) II-II, qq. 80-103. V. praesertim q. 102. a. 2, ad 1: « In cultu non solum intellegitur honor: sed etiam quaecumque alia quae pertinent ad decentes actus quibus homo ad alium ordinatur ». Haec dicta sunt de cultu humano, at liquet ea, mutatis mutandis etiam de cultu divino esse affirmanda.

(15) II-II, q. 102, a. 2, c.

(16) C. 53, n. 161. Cfr eiusdem libri c. 22, n. 66, ubi quoque observantiae definitio quaedam, alterius plane similis, proponitur.

auctorem sequens, s. Thomas vocem cultus sensu paulo artiore non sine aliqua ambiguitate adhibuit; quam ambiguitatem vitasset, si pro voce *cultus*, v. g., verbum *obsequium* usurpasset. Eum tamen propterea alterius ac generalioris sensus nominis cultus non esse oblitum demonstrat quod locus quo affirmat honorem una cum aliis rebus ad honestatem commercii humani necessariis cultu contineri, in eadem q. 102 legitur (17).

Honor quem omnis cultus partem principaliorem esse diximus, seu honor in genere, est quaedam recognitio alicuius excellentiae; importat testificationem quandam de excellentia eius; est protestatio de excellentia eius bonitatis (18).

Honor autem Deo exhibitus is est qui Dei propriam et singularem excellentiam respicit. Per eum homo divinam excellentiam protestatur (19). Graeco nomine vocatur *eusebia* vel *theosebia* (20).

Reverentia vero sic ab honore differt quod ex una parte est primum motivum ad honorandum, in quantum scilicet aliquis ex reverentia quam habet ad aliquem, eum honorat; ex alia vero parte est honoris finis, inquantum aliquis ad hoc honoratur, ut in reverentiam habeatur ab aliis (21).

Cultum divinum hoc habere proprium diximus quod Deo exhibet debitum honorem et servitutem. Quod s. Thomas his verbis exprimit (22):

> Eodem actu homo servit Deo et colit ipsum. Nam cultus respicit Dei excellentiam, cui reverentia debe-

(17) II-II, q. 102, a. 2, ad 1. V. supra.

(18) II-II, q. 81, a. 4, ad 3: q. 101, a. 1, c.; q. 102, a. 2, c.; q. 103, a. 1, c.; a. 2, c. Cfr III, q. 25, a. 1, c.

(19) II-II, q. 81, a. 3, ad 2.

(20) II-II, q. 81, a. 1, ad 4. Cfr S. Augustinus, *De Civitate Dei*, lib. X, c. 1, n. 3, PL. 41, 279; cfr. c. 3, n. 2, ibid., 280.

(21) II-II, q. 103, a. 1, ad 1.

(22) II-II, q. 81, a. 3, ad 2, q. 103, a. 3, ad 2.

> tur. Servitus autem respicit subiectionem hominis, qui ex sua conditione obligatur ad exhibendum reverentiam Deo. Et ad haec duo pertinent omnes actus qui religioni attribuuntur — id est actus cultus — quia per omnes homo protestatur divinam excellentiam et subiectionem sui ad Deum.

Et etiam clarius (23):

> Quia vero Deus non solum est nostri esse causa et principium, sed totum nostrum esse in potestate ipsius est; et totum quod in nobis est, ipsi debemus; ac per hoc vere Dominus noster est: id quod in honorem Dei exhibemus, servitium dicitur. Est autem Deus dominus non per accidens sicut hominis homo, sed per naturam. Et ideo aliter debetur servitium Deo: et aliter homini, cui per accidens subdimur, et qui habet aliquod particulare in rebus dominium, et a Deo derivatum. Unde servitium quod Deo debetur, specialiter apud Graecos latria vocatur.

Honor igitur quem Deo in cultu nostro tribuimus, respicit Dei excellentiam quae illi inest ut est primum omnium rerum creationis ac gubernationis principium; *servitus* vero nostra dominium cum isto divino principatu congruens, quod Deus in nos exercet. Seu cultus quem Deo impendimus, est cultus qui Deo a suis servis debetur et inde est quod totus cultus divinus sine discrimine a s. Thoma servitus nominatur. Vocatur etiam *famulatus* (24):

> Manifestum est quod operari ea quae pertinent ad divinum cultum seu famulatum, pertinet ad religionem.

---

(23) *Summa contra Gentes*, l. III, c. 119. Cfr c. 120, Amplius. Latria servitium dicitur, etc.

(24) II-II, q. 82, a. 2, c. Animadvertat lector rationem quae est inter usum verborum servitutis et famulatus apud s. Thomam et praesentiam similium vocabulorum in formulis liturgicis, v. g., in canone: « famulorum famularumque tuarum », « oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae », « nos servi tui sed et plebs tua sancta », « nobis... famulis tuis ». Haec namque sensu speciali ac theologico intellegenda videntur.

Vel etiam *latria* (25):

> Cum servus dicatur ad dominum, necesse est quod ubi est propria et specialis ratio dominii, ibi sit specialis et propria ratio servitutis. Manifestum est autem quod dominium convenit Deo secundum propriam et singularem quandam rationem: quia scilicet ipse omnia fecit et quia summum in omnibus obtinet principatum et ideo specialis ratio servitutis ei debetur. Et talis servitus nomine latriae designatur apud Graecos: et ideo ad religionem proprie pertinet.

Ex iis quae diximus sequitur specialem quandam rationem esse agnoscendam inter cultum divinum et cultum illum humanum quem servi seu famuli suis dominis debent, seu inter latriam et *duliam;* hoc namque nomine s. Thomas cultum humani dominii designat. Latria videlicet est quaedam superexcellens dulia seu, ut dicit s. Thomas in explicando loco quodam e *Glossa interlineari* Anselmi Laudunensis (1117) exscripto, « latria per excellentiam dicitur dulia, inquantum Deus excellenter est dominus » (26).

Cum hac interpretatione verborum latriae et duliae, parum igitur concordat altera quaedam in qua s. Thomas, auctoris *Glossae interlinearis* vestigiis inhaerens, iisdem nominibus utitur ad duos cultus divini aspectus, seu etiam partes, significandas (27):

> Adoratio humanitatis Christi dupliciter potest intellegi. Uno modo ut sit eius sicut rei adoratae, et sic adorare carnem Christi nihil est aliud quam adorare Verbum Dei incarnatum, sicut adorare vestem regis

(25) II-II, q. 81, a. 2, 1, ad 3. Cfr *Summa contra Gentes*, l. III, c. 119.

(26) II-II, q. 103, a. 3, ad 1. Locus *Glossae interlinearis* ad Ps. VII, v. 1, pertinet; eius verba sunt haec: « Domine omnium per potentiam, cui debetur dulia: qui es omnium per recreationem Deus, cui debetur latria » V. Petrus Lombardus, *Commentarii in psalmos*, Ps. VII, v. 1, Pl. 191, 111 D - 112 A.

(27) III, q. 25, a. 2, c.

> nihil est aliud quam adorare regem vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio latriae. Alio modo potest intellegi adoratio humanitatis Christi, quae sit ratione humanitatis Christi perfectae omni munere gratiarum et sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriae sed adoratio duliae; ita scilicet quod una et eadem persona Christi adoretur adoratione latriae propter suam divinitatem, et adoratione duliae propter perfectionem humanitatis. Nec hoc est inconveniens; quia ipsi Deo patri debetur honor latriae propter deitatem et honor duliae propter dominium, quo gubernat creaturam.

Etenim liquet sensum qui hic, nimirum in p. III, voci duliae tribuitur, eum esse qui in II-II verbo latriae proprius dicitur, et cum illic duo ista nomina analoga appareant, hic antithetica seu contraria perhibentur.

Etsi igitur cultus quem homines Deo debent necessario servitus seu famulatus est, quoniam Deum aliter colere non possunt, quam eius dominium honorando, caveamus tamen istum famulatum seu servitutem idem esse existimemus quod oboedientiam: ille namque dominium divinum simpliciter honorat, seu, ut mox demonstrabimus, illud agnoscit ac profitetur, haec divina praecepta exsequitur. Sine praecepto tacito vel expresso actus oboedientiae fieri non potest, potest vero actus famulatus seu servitutis. Causa famulatus est « subiectio », sicut reverentia causa honoris est. Causa autem oboedientiae est bonitas specialis rei praeceptae quia praecepta est (28).

---

(28) De oboedientia erga dominos humanos agit S. Thomas in II-II, q. 104. V. etiam Suaresius, *De natura et essentia virtutis religionis*, lib. III, c. 6, *An religio ab oboedientia distinguatur*. Docet videlicet Suaresius religionem ab oboedientia proprie distingui, tamque diversas esse rationes formales cultus et oboedientiae, ut unum non contineatur sub altero tamquam sub superiore et, cum eadem oboedientia inclinemur ad obtemperandum Deo et ho-

Denique ut etiam pressius circumscribatur conceptus cultus a s. Thoma propositus, confert ab honore *gloriam* quoque distinguere. Dubium namque non est quin duae hae res pluribus rationibus inter se discrepent, licet in quodam *Summae theologicae* loco s. Thomas doceat finem cultus esse « ut Deo homo det gloriam et ei se subiciat mente et corpore ». (29)

De fine cui proprio cultus.

Deus ipse est finis cui proprius cultus divini, seu ille est cui in culto divino legitimo ab hominibus honor et servitus exhibetur. Obiectum vero cultus Deus dici non potest: (30)

> Duo in religione considerantur. Unum quidem, quod religio Deo affert, scilicet cultus; et hoc se habet per modum materiae et obiecti ad religionem. Aliud autem est id cui affertur, scilicet Deus, cui cultus exhibetur; non quod actus quibus Deus colitur ipsum Deum attingant; sicut cum credimus Deo, Deum credendo attingimus... Affertur autem Deo debitus cultus in quantum actus quidam quibus Deus colitur, in Dei reverentiam fiunt, puta sacrificiorum oblationes et alia huiusmodi. Unde manifestum est quod Deus non comparatur ad virtutem religionis (neque ad cultum) sicut materia vel obiectum sed sicut finis.
>
> Religio ordinat hominem in Deum, non sicut in obiectum, sed sicut in finem (31).

---

minibus, non eadem religione Deum colamus et sanctos. Sic quoque interpretandos esse demonstrat locos s. Thomae qui contrarium affirmare videantur. *Opera omnia*, Parisiis, Vivès, t. XIII, pp. 61-63. De subiectione ut est causa famulatus v. *Summam theologicam*, II-II, q. 81, a. 3, ad 2; q. 103, a. 3, a. 2.

(29) II-II, q. 81, a. 4, ad 2; q. 93, a. 2, c.; q. 103, a. 1, ad 3. De distinctione honoris et gloriae, v. *De sacramento paenitentiae et liturgia*, in *Ephemerides liturgicae*, XXXVIII (1924), pp. 77-78, vel *La définition de la liturgie*, in *Gregorianum*, VIII (1927), pp. 218-219.

(30) II-II, q. 85, a. 5, c.

(31) II-II, q. 85, a. 5, c. et ad 2.

Rursus cum dicitur Deus esse finis cultus, non consideratur Deus prout est finis ultimus et communis omnium actuum honestorum, sed ut est finis specialis cui ob singularem suam excellentiam ac summum dominium cultus divinus ab hominibus tribuatur.

Deus igitur ipse, et Deus dumtaxat, est finis cui cultus. Videntur quidem in cultu liturgico Ecclesiae non Deo tantum sed etiam Humanitati Christi, Beatissimae Virgini Mariae, sanctis ac beatis, immo celebrantibus, ministris, ipsis fidelibus, rebus denique compluribus, ut puta, sacramentis atque eorum « materiis », reliquiis, altaribus, ecclesiis, vasis, libris ac vestimentis sacris proprii sui honores exhiberi. Re tamen vera isti honores quoque, licet creaturas respiciant, Deo nihilominus exhibentur. Etenim:

1⁰ Quatenus creaturae quas memoravimus imagines possunt dici Dei, valet de iis id quod de cultu imaginum scribit s. Thomas (32):

> Motus qui est in imaginem, in quantum est imago, refertur in rem cuius est imago... Vel dicendum quod motus qui est in imaginem quodammodo est in rem... et ideo reverentia quae exhibetur alicui, in quantum est imago Dei, redundat quodammodo in Deum. Alia tamen est reverentia quae ipsi Deo exhibetur, quae nullo modo pertinet ad eius imaginem.

Estne igitur cultus quo colitur res quaedam vel persona ut est imago Dei, cultus vere divinus, id est adorationis ac latriae? Rationem affirmandi ipsum s. Thomam nobis suppeditare aestimare quispiam possit. Postquam enim distinxit duliam a latria, illam homini dominanti deberi affirmat, prout dominio suo praecellens est, adeoque etiam censere videtur eidem homini dominanti, prout ob dominium suum imago Dei est, cultum latriae seu adorationis esse exhiben-

(32) II-II, q. 103, a. 3, ad 3.

dum. At rursus nonne talem consequentiam idem s. Doctor sine dubio excludit, ubi negat reverentiam Deo exhibendam ullo modo ad eius imaginem pertinere? Re vera dicendum est hanc negationem homines tantum qui aliqua ratione Dei imagines sint respicere, non res. Scribit enim idem s. Thomas in III, q. 25, a. 3, ubi de cultu imaginum Christi disserit (33):

> Creaturae rationali debetur reverentia propter seipsam et ideo, si creaturae rationali in qua est imago Dei, exhiberetur adoratio latriae, posset esse erroris occasio, ut scilicet motus adorantis sisteret in homine, inquantum est res quaedam et non ferretur in Deum cuius est imago; quod non potest contingere de imagine sculpta, vel picta in materia sensibili.

Ubi vero de adoratione agit quae debetur imaginibus Christi et eius cruci, prout haec repraesentat figuram Christi extensi in ea, aperte docet illam adorationem esse latriae, immo tali adoratione quamlibet Christi crucifixi effigiem venerandam esse (34):

> Imagini Christi, inquantum est res quaedam... nulla reverentia exhibetur, quia reverentia non nisi rationali naturae debetur. Relinquitur ergo quod exhibeatur ei reverentia solum inquantum est imago, et sic sequitur quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi et ipsi Christo. Cum ergo Christus adoretur adoratione latriae, consequens est quod eius imago fit adoratione latriae adoranda.
>
> Si ergo loquamur de ipsa cruce in qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda: uno scilicet modo inquantum repraesentat nobis figuram Christi extensi in ea, alio modo ex contactu ad membra Christi et ex hoc quod eius sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriae.... Si vero lo-

(33) III, q. 25, a. 3, ad 3. Cfr a. 5, c. et ad 2 ac 3, ubi similiter ferre explicatur cur adoratio latriae tribuenda non sit matri Christi.

(34) III, q. 25, a. 3, c.

quamur de effigie crucis Christi in quacumque alia materia.... sic veneramur crucem tantum, ut imaginem Christi, quam veneramur adoratione latriae (35).

2⁰ Eadem principia, mutatis mutandis, valent de creaturis quas diximus, si eas iam non consideremus prout sunt imagines Dei, sed pro singulari vel speciali ratione quam in cultu vel etiam extra cultum cum Deo coniunctae apparent. Etiam de iis videlicet dicendum est honorem qui illis exhibetur, per eas in ipsum Deum tendere. At si Christi sacrosanctam humanitatem ac veram crucem excipias, nulla earum adoratione latriae prosequenda est.

Primo autem loco ponenda est Christi humanitas quae ob hypostaticam suam unionem cum divina Verbi persona ac natura, non solum a nobis adorationem latriae ipsa postulat, sed una cum divinitate uno eodemque actu a nobis est adoranda. Si enim duae sunt in Christo honoris causae — nimirum divinitas eius et humanitas eius, — una tamen eius hypostasis actu adoratur (34).

Etiam vera Christi crux propter contactum eius corporis et sanguinis adoratione latriae digna est facta. Etenim crux Christi, licet non fuerit unita Verbo Dei in persona, fuit tamen ei unita aliquo modo, scilicet per repraesentationem et contactum. Et hac sola ratione exhibetur ei reverentia. Haec porro, ut e loco supra exhibito apparet, est adoratio latriae (37).

Mater vero Christi alia numquam debetur adoratio quam hyperduliae seu eminentioris cuiusdam duliae (38).

---

(35) III, q. 25 a. 4, c. et responsiones ad 2 et 3.

(36) III, q. 25, a. 1, c. Cfr a. 2, c., ubi explicat s. Thomas quo modo Christi humanitas duplicis adorationis obiectum esse possit latriae scilicet et duliae.

(37) III, q. 25, a. 4 ad 2. Cfr eiusdem articuli corpus.

(38) III, q. 25, a. 5, c. et ad 2. Cfr ad 3.

> Quia latria soli Deo debetur, nulli creaturae debetur latria, prout creaturam secundum se veneramur. Licet autem creaturae insensibiles non sunt capaces venerationis secundum seipsas, creatura tamen rationalis est capax venerationis secundum se ipsam, et ideo nulli purae creaturae rationali debetur cultus latriae. Cum igitur beata virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriae sed veneratio duliae; eminentius tamen quam ceteris creaturis, inquantum ipsa est mater Dei et ideo dicitur quod debetur ei non qualiscumque dulia sed hyperdulia.
>
> ... Honor matris refertur ad filium, quia ipsa mater est propter filium adoranda: non tamen eo modo, quo honor imaginis revertitur ad exemplar, quia ipsa imago, prout in se consideratur, ut res quaedam, nullo modo est veneranda.

3⁰ Ut ritus aliquis ad cultum pertineat, non necesse est per se ipse immediate et directe Dei excellentiam et dominium protestetur, sed satis est ut sit pars cuiusdam actionis multiplicis seu rituum compaginis cuius est illum effectum gignere. Quod verum est, v. g., de turificationibus quibus honorantur in missa et in aliis officiis celebrans, ministri et ipsi adstantes; de ablutione manuum qua efficitur ut sacerdos panem eucharisticum et vasa sacra mundis manibus accipiat.

De ratione formali cultus.

Rationem formalem cultus intellegimus rationem ob quam Deus talis est cui debeamus et velimus ei iustum cultum exhibere (39).

Iam vero honor semper debetur alicui propter aliquam excellentiam. Sicut enim obiectum amoris est bonum, ita obiectum honoris vel reverentiae est ali-

(39) C. Pesch S. J., *Praelectiones dogmaticae*, t. IX, edit. 4-5, n. 300, p. 145.

quid excellens (40). Ideoque ratio formalis honoris qui Deo debetur, est Dei excellentia singularis, in quantum omnia in infinitum transcendit secundum omnimodum excessum (41), seu in quantum est primum principium creationis et gubernationis rerum (42). Porro ad rationem primi principii diversae rationes attributorum concurrunt, quia Deus producit omnia et gubernat, sapientia, voluntate et potentia bonitatis suae (43). Etiam tribus personis ss. Trinitatis, quoniam unus Deus sunt, unumque principium creationis et gubernationis, uno cultu servitur (44).

Servitutis vero seu famulatus formalis ratio est Dei summum dominium, quo omnium creatarum summus Dominus est (45).

Ex iis igitur quae dicta sunt, manifesto apparet cur honor et famulatus, adeoque totus cultus quem Deo exhibemus, sint actus plane speciales: omnino enim speciales vel etiam singulares sunt rationes eorum formales.

> Honor... debetur alicui ratione excellentiae. Deo autem competit singularis excellentia, inquantum omnia infinitum transcendit secundum omnimodum excessum; unde ei debetur specialis honor (46).
>
> Colere dicimur homines quos honorificatione vel recordatione vel praesentia frequentamus... Quia... specialis honor debetur Deo tanquam primo omnium principio etiam specialis ratio cultus ei debetur, quae graeco nomine vocatur eusebia vel theosebia (47).

---

(40) II-II, q. 81, a. 4, ad 3; q. 103, a. 2, c.
(41) II-II, q. 81, a. 4, c.
(42) II-II, q. 81, a. 3, c.
(43) II-II, q. 81, a. 3, ad 1.
(44) II-II, q. 84, a. 1, ad 3; III, q. 25, a. 1, ad 1.
(45) II-II, q. 81, a. 2, ad 3.
(46) II-II, q. 81, a. 4, c.
(47) II-II, q. 81, a. 1, ad 4.

> Cum servus dicatur ad dominum, necesse est quod ubi est propria et specialis ratio dominii, ibi sit specialis et propria ratio servitutis. Manifestum est autem quod dominium convenit Deo secundum propriam et singularem quandam rationem; quia scilicet ipse omnia fecit et quia summum in omnibus rebus obtinet principatum et ideo specialis ratio servitutis ei debetur. Et talis servitus nomine latriae designatur apud Graecos (48).

In Deo etiam eius paternitatem veneramur. Verum haec non est cultus nostri ratio quaedam formalis ab iis quas diximus distincta, sed pars divinae excellentiae. Quoniam tamen Deum, tamquam patrem colimus, cultus noster per excellentiam etiam cultus pietatis dici potest. Immo sicut exhibere Deo cultum, ut creatori, est excellentius quam exhibere cultum patri carnali, sic exhibere cultum Deo ut patri est adhuc excellentius quam exhibere Deo cultum ut creatori et domino. Et proinde cum ad exhibendum Deo cultum ut creatori et domino sufficiat virtus religionis, ad reddendum ei cultum ut patri necessarium est donum pietatis (49).

De ipso actu honoris ac servitutis.

Quali actu Deum honoremus eique serviamus s. Thomas pluribus verbis exprimit quae nihilominus ad unam significationem sine difficultate reduci possunt. Videlicet Deum honorare est ei exhibere reverentiam, exhibere cultum, exhibere honorem. Est etiam protestari Dei excellentiam. Honor in genere est recognitio excellentiae alicuius, testificatio vel protestatio de eius excellentia (50).

---

(48) II-II, q. 81, a. 1, ad 3; *Summa contra Gentes*, l. III, c. 119.

(49) II-II, q. 101, a. 3, ad 2; q. 102, a. 1, c. et ad 1; q. 103, a. 3, ad 1; q. 121, a. 1, c. et ad 2; *Summa contra Gentes*, l. III, c. 119.

(50) II-II, q. 81, a. 3, c.; ad 2; ad 3; a. 4, c.; a. 7, c.; ad 2; q. 102, a. 2, c.; q. 103, a. 1 c.; q. 121, a. 1; III, q. 25; et saepius.

Deo servire est ei exhibere debitam servitutem vel famulatum, est exhibere vel protestari subiectionem suam erga Deum (51).

Quoniam igitur verbum *exhibere* apud s. Thomam idem valet quod afferre, offerre, praestare, impendere, tribuere et ea praeterea agere cum aliqua *ostentatione*, seu cum manifesta intentione aliquid iis actionibus demonstrandi, sine dubio affirmare possumus actum divini cultus proprium esse in aliqua testificatione seu protestatione positum (52).

Idemque eo demonstratur quod etiam actiones seu sacri ritus qui in Dei cultum aguntur, a s. Thoma *exhiberi*, id est cum eadem *ostentatione perfici*, dicuntur. Sic exhibentur Deo orationes, oblationes, sacrificia, holocausta, alia exteriora multa ad cultum pertinentia (53).

Immo etiam res quae diversis modis Deo dantur, offeruntur, solvuntur, cum simili significatione dicuntur *exhiberi* Deo. Sic exhibentur Deo ea quae ei in oblationibus ac sacrificiis offeruntur, ei exhibentur primitiae et, licet indirecte, id est per ministros cultus quibus immediate traduntur, Deo exhibentur etiam decimae. In adoratione corpus nostrum ad Deum venerandum exhibetur! (54).

---

(51) II-II, q, 81, a. 2, ad 3; a. 3, ad 2; a. 8, c.

(52) II-II, q. 81, a. 5, c.; q. 89, a. 4, ad 2; a. 10, c.; q. 85, a. 2, ob. 2; q. 102, a. 1, c.

(53) II-II, q. 81, a. 7, ad 2; q. 84, a. 1, ad 1; q. 85, a. 3, ob. 3; ad 3; q. 86, a. 2, c.

(54) II-II, q. 85, a. 3, ob. 3 et ad 3; q. 86, a. 1, c.; a. 4, c.; q. 87, a. 1, c.; ad 3; a. 2, ob. 2; q. 84; praeamb. Cfr q. 81, a. 5, ad 3; a. 6, ob. 3; ad 2; a. 7, ob. 2; ob. 3; ad 3, etc. — Ceterum hic usus verbi *exhibere* non apparet tantum in iis quaestionibus II-II vel III, quae de cultu divino agunt, sed etiam in iis quae cultum quibusdam hominibus e pietate, observantia, dulia, oboedientia tribuendum spectant (II-II, qq. 101-104). In II-II, qq. 81-91, 101-104, 121 et in III, q. 25. vocabulum *exhibere* plus quam centies quinquagesies occurrit.

Actum cultus divini essentialiter in aliqua exhibitione, id est in aliqua testificatione seu protestatione, situm esse ipse s. Thomas definite demonstrare videtur, ubi de primitiarum solutione scribit (35):

> Primitiae ad quoddam genus oblationum pertinent, quia Deo exhibentur cum quadam professione, ut habetur Deut. 26.

Ut autem paulo explicatius ad mentem s. Thomae definiatur quid sit illa testificatio seu protestatio, dicamus eam ex his partibus constare: primo, ut recognoscatur, seu imperante voluntate agnoscatur Dei excellentia ac dominium; secundo, ut haec recognitio in nobis sensus reverentiae ac subiectionis excitet; tertio, ut his sensibus moti divinam excellentiam ac dominium aptis signis intra nos vel etiam exterius affirmemus seu significemus; quarto, ut haec affirmatio seu significatio appareat non habere motivum suum in voluntate veritatem dumtaxat exprimendi sed in reverentia ac subiectione nostra, id est in voluntate Dei excellentiae ac dominio id tribuendi quod iis debetur.

In hac igitur Dei excellentiae ac dominii significatione ad mentem s. Thomae sita est illa testificatio seu protestatio quae formaliter ipsum actum cultus divini constituit (56).

---

(55) II-II, q. 86, a. 4, c. Hoc Deuteronomii capite describuntur singillatim ritus qui in oblatione primitiarum servandi erant.

(56) Paulo aliter olim locuti sumus, cum actum divini cultus in eo esso dicebamus quod significamus nos recognoscere et admittere Dei excellentiam ac dominium. *De sacramento paenitentiae et liturgia*, in *Ephemerides liturgicae*, XXXVIII (1924), pp. 83-86; *La définition de la liturgie*, in *Gregorianum*, VIII (1927), pp. 219-227. Quamquam etiam haec definitio quibusdam locis *Summae theologicae* commendari videtur, v. g., II-II, q. 81, a. 2, ad 3; a. 3, ad 2; a. 8, c., in quibus Deo servire idem esse dicitur quod Deo debitam servitutem seu famulatum exhibere, idem quod subiectionem nostram erga Deum exhibere vel protestari, in aliis

Pluribus autem modis ista Dei excellentiae ac dominii significatio fieri potest. Videlicet:

1⁰ - Explicite protestando, id est venerationis ac subiectionis causa, divinam excellentiam ac dominium, verbis, gestibus, vel aliis exterioribus vel interioribus signis, declarando seu significando. Quod facimus, v. g., cum duo genua vel corpus totum coram sanctissimo sacramento flectimus, vel Deo dicimus: « Adoramus te ». Liquet enim his vocibus nos non tantum affirmare nos aliquid agere sed nos simul id agere quod nos agere dicimus. Iam vero adorare est generatim et explicite divinam excellentiam ac dominium protestari seu testificari.

2⁰ - Explicite excellentiam ac dominium divinum affirmando tantum, id tamen tali modo agendo ut ex hoc appareat rem propter reverentiam fieri ac subiectionem erga Deum. Nimirum divinam excellentiam ac dominium affirmando cum quadam instantia, pompa vel gravitate; vel in certo loco vel tempore; vel eam coniungendo cum aliis actibus cultus; vel utendo statis ac fixis formulis; vel Deum ipsum alloquendo; vel aliis similibusque modis agendo. Sic sacerdos qui vestibus sacris indutus missamque ad altare celebrans, debita gravitate et pompa, ipsum Dominum alloquendo, verba hymni angelici canit vel recitat: « Tu solus sanctus, tu solus dominus, tu solus altissimus », quamquam vi verborum veritatem dumtaxat divinae excellentiae ac dominii asseverat, per modum tamen agendi aliquid plus efficit, manifestat videlicet se divinam excellentiam ac dominium ideo affirmare ut suam reverentiam ac subiectionem erga Deum exprimat.

3⁰ - Figuris aliisque symbolis excellentiam ac do-

---

multis non reverentia nostra sed Dei excellentia obiectum recognitionis, protestationis seu testificationis a s. Thoma perhibetur: Dei videlicet excellentiam in cultu recognoscimus, protestamur, testificamur. V. locos paulo supra percensitos.

minium divinum explicite exprimendo. Huc pertinent, v. g., expositio et processiones sancti Sacramenti, expositio sacrarum imaginum in ecclesiis, etc. Ipsi enim actus isti significant tantum excellentiam ac dominium divinum, modus vero eorum demonstrat istius significationis causam esse nostram reverentiam ac subiectionem.

4° - Excellentiam ac dominum divinum implicite actibus quibusdam nostris agnoscendo atque affirmando, modo vero eorum praeterea clare manifestando nos id ob nostram reverentiam ac subiectionem agere. Sic qui orando aliquid a Deo petit, implicite agnoscit et affirmat Deum hominum preces exaudire, adeoque eum esse bonum, fidelem, sapientem, potentem, etc., rerumque omnium summum dominum. Quod quidem nondum est Deum formaliter colere. At nunc petat cum quadam sollemnitate, utatur fixis formulis, iungat orationi cantum, vel aliud quid simile faciat, et mera Dei excellentiae ac dominii affirmatio earum rerum testificatio seu protestatio evadet. Constabit namque istam affirmationem causam suam habere in nostra reverentia ac subiectione.

Hanc cultus formam ac rationem exponit s. Thomas, ubi demonstrat quomodo iuramentum sit actus cultus : (57)

> Ille qui iurat, invocat divinum testimonium ad confirmandum ea quae dicit. Nihil autem confirmatur nisi per aliquid quod certius est et potius: et ideo in hoc ipso quod homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem, utpote cuius veritas est indefectibilis et cognitio universalis; et sic Deo aliquo modo reverentiam exhibet.

Similiter, quamvis brevius, explicat quomodo ad cultum pertineat oratio : (58)

---

(57) II-II, q. 89, a. 4, c. Cfr. ibid. ad 2.
(58) II-II, q. 83, a. 3, c.

> Per orationem... homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subicit et profitetur orando se eo indigere, sicut auctore suorum bonorum.

Actus cultus divini qui « secundum rationem suae speciei pertinent ad reverentiam Dei », id est eorum qui non tantum virtute religionis imperantur sed natura sua actus cultus divini sunt, s. Thomas hos distinguit ac percenset:

1. Devotionem, quae est actus specialis, videlicet voluntas quaedam prompte tradendi se ad ea quae pertinent ad Dei famulatum; seu voluntas prompta ad exsequenda ea quae pertinent ad divinum cultum seu famulatum; seu etiam actus quo homo tradit semetipsum Deo ad aliqua opera divini cultus (59).

2. - Orationem, prout significat quandam deprecationem vel petitionem (60).

3. - Adorationem, quae ad Deum colendum nostri corporis statibus ac motibus utitur (61).

4. - Sacrificium, quo Deo res nostras quasdam offerimus, circa eas aliquid faciendo, seu eas proferendo tanquam in aliquod sacrum quod inde fieri debeat, consumendas (62).

5. - Oblationem in genere, qua Deo aliquid offertur (63).

6. - Oblationem primitiarum, qua Deo primos

---

(59) II-II, q. 82 tota. Quamquam in ordine universo actionum moralium actus specialis quidam dici potest, devotio, si ad speciales actus cultus divini comparatur, potius generalis quaedam voluntas dicenda est Deo debita cum reverentia ac subiectione iustum cultum exhibendi.

(60) II-II, q. 83 tota.

(61) II-II, q. 84 tota.

(62) II-II, q. 85 tota. V. praesertim a. 3, ad 2 et 3. Cfr etiam q. 86, a. 1. c., ubi clare exponitur discrimen inter oblationem in genere et oblationem sacrificii.

(63) II-II, q. 86 art. 1-3.

fructus terrae in recognitionem divini beneficii offerimus (64).

7. - Solutionem decimarum, quae cum a fidelibus dandae sint clericis, quatenus hi sunt ministri altaris, spiritualia populo seminantes, per hos ipsi Deo exhibentur seu offeruntur (65).

8. - Votum seu promissionem Deo factam, qua quis se obligat ad melius quid faciendum (66).

9. - Sacramenta, e quibus quartum, seu eucharistia, est etiam sacrificium (67).

10. - Iuramentum, quo Deum in testem alicuius rei assumimus (68).

11. - Adiurationem, qua quis per invocationem divini nominis vel alius cuiuslibet rei sacrae alicui necessitatem imponit aliquid agendi (69).

12. - Laudem Dei vocalem ac cantum (70).

Ex iis actibus ad cultum liturgicum ecclesiae catholicae pertinent illi quos ad numeros 2, 3, 4, 5, 9 et 12 indicavimus.

Actus devotionis et orationis *interiores,* ceteros omnes *exteriores* vocat s. Thomas (71). Re tamen vera de oratione notat ei « vocem » triplici de causa adiungi, scilicet ad excitandam interiorem devotionem qua mens orantis elevetur in Deum; deinde ad redditionem debiti, seu ut homo Deo serviat secundum illud totum quod ex Deo habet; tertio ex quadam redundantia ex vehementi affectione animi in corpus; adeoque ipse agnoscit etiam orationem saepe numero exteriorem esse debere. Rursus adorationem, sacrificium,

(64) II-II, q. 86, art. 4.
(65) II-II, q. 87 tota.
(66) II-II, q. 88 tota.
(67) II-II, q. 89, praef.; III, q. 63, a. 6, c.
(68) II-II, q. 89 tota.
(69) II-II, q. 90 tota.
(70) II-II, q. 91 tota.
(71) II-II, q. 82, praef.; 84, praef.; 89. praef.; et saepius.

votum e duplici actu constare docet, altero interiore, altero exteriore, ex his autem duobus longe praecipuum esse interiorem quippe cuius actus exterior sit tantum expressio, et proinde etiam adoratio, sacrificium et votum, sicut oratio, actus interiores essent dicendi.

Porro actus quos exteriores vocat s. Thomas alia denuo ratione dividit.

Iam in II-II q. 81 obiter dixerat homines per actus omnes qui religioni attribuuntur, protestari divinam excellentiam et subiectionem sui ad Deum, vel exhibendo aliquid ei, vel iterum assumendo aliquid divinum (72). Nunc autem percensitos in qq. 82-91 actus cultus inter duas illas rationes dividere conatur (73).

Exhibere idem est quod *adhibere* vel *offerre*; offerre vero est vel *dare* vel *promittere*. In adoratione homo adhibet corpus suum ad Deum colendum; in sacrificio et in qualibet alia oblatione homo dat aliquid Deo; in voto, promittit.

Rursus in iuramento, in adiuratione et in laude *assumitur* nomen divinum; *assumuntur* quoque sacramenta.

De virtute ad quam cultus pertinet.

Cultus divinus et singuli eius actus ad virtutem *religionis* pertinent. Religio namque proprie importat ordinem ad Deum seu proprium est religionis reddere Deo honorem debitum (74).

Actus vero cultus duliae vel etiam hyperduliae prout tales sunt, non pertinent ad virtutem religionis

(72) II-II, q. 81, a. 3, ad 2.

(73) II-II, q. 84, praef.; q. 85, praef.; q. 89, praef.; a. 5, ad 1; q. 95, a. 2, c.; et saepius.

(74) II-II, q. 81, a. 1, c.; a. 2, c.; a. 82, a. 2, q. 83, a. 3; q. 84, a. 1; q. 85, a. 3, q. 88, a. 5, q. 89, a. 4.

sed ad specialem virtutem quae nomine duliae quoque designatur (75).

Quamquam complures habet actus, religio nihilominus est virtus vere *una*, quoniam isti actus eatenus tantum eius sunt, quatenus exhibent reverentiam uni Deo secundum unam rationem. Est etiam virtus *specialis*, a virtutibus theologicis *diversa*, quoniam Deum habet finem non vero obiectum. Nihilominus est omnium virtutum moralium *prima*, quia magis ceteris de propinquo accedit ad Deum, in quantum operatur ea quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum (76).

Sicut omnes virtutes generaliores ac nobiliores religio habet actus elicitos et actus imperatos, quibus adnumerandi sunt etiam actus virtutum theologicarum (77):

> Religio habet duplices actus, quosdam quidem proprios et immediatos quos elicit, per quos homo ordinatur ad solum Deum; sicut sacrificare, adorare et alia huiusmodi. Alios autem actus habet, quos producit mediantibus virtutibus quibus imperat, ordinans eos ad divinam reverentiam.

Porro ad cultum nullus actus religionis pertinet qui non sit ab ista virtute vel ab aliqua e virtutibus theologicis elicitus. His namque dumtaxat homo ad solum Deum ordinatur.

De cultu divino publico.

Publicus est cultus qui, ut dicit s. Thomas de oratione « communi » fidelium scribens, « per ministros ecclesiae in persona totius fidelium populi Deo

---

(75) II-II, q. 81, a. 1, ad 1; q. 103, a. 3, ad 3; III, q. 25, a. 2; a. 5.

(76) II-II, q. 81, a. 3, c.; a. 5, c.; a. 6, c.

(77) II-II, q. 81, a. 4, ad 2; a. 6, c. ad fin.; q. 85, a. 3, c.; q. 88, a. 5, c.; q. 101, a. 3, ad 1: « Religio est quaedam protestatio fidei, spei et caritatis ».

offertur, vel etiam, alio in loco de universo cultu « communi » disserens, qui « per ministros exhibetur in persona totius ecclesiae ». Liquet enim duabus his sententiis, quod ad rem attinet, idem exprimi (78).

Cum ista definitione congruit canon 1256 *Codicis iuris canonici:* « Cultus si deferatur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione Deo, sanctis ac beatis tantum exhibendos, dicitur publicus; sin minus, privatus ».

Fatendum nihilominus est istas definitiones cultus publici, et praesertim definitionem *Codicis*, hoc non leve incommodum habere quod significare videntur Ecclesiam in ipsa cultus publici perfunctione nullam partem habere, sed per alios dumtaxat suo officio fungi Deo debitum cultum exhibendi.

Dicamus igitur Codicem, et aliquatenus etiam s. Thomam, cultus Ecclesiae respexisse formam iuridicam tantum, non autem ut est ille totius Ecclesiae cleri et fidelium commune opus.

Sin autem hoc modo consideratur, cultus publicus definiri potest cultus quem Ecclesia, ut est Ecclesia, in communitates hieraticas atque hierarchicas divisa, pro potestate ordinis quae in suis sacerdotibus sita est, ipsa Deo exhibet, quamquam in singulis cultus actibus omnes fideles neque intersunt neque interesse possunt. Ceterum etiam fideles absentes semper ac necessario partem aliquam habere in perfunctione singulorum actuum cultus Ecclesiae publici ex iis quae exposuimus, facile deducitur.

Igitur contra hanc cultus publici definitionem quae certe cum mente s. Thomae perfecte congruit, prorsus immerito obiceretur, quod si talis habetur et definitur cultus publicus, cultus iste necessario exhibetur tamquam sit cultus mere « officialis », seu « status »

(78) II-II, q. 83, a. 12, c.; q. 93, a. 1, c.

cuiusdam, cultus ritualis tantum ac exterior, qui a ministris et maxime a fidelibus, sine ullo sensu devotionis ac mysticae unionis cum Deo et cum Christo, adeoque sine amore et solum ex necessitate quadam, accepto videlicet munere vel imposito officio fungendi, tamquam res prorsus aliena, compleri possit.

Non solum enim *quamquam* publicus est sed *quia* publicus est, cultus divinus in Ecclesia res singulorum fidelium est. Non enim est Ecclesia nescio quam abstracta vitae socialis forma, neque tantummodo clerus a quo simplices fideles tamquam subditi externi regantur, sed est ipsa universitas Christi fidelium qui cum Christo et inter se uniti, unam societatem perfectam, visibilem, hieraticam atque hierarchicam constituunt. Et proinde in cultu Ecclesiae publico, quia publicus est, fideles cum Deo et cum Christo coniunctissime uniuntur et ex eo, si recte edoceantur, solidam ac dulcem animorum suorum consolationem ac devotionem facillime hauriunt.

De liturgia catholica ut est cultus divinus publicus

Omnes notas quas in notione cultus divini duce et magistro s. Thoma invenimus, re vera in singulis partibus cultus liturgici adesse, nimirum in missa, in sacramentis, in sacramentalibus, in officio horarum canonico, in ritibus funerum, facile demonstratur. Ceterum ista demonstratio, etiam si necessaria esset, multo longior est quam ut hic vel adumbrari possit.

Unum igitur hic examinare volumus: utrum videlicet et quomodo sacramenta et sacramentalia actus cultus publici dici possint (79).

(79) Hanc demonstrationem, quod ad sacramentum paenitentiae spectat, ipsi agressi sumus olim in articulo *De sacramento paenitentiae et liturgia*, in *Ephemerides Liturgicae*, XXXVIII, (1924), pp. 74, ss. De parte quae fidelibus in perfunctione cultus liturgici competit, principia theologica breviter exponit M. DE LA TAILLE, *Mysterium Fidei*, edit. 3, pp. 328-329.

Difficultas in eo est quod, ut scribit s. Thomas, sacramentum proprie dicatur quod ordinatur ad significandam et efficiendam nostram sanctificationem (80), actus autem cultus divini proprium est quod excellentiam ac dominium divinum protestatur. Unde fit ut, si administratio et receptio sacramentorum in Ecclesia a virtute religionis imperari possit, non appareat tamen quomodo etiam directe et immediate Dei excellentiam ac dominium protestentur. Idemque dicatur, mutatis mutandis, de sacramentalibus.

Claritatis causa a distinctione quadam incipiamus.

Alia nimirum quaestio est utrum necne sacramenta a Christo, sacramentalia ab Ecclesia, ad hoc instituta sint ut essent non solum media sanctificationis sed aeque simul actus cultus, alia utrum necne de facto illa aptissima sint quae etiam immediate et directe, id est ex ipsa sua perfunctione, honorem Dei exprimant. Priorem autem quaestionem hic omittimus. De hac enim nullum habemus fidei vel ecclesiasticae definitionis documentum, ipseque s. Thomas eam data opera non tractavit. Altera quaestio ea est quam nobis solvendam proposuimus.

Iam vero, modo res debita attentione examinentur, dubium esse non potest quin cuiuslibet sacramenti vel sacramentalis perfunctio Dei honorem necessario et immediate profiteatur. Et proinde etiam dicendum est Christum Dominum istam sacramentorum significationem praevidisse et voluisse, idemque agere Ecclesiam de sacramentalibus.

Etenim liquet nullum sacramentum vel sacramentale confici vel recipi posse, quin inde excellentia et dominium divinum aperte atque splendide declaretur, idque non propter reapse, ut saepius, effectam subiecti sanctificationem, sed quia ipsa sacramenta et sacra-

(80) III, q. 60, a. 3, c. et saepius.

mentalia eo ipso quod manifeste sunt et apparent causae efficaces gratiae sanctificantis aliorumque donorum spiritualium, Dei bonitatem, iustitiam, misericordiam, aeternitatem, potentiam, providentiam, ceteraque attributa et summum dominium, una cum totius Ecclesiae erga Deum reverentia ac subiectione perpetuo proclamant.

Neque solum ut sunt causae sed etiam ut sunt signa sanctificationis nostrae, sacramenta, et suo modo etiam sacramentalia, aptissima sunt quae in divino cultu adhibeantur, quoniam sic quoque Dei excellentiam ad dominium sollemniter exprimunt.

Triplex videlicet est sacramentorum significatio(81):

> Sacramentum proprie dicitur quod ordinatur ad significandam nostram santificationem. In qua tria possunt considerari, videlicet ipsa causa santificationis nostrae, quae, est passio Christi et forma nostrae santificationis, quae consistit in gratia et virtutibus, et ultimus finis santificationis nostrae qui est vita aeterna: et haec omnia per sacramenta significantur. Unde sacramentum est et signum rememorativum eius quod praecessit, scilicet passionis Christi, et demostrativum eius quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiae, et prognosticum, id est praenuntiativum, futurae gloriae.

Manifestum autem est in unaquaque trium illarum rerum, in Christi passione, in gratia et in gloria aeterna, plene elucere Dei excellentiam ac demonstrari eius dominium, adeoque hanc excellentiam hocque dominium testificari etiam sacramenta triplici sua significatione.

Voluntatem Ecclesiae honorem Dei in sacramentis et in sacramentalibus administrandis constanter procurandi sexcenta signa demonstrant, ut puta adiunctae

---

(81) III, q. 60, a. 3, c.

preces, cantus, ritus, caerimoniae, quae omnia non solum maioris pompae causa adiecta sunt, sed singulorum sacramentorum intimam significationem ac vim explicant. Immo, praesertim in ritibus orientalibus, ipsae formae sacramentales plerumque honorem Dei distincte et copiose exprimunt. Idemque dicendum est de antiquis formulis sacramentalibus romanis, quales erant ante quam ad eam indicativam ac iuridicam semperque brevissimam speciem redactae sunt quam hodie exhibent.

Mirum igitur non est quod s. Thomas primo loco inter exteriores cultus divini actus sacramenta nominat (82); ubi vero duplicem sacramentorum efficientiam seu usum discernit, priore iterum loco cultum divinum ponit (83):

> In usu sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus divinus et sanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, secundum autem e converso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem.

Duos videlicet modos distinguit s. Thomas quibus sacramentum ad cultum catholicum in Ecclesia pertinent. Prior est quod sacramenta ad cultum *ordinantur*, paenitentia quidem, extrema unctio et matrimonium indirecte, cetera quattuor, nimirum eucharistia ut est sacrificium, et tria sacramenta quae characterem imprimunt, directe. Eucharistia per modum ipsius *actionis*, quia, ut est sacrificium, complectitur absolutissimum actum cultus. Baptismus, et aliquo modo etiam confirmatio, per modum *recipientis*, quia per illa accipit homo potestatem recipiendi alia Ecclesiae sacramenta, ordo sacer denique per modum *agentis*, quia per hoc

(82) II-II, q. 89, praef. et saepius.
(83) III, q. 60, a. 5, c.

sacramentum homines deputantur ad sacramenta aliis tradenda (84).

Et hoc quidem modo manifestum est sacramenta, etiam illa quae directe ac cultum ordinantur, si sacrificium missae excipias, non directe et immediate excellentiam Dei ac dominium protestari, adeoque non esse formaliter actus cultus.

At talia sunt sacramenta ob alterum modum quo, ut docet s. Thomas, ad cultum pertinent, id est ipsum cultum constituendo. Duobus scilicet modis homines divinam excellentiam ac dominium protestari possunt, vel *exhibendo* Deo aliquid vel rursus divinum aliquid *assumendo* (85). Primo autem loco inter res divinas quae *assumuntur* ab hominibus ponenda sunt sacramenta. Assumitur porro sacramentum a ministro ut aliis tradatur, a subiecto ut a semet ipso suscipiatur seu « recipiatur ». Manifestum autem est sacramentum non « assumi » tamquam rem quandam, sed ut est res *agenda*, neque « assumi » sacramentum quod passive tantum « recipiatur », adeoque qui, v. g., sensibus destitutus absolvitur, recipit quidem sacramentum, at illud non sibi assumit. Assumit vero sacramentum baptismi adultus qui se libere ministro tradit, ut ab eo baptizetur, praesertim si praeterea parte sua in celebratione baptismi fungitur, seu cum celebrante « concelebrat ».

Huc quoque pertinet quod docet s. Thomas de charactere sacramentali disserens (86):

---

(84) I-II, q. 101, a. 1, c. et ad 1; a. 4, c.: q. 102, a. 5, c.; III, q. 62, a. 5, c.; q. 63, a. 1, c.; a. 2, c.

(85) II-II, q. 81, a. 3.

(86) III, q. 63, a. 1, c. et ad 1; a. 2, c.; a. 3, c.; ad 2 et 3; a. 4, c. et ad 1 et 3; a. 5, c. et ad 1 et 3, a. 6, c. et ad 1 et 3; q. 64, a. 1, c.; q. 65, a. 1, c.; a. 3, c. Haec potentia, sive activa, sive passiva, participatio quaedam est sacerdotii Christi. Omnis autem sacerdotii proprium est quod ad cultum divinum exsequendum ordinatum est.

> Sacramento novae Legis characterem imprimunt inquantum per ea deputantur homines ad cultum Dei, secundum ritum christianae religionis... Divinum autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quaedam potentia; nam ad tradendum aliquid aliis requiritur quaedam potentia activa; ad accipiendum requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea quae sunt divini cultus.

Eodem fere modo sacramenta inter ipsos actus cultus divini ponit s. Thomas in *Summa contra Gentes*. Cultus enim Dei, inquit, tres has actuum rationes complectitur: 1^0 Sensibilia sacrificia ad hoc instituta; 2^0 quasdam sanctificationes quas homo sibi adhibet per quasdam res sensibiles, quibus lavatur aut ungitur, aut pascitur vel potatur, cum sensibilium verborum prolatione; 3^0 sensibilia quaedam opera quae exercet homo ut seipsum provocet ad divina, sicut prostrationes, genuflexiones, vocales clamores et cantus.

Secundo autem huius divisionis loco breviter et quasi a parte potiore designari sacramenta sane non est demonstrandum.

De cultu liturgico ut est exterior.

Quoniam cultus liturgicus proprius est visibilis cuiusdam societatis, necesse omnino est ipse quoque visibilis seu exterior sit.

Id tamen non ita intellegendum est, quasi cultus liturgicus totus in actionibus mere exterioribus, videlicet in motibus, sitibus, ac gestibus, in verbis ac cantibus, sine ullo sensu devotionis interioris peragendis, consistere possit. Etenim: 1^0 actiones cultus exterioris, etsi praecipue facultatibus nostris exterioribus perficiuntur, eliciuntur tamen voluntate Deum colendi, quae voluntas si ardens fit, devotio efficitur; 2^0 re vera ab actionibus exterioribus interiores dividi non

possunt, seu illae sine his fieri; v. g., adoratio exterior sine adoratione interiore, gratiae Deo verbis tantum, non mente et corde actae, etc. (87).

Rursus ne dicatur cultum exteriorem ipsum de se plane nihil valere sed totam virtutem suam e sua coniunctione cum cultu interiore accipere, quasi nimirum cultus exterior nihil omnino esset nisi signum quoddam cultus interioris, vel apta ratio eum fovendi vel effectus eius vel complementum tantum.

Verum quidem est s. Thomam saepius ita de cultu exteriore scribere, ut hic aliquid omnino secundarium et multo levioris momenti quam interior appareat. Sic in II-II, quaestionem utrum religio aliquem exteriorem actum habeat, hoc modo solvit (88):

> Deo reverentiam et honorem exhibemus non propter seipsum... sed propter nos, quia videlicet per hoc quod Deum reveremur et honoramus, mens nostra ei subicitur et in hoc eius perfectio consistit... Mens autem humana indiget ad hoc quod coniungatur Deo sensibilium manuductione... Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus quibus Deo coniungimur.

Et ad quaestionem utrum oratio privata vocalis esse debeat, respondet negando eam vocalem esse debere nisi « per accidens » (89):

> Adiungitur tamen vox tali orationi triplici ratione. Primo quidem ad excitandam interiorem devotionem... Secundo quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo Deo serviat secundum illud totum quod ex Deo habet... Tertio... ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione.

Quare fere totum meritum orationis vocalis privatae illi e coniunctione sua cum oratione mentali

(87) II-II, q. 82.
(88) II-II, q. 81, a. 7, c. Cfr *Summa contra Gentes*, l. III, c. 119.
(89) II-II, q. 83, a. 12, c.

oritur et proinde s. Thomas concludere non dubitat (90):

> In singulari oratione tantum et vocibus utendum quantum proficit ad excitandam interius mentem. Si vero mens per hoc distrahatur vel qualitercumque impediatur, est a talibus cessandum. Quod praecipue contingit in his quorum mens sine huiusmodi signis est sufficienter ad devotionem paratam.

Ceterum etiam in quaestione utrum Deus sit ore laudandus, quae praesertim publicam Dei laudem respicere videtur, laudem oris necessariam esse affirmat non quidem propter Deum sed propter ipsum laudantem, cuius affectus excitatur in Deum ex laude ipsius et praeterea quia oris laude aliorum quoque affectus provocatur in Deum (91).

De qua explicatione animadvertendum est verissimum utique esse Deum non indigere cultu nostro exteriore, at neque cultu interiore ei opus esse et proinde non in ista inutilitate erga Deum sitam esse rationem cur cultus exterior secundarius appareat. Hanc in eo quod laus exterior affectus laudantis atque aliorum excitat et per hunc effectum tantum ad Dei cultum pertinet.

Etiam exterius sacrificium totum in interioris alicuius sacrificii significatione ponit s. Thomas (92):

> Respondeo dicendum quod... oblatio sacrificii sit ad aliquid significandum. Significat autem sacrificium quo anima se ipsam offert Deo... Quia... exteriores actus religionis ad interiores ordinantur.
>
> Duplex est sacrificium... quorum primum et principale est sacrificium interius, ad quod omnes tenentur; omnes enim tenentur Deo devotam mentem offerre... Aliud autem est sacrificium exterius quod in duo dividitur. Nam quoddam est quod ex hoc solum laudem habet quod Deo aliquid exterius offertur in protestantionem divinae subiectionis et ad hoc aliter tenentur

(90) Ibid.
(91) II-II, q. 91, a. 1, c.
(92) II-II, q. 85, a. 2, c.

> illi qui sunt sub lege nova et veteri, aliter illi qui non sunt sub lege... Aliud vero est exterius sacrificium quando actus exteriores aliarum virtutum in divinam reverentiam assumuntur, quorum quidam cadunt sub praecepto... quidam vero sunt supererogationis (93).

Nihilominus existimamus plane cum mente s. Thomae congruere affirmationem nostram, cum dicimus actiones cultus exterioris etiam, immo primo, de se habere quod idoneae sunt quae excellentiam ac dominium divinum protestentur, seu ipsas esse actus cultuales. Actus exteriores actibus interioribus non simpliciter subiecti sunt sed hi et illi coniuncte seu concomitanter aguntur, cum omnes immediate ex eodem fonte seu ex eadem voluntate Dei colendi, ex eadem devotione, ut dicit s. Thomas, procedant. Unum tantum est actuum interiorum atque exteriorum verum discrimen, quod illi facultatibus internis, seu intellectu, imaginatione, sensu interno, hi facultatibus corporalibus, id est corporis motu, situ ac voce imperante voluntate perficiuntur. Ex ista naturali coniunctione, non autem ex mera quadam subiectione fit ut actus interiores et exteriores Dei honorandi voluntate, per modum unius rei, eliciantur; actus exteriores porro, praeter primam et immediatam suam significationem, etiam actionum interiorum signa, effectus, complementa vel subsidia appareant et iure haberi possint. Et hoc est quod s. Thomas docere videtur in locis quos supra exhibuimus, si attente legantur. Quod enim actibus exterioribus subiacere ostendunt, id non e specialibus actibus interioribus constat sed potius ex voluntate illa generali Deum honorandi eique serviendi, quam s. Thomas devotionem vocat.

Quod speciatim affirmandum est de sacrificio in-

---

(93) II-II, q. 85, a. 4, c. Cfr I-II, q. 101, a. 1; a. 2, c.; a. 103, a. 3, c.; II-II, q. 81, a. 7, c. 82, praef.; a. 2, c.; q. 84, a. 2, c. et ad 1; q. 85, a. 1, c.; q. 88, a. 1, c.; q. 91, a. 2, c.; q. 103, a. 1, c.; *Contra Gentes*, l. III, c. 119.

teriore, prout dicitur fundamentum esse sacrificii interioris (94). Ceterum, si ita non esset, quomodo explicaretur sacrificium eucharisticum sacrificium nostrum esse posse?

De cultu liturgico ut est mystericus.

Estne cultus liturgicus ad mentem s. Thomae mystericus dicendus?

Utique mystericus est dicendus, quia plane talis est ad mentem s. Thomae cultus quem Ecclesia catholica in sacrificio missae, sacramentis, sacramentalibus, aliis ritibus sacris, Deo exhibet.

Ut enim supra iam diximus, non solum sacramentum eucharistiae sed etiam cetera sacramenta signa sunt commemorativa passionis Christi (95) et totam virtutem suam habent ex hac (96):

> Sacramentum operatur ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum: unum quidem separatum, ut baculus; aliud autem coniunctum, ut manus. Per instrumentum autem coniunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiae est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi, sicut instrumentum coniunctum; sacramentum autem, sicut instrumentum separatum; et ideo oportet quod virtus salutifera a divinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta derivetur. Gratia autem sacramentalis ad duo praecipue ordinari videtur, videlicet ad tollendos defectus praeteritorum peccatorum, inquantum transeunt actu et remanent reatu, et iterum ad perficiendam animam in his quae pertinent ad cultum Dei, secundum religionem vitae christianae. Manifestum est autem ex his quae supra dicta sunt, quod Christus liberavit nos a peccatis nostris praecipue per suam passionem, non solum efficienter et meritorie sed etiam satisfactorie. Similiter etiam per suam passio-

(94) Cfr M. DE LA TAILLE, *Mysterium Fidei*, edit. 3, p. 4.
(95) III, q. 61, a. 3, c.
(96) III, q. 62, c.

nem initiavit ritum Christianae religionis, offerens seipsum oblationem et hostiam Deo, ut dicitur Ephes. 5. Unde manifestum est quod sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum; in cuius signum de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt aqua et sanguis quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad eucharistiam quae sunt potissima sacramenta.

Maxime autem intima est coniunctio passionis cum eucharistia, prout haec est sacrificium, quoniam huius celebratio immolatio Christi dici potest (97).

Ut autem sacramentum sit signum commemorativum passionis Christi, nequaquam necesse est illam figuret et revera, praeter sacrificium eucharisticum et baptismum, nullum sacramentum ritibus suis passionem Christi imaginem refert. Immo quod ad baptismum attinet, ista figuratio passionis, saltem cum sacramentum hoc non immersione sed ablutione confertur, in eius ritibus ac formulis non omnino manifeste apparet, et fortasse numquam agnita esset, nisi esset nobis ab ipso Apostolo ostensa (98).

Nullatenus autem cum doctrina s. Thomae congruit affirmare cultum liturgicum eo esse mystericum quod cum in sacrificio eucharistico, tum in singulis cultus actionibus vere praesens redditur tota passio Christi, immo totum opus nostrae redemptionis a Christo peractum. Et multo minus potuisset s. Thomas vel mente tantum concipere formam commemorativam ac figurativam cultus liturgici — quae utique huic essentialis est — a cultibus gentilibus quomodocumque derivandam esse. Ideo vero cultus liturgicus ei commemorativus et figurativus apparebat quia totam suam dignitatem ac virtutem ex una passione Christi habet,

(97) III, q. 83, a. 1, c.

(98) *Rom.*, 6, 3-11. Ipse s. Thomas, III, q. 66, a. 7, ad 2, dicit passionem Christi in baptismo infusionis « aliquo modo » tantum epraesentari. Cfr tamen art. 8, c.

sicut ex ea tota nostra redemptio orta est et nata ipsa Ecclesia. S. Thomae, sicut nobis, quaelibet derivatio formae commemorativae et figurativae cultus liturgici e mysteriis gentilibus neque historice « cogitabilis », neque theologice probabilis erat (99).

Integram igitur et modernis etiam mentibus accommodatam doctrinam de cultu liturgico apud s. Thomam reperiet qui nobiscum admittere voluerit liturgiam aliud non esse quam divinum cultum Ecclesiae catholicae.

IOANNES M. HANSSENS S. I.

De moralitate sic dictae abstinentiae periodicae in matrimonio.

Abstinentiae periodicae nomine venit propositum quod inter coniuges convenit non utendi coniugio nisi diebus quibus, secundum ultimas medicorum observationes, nulla spes prolis habetur.

Sunt igitur dies steriles. Quia de essentia matrimonii est mutua traditio qua uterque coniux tradit alteri ius in corpus suum in ordine ad actus generativos; prorsus illicite ageret qui, sine alterius coniugis libero consensu, usum coniugii circumscriberet diebus sterilibus. Excipe si graves causae congressus aliis diebus impedirent.

Nostris autem diebus, postquam Dr Knaus in Austria et Ogino in Iaponia propagarunt sua placita de fecundatione quae non omnibus diebus habetur possibilis, quaestio moveri coepta est utrum liceret coniugibus consentire in talem usum matrimonii qui dies fecundos excluderet.

(99) De hac theoria v. notam ad initium huius articuli. Non ideo tamen ipsi negamus plures ritus et caeremonias particulares quibus Ecclesia sacramenta a Christo instituta quasi ampliavit, a ritibus mystericis Hellenismi probabiliter derivari posse vel saltem eorum influxui adscribi.

Nec controvertitur id interdum fieri posse. Nullum enim praeceptum est usus fecundi. Quid autem si per longum tempus id statuerent facturi esse, utputa per annum, in perpetuum, vel donec uxor aetatem quae appellatur critica superaverit?

Etiam tunc graves rationes, v. g. valetudinis, eam rationem agendi honestare possunt. Quaestio igitur movetur tantum de coniugibus qui, nulla ratione impediti, nolunt iam prolem gignere, et tamen uti et frui coniugio volunt.

De qua re fervet aliqua controversia. Atque tenent actum istum, quo frui quis voluerit uti coniugio, sine onere vel eius periculo, vitiari labe egoismi. Deficiente gravi causa excusante, solus nimius amor proprius vult obtinere voluptatem sine onere per se coniuncto; vult voluptatem consequi sine naturali onere et incommodis in generatione et institutione liberorum sustinendis.

Praeter paucos qui praxim istam immunem esse putant a reprehensione, communis opinio ibi cernit venialem inordinationem. Atque recens est qui praxim istam gravi peccato damnat. Ita, in Hollandia, R. P. Mag. Alb. C. Doodkorte, O. P., in *R. K. Artsenblad*, mense iulio 1935. In Helvetia R. P. Benedictus Lavaux, O. P. professor universitatis Friburgensis, *Le monde moderne et le mariage chrétien*, p. 417-422.

Argumenta ista velimus hic sincero examini subicere, ut ad prudentem conclusionem veniamus. Simul aliquam confirmationem dabimus brevi quaestioni de vasectomia duplici, quam attigimus supra, in pag. 43* et 44* huius tomi periodici, et complere lucubrationem nostram de obiectiva moralitate usus matrimonii restricti tempore ageneseos. Cfr *Periodica*, t. XXIII, ann. 1934 p. 241* ss.

Atque ut ordine satis perspicue procedamus, haec inquiremus:

I. - *Estne actus utendi coniugio cum nulla spes fructus adest, indifferens de se?*

II. - *Manetne indifferens an corrumpitur intentione habituali ita agendi?*

III. - *Quod si corrumpitur, corrumpiturne graviter an leviter?*

I. De moralitate singulorum actuum qui fiunt deliberate, sine spe alicuius fructus.

1. Vitium in ista agendi ratione reperiri, sic probare tentat R. P. Doodkorte, in *R. K. Artsenblad,* mense iulio 1935.

Generi et naturae facultatis generativae adversatur talis administratio ut eius effectus, qui est instrumentalis, subtrahatur utili actioni naturae agentis ut causae principalis. Est actus inutilis ad istum finem.

Assertum evincere conatur exemplis: si quis media logica, ut subiectum, praedicatum, iudicium, conclusio sic administraret ut surriperetur usui vel utilitati mentis, ut est facultas intellegendi. — Si quis apparatu masticandi et hauriendi ita uteretur, ut eius effectus subtraheretur utilitati facultatis nutriendi; — vel si quis director operis afferret calcem et lapides cum abest murator, nullam autem materiam afferret, cum murator astat paratus ad exstruendum. Haec forent ridicula.

Resp. Negatur antecedens. Etenim, etiam natura ut causa principalis non frustratur, si, praeter utilitatem cooperandi ad generationem, aliam diversam consequi potest, v. g. in effectibus secundariis matrimonii, ut in sedanda concupiscentia, in significando amore mutuo.

Exempla autem allata non sunt ad rem. Possunt enim talia fieri a novitiis, probationis causa. Et quaenam est hic consideratio moralis, cum sint de actibus quorum habemus dominium? Ubinam demonstratur obligatio curandi ut in usu coniugii natura positive cooperetur ad finem primarium matrimonii?

Quare singuli actus, sunt, qua tales, indifferentes. Plures actus ita fiunt naturaliter sine deliberata intentione, et sine ulla deformitate morali.

2. *Instat.* Substractio utilitatis habetur, quando habitualiter ita vitatur proles.

Resp. In praesenti statu generis humani, nulla est necessitas, nec proin obligatio generandi. Et cum aliae utilitates non desint, neque in repetitis actibus cernitur quidpiam, per se deforme.

Inst. Instrumentum debet concurrere ad effectum principalis causae. Fieret ridiculum.

Resp. Ad effectum principalis causae, si sit unicus, *trans.* si sit multiplex, *nego.*

Inst. Fines secundarii intenduntur ut bonum proprium coniugum, non ut bonum generis humani. Opus naturae intendit bonum generis humani; ac proin ubi finis primarius attingi nequit, instrumentalis effectus subtrahitur operi naturae.

Resp. ad antecedens, fines secundarii intenduntur ut bonum proprium coniugum, quod simul est bonum generis humani, *conc.* Boni communis interest, ut concupiscentia temperetur, ut coniuges se mutuo diligant. Quare negatur minor et consequentia.

3. Voluntas quae deliberate eligit dies steriles, qua tales, et se ponit in statu sterilitatis, componi nequit cum fine primario matrimonii. Repudiando finem primarium matrimonii, inficit totam vitam matrimonialem suo veneno.

Resp. Nego maiorem; quatenus non debet componi cum prosecutione immediata istius finis; satis est ut nihil contrarium ponat.

Inst. Continet stabilitatem in fine secundario, et proin inversionem hierarchiae finium. Fines enim se cundarii sunt natura sua subordinati fini primario.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem vero, sunt subordinati, quatenus finis primarius violari nequit,

conc. quatenus primario semper servire debent, *nego.*

4. Inordinatio utendi coniugio propter voluptatem sine utilitate distincta et nobiliore fine est gravis. Etenim consectaria graviora affert quam accidentalis culpa venerea. Magis timenda sunt ex contagio nocivo bono communi ?

Resp. In praesenti statu propagationis generis humani, *nego;* in futuro statu ubi re vera nimis minueretur numerus hominum, *transeat.* Ergo in praesenti statu est inordinatio gravis : *nego;* in futuro, fieri poterit, *trans.*

Adiuncta enim societatis talia succedere possunt ut, ob causam accidentalem, publica necessitas oriri possit ut matrimonia sint fecunda. Tunc gravis obligatio exoriri potest, ex adiunctis, non autem est de se.

Inst. Restrictio iurium ex pactione ante matrimonium, faceret matrimonium nullum. Ergo huiusmodi pactio intra matrimonium gravis culpae est arguenda.

Resp. Pactio qua velint unus alteri ius auferre utendi coniugio foret gravis, *conc.* Istud autem non habetur in omni abstinentia voluntaria, etiam perpetua.

Inst. Nonne qui volunt hac ratione vitare prolem habent intentionem contrariam fini primario ?

Nego ipsos habere intentionem positive contrariam. Debent enim ita esse dispositi, ut si qua forte proles nascatur, omnia officia conexa cum huiusmodi praegnatione et nativitate fideliter impleant. Etenim qui animo abigendi huiusmodi prolem, convenirent de restringendo usu matrimonii ad dies infecundos, graviter peccarent.

5. Socialis consideratio matrimonii obligat coniuges ut ex usu coniugii aliquam prolem habere velint.

Resp. Obligatio huiusmodi exsistit, ut gravis, in praesenti societatis statu, *nego* ut levis, *conc.* vel *transmitto.*

Observes etiam istud notatum a physiologicis pe-

ritis. Qui volunt indefinite honeste uti coniugio diebus tantum sterilibus, fere semper, post aliquod tempus, natura sic impellente, volunt gaudia paternitatis et maternitatis possidere.

(*Continuabitur*) A. VERMEERSCH S. I.

Casus de matrimonio nunc ineundo cum relatione ad jus ante codicem vigens.

Petrus haereticus dubie valide baptizatus anno 1906 matrimonium civile iniit Amstelodami cum Anna vidua haeretica. Anno 1930, quattuor annis ante obitum Annae, Petrus sub condicione rebaptizatus in ecclesiam catholicam admittitur, atque hodie nuptias inire cupit cum Maria catholica ex priore matrimonio Annae progenita, cum qua tempore sat longae aegritudinis uxoris Annae Petrus haud semel intimiora habuit commercia. Quaeritur utrum quid obstet matrimonio nunc contrahendo a Petro atque Maria.

Respondetur: Multum interest disserere prius de valore aut invaliditate matrimonii Petrum inter et Annam contracti, ut, hac materia juxta ecclesiasticas leges resoluta, pateat responsum ad quaestionem propositam de impedimentis, quae forsan ad matrimonium Petri cum Maria invalidum reddendum valeant.

I. *Fuitne validum matrimonium Petri cum Anna?*

Duplici ex capite potuit matrimonium Petri cum Anna forsitan fuisse invalidum, scil. *ex defectu formae* atque *ob cultus disparitatem.*

Non fuit illud matrimonium invalidum ob *defectum formae;* etenim quamquam anno 1906 forma ad valorem matrimonii requirebatur juxta legislationem Tridentinam (decretum « Tametsi » Sess. XXIV, de ref. matrim. cap. I), tamen declaratione Benedicti XIV (4 Nov. 1741) valida erant matrimonia clandestina tam

haereticorum inter se (par. 2) quam *mixta* (par. 3) in locis subjectis dominio Foederatorum Ordinum Hollandiae (1); hoc itaque matrimonium *haereticorum inter se* contractum Amstelodami, inter Petrum scil. et Annam civiliter tantum anno 1906, ratione formae defectus de invaliditate argui nequit.

Fuitne matrimonium Petri et Annae *invalidum propter cultus disparitatem?* Ante diem 19am Maji anni 1918, qua die ex const. « Providentissima mater Ecclesia » (27 Maji 1917) praescripta codicis vim obligandi habere incipiebant, ex jure non scripto sed generali ecclesiae consuetudine constituto nullum erat matrimonium si unus ex nupturientibus erat certe valide baptizatus etiam extra ecclesiam catholicam, alter vero certe carebat baptismo valide recepto (2). Si in casu nostro supponimus Annae certo valide fuisse collatum baptismum, dubie valide vero Petro, de dubio circa baptismum Petri tria disjunctive conjicere licet, scil.: *aut* dubium nititur in *levi* probabilitate facti vel valoris baptismi, *aut* solida et bene fundata est ratio probabilitatis facti vel valoris baptismi etiam hodie, *aut,* quamquam olim minime spernendae habebantur rationes pro valore baptismi, *nunc certo* quidem baptismum numquam aut non valide susceptum fuisse *constat*.

In *prima suppositione* nulla adest ratio sufficiens denegandi cultus disparitatem inter Petrum et Annam, quare matrimonium *invalidum* fuisse clare apparet.

In *altera suppositione* propter seriam probabilitatem validi baptismi Petri ante codicem ecclesia praesumebat valorem baptismi in ordine ad matrimonium, unde, saltem quamdiu certitudo de invaliditate baptismi non fuerit obtenta, matrimonium Petri cum Anna

(1) Wouters, « De forma promissionis et celebrationis matrimonii », ed. 5a, p. 69 ss.

(2) Wernz, « Jus decretalium » IV, n. 505 ss.

reputabatur validum in jure canonico. (S. Off. 17 Nov. 1830; 19 Sept. 1868; 18 Dec. 1872; 14 Juli 1880; 1 Aug. 1883; 4 Febr. 1891; 10 Juni 1896; Collect. S. C. de P. F. no. 821, 1334, 1392, 1536, 1605, 1746, 1940).

Etsi in C. 1070 § 2 C. J. C. ad normam C. 1014, si baptismus erat dubius pro valore *matrimonii* (*contracti*) standum esse dicitur, tamen secundum plures canonistas antiqua praesumptio ecclesiae *pro valore baptismi* non videtur abrogata, juxta alios quidem solummodo ad *contrahendum* matrimonium (1) juxta alios post *contractum* matrimonium (2), juxta alios saltem si matrimonium ante diem 19 Maji 1918 fuerit initum, cum dubium usque ad haec tempora perseverat (3). Quidquid autem est de hac disputatione, in nostro casu juxta sententiam omnium matrimonium Petri et Annae ab ecclesia nunc praesumitur *validum* sive *indirecte* ob praesumptionem *valoris baptismi* sive *directe* ob praesumptionem *valoris matrimonii*.

In tertia suppositione videndum est, utrum ante codicem praesumptio pro valore baptismi talis fuerit, ut solummodo propter praesumptionem *juris simpliciter* de valore baptismi validitas matrimonii pro *foro externo* praesumeretur donec constaret de invaliditate baptismi, an etiam pro *foro interno* fuerit matrimonium

---

(1) Cappello « De matrimonio » n. 417; Wernz-Vidal, « De matrimonio » n. 268; Vlaming, « Praelectiones de jure matrim. » n. 294, bis.

(2) Knecht, « Handbuch des kath. Eherechts », p. 396 « Ist die Taufe zweifelhaft, so steht die Vermutung, sowohl hinsichtlich einer erst *zu schliesenden* als auch einer bereits *geschlossenen* Ehe zu Gunsten der Taufe »; Vlaming, l. c. n. 291; communior sententia contradicit v. g. Wernz-Vidal, l. c. n. 270; de Smet, « De spons. et matr. » n. 578; Génicot-Salsmans « Theol. mor. », II, n. 492; Vermeersch, « Theol. mor. », III, n. 775; Creusen, « Periodica », XVIII, p. 154* ss.; Gasparri, « tract. de matr. », I, n. 583; Schaepman, « Ned. Kath. St. », 1925, p. 56.

(3) Schaepman, « Ned. Kath. St. » 1925, p. 56, not. 1; Vermeersch, « Periodica », XX, p. 12*, negans cum Arendt (« Jus Pontif. » V, 133 ss.) in hoc casu mutatam esse praesumptionem legalem.

validum *absolute* etiamsi postea invaliditas baptismi certo probaretur.

Hodie quidem juxta principium can. 1070 § 2 coll. can. 1014 praesumptio in favorem *valoris matrimonii* est *juris simpliciter* « *donec certo probetur* alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam » ; sed par. 2 C. 1070, ut recte notat Creusen (1), referri potest tantum ad matrimonia de quibus agitur in C. 1070 § 1, quorum scil. una pars est baptizata in *ecclesia catholica*. Quaestio itaque solvenda est juxta jus ante codicem vigens ; jamvero ante jus codicis disputabatur circa hanc quaestionem, atque Gasparri praecipue contra Scherer affirmabat praesumptionem pro valore baptismi talem esse pro foro *interno*, quod matrimonium validum esset absolute etiamsi de invaliditate baptismi postea constaret. Neutra tamen sententia claris et stringentibus videtur fulciri argumentis, unde non cogimur in hac quaestione admittere dubium juris, quo impedimentum dispareret. Manet itaque *dubium* utrum in casu matrimonium sit validum an invalidum ; quare matrimonium nec est certo invalidum sed est *dubie validum*. Monet quoque S. C. Inq. 5 Febr. 1851 saltem cautelae causa ut, quoties casus particularis occurrat, recurratur ad S. Sedem (2) praecipue si agatur de matrimonio contracto dissolvendo.

II. *Num obstat aliquod dirimens impedimentum matrimonio nunc contrahendo a Petro et Maria?*

Impedimenta si quae forsan matrimonium Petri cum Maria invalida reddere possent, relationem maxime habent ad validitatem vel invaliditatem matrimonii Petrum inter et Annam olim contracti. Solvimus igitur hanc quaestionem juxta triplicem suppositionem supra expositam de baptismo Petri, cum in casu no-

(1) « Periodica » XVII, p. 154* ss. ; Epitome Juris, II, (1934) n. 345. 3.
(2) Wernz. « Jus decret. » IV, n. 507, nota (28).

stro disparitas cultus *unica* potuerit esse ratio invaliditatis matrimonii Petri cum Anna.

I. In *prima suppositione*, in qua scil. factum vel valor baptismi Petri levi solummodo nititur probabilitate, matrimonium Petri cum Anna erat *invalidum* disparitatis cultus causa. Suppono post diem 19 Maji 1918, sublato secundum praescriptum C. 1070 § 1 impedimento disparitatis cultus inter partem non-baptizatam et partem baptizatam extra ecclesiam catholicam *non fuisse revalidatum matrimonium* Petri cum Anna juxta condiciones in C. 1133 § 1. notatas, scil. per novum consensum partis nullitatis consciae, et quidem in forma, si Petrus tunc temporis iam in ecclesiam catholicam fuerit cooptatus (C. 1135 § 1 coll. C. 1099 § 1, 1^0, 2^0). Cum autem Maria fuerit Annae consanguinea in primo gradu lineae rectae, pro Petro, ut Mariam ducat, adest impedimentum dirimens *publicae honestatis* in primo gradu lineae rectae (C. 1078). Alterum, quod videri posset adesse impedimentum, scil. *criminis*, necessario fundamento caret, nempe matrimonio *valido* Petri et Annae.

2. In *secunda suppositione*, in qua solidae rationes adsunt pro valore baptismi Petri, quae numquam propter argumenta in contrarium disparuerunt, matrimonium Petri et Annae reputatur *validum*. Ex hoc matrimonio *valido* inito inter *duas partes baptizatas* certo oritur pro matrimonio Petri et Mariae inpedimentum dirimens *affinitatis* in primo gradu lineae rectae (C. 1077 § 1). Atque insuper, si vivente Anna intimiora commercia inter Petrum et Mariam talia fuerunt, quod « adulterium inter se consummaverint et fidem sibi mutuo dederint de matrimonio ineundo » scil. post mortem Annae, « vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentaverint », obstat quoque impedimentum *criminis* (C. 1077, 1^0).

3. In *tertia suppositione* vero, secundum quam solidae quidem adfuerunt rationes probabiles pro valore baptismi, sed postea certo probatum fuit baptismum validum Petro numquam fuisse administratum, quaenam habentur impedimenta ?

In hoc casu, ut jam explicavi, matrimonium Petri cum Anna non fuit certo invalidum, nec certo validum (ne quidem ex C. 15 propter solidum dubium juris), sed fuit matrimonium *dubie validum.*

Jamvero, impedimenta, quorum fundamentum est *factum certum* matrimonii sive *validi* sive *invalidi*, si illud factum est *dubium* sunt impedimenta *dubia facti*, (Gasparri « Tractatus de matrimonio » no. 212).

Cum itaque in hac tertia suppositione matrimonium Petri et Annae nec certo validum nec certo invalidum sit, haec adsunt *impedimenta dubia facti :*

a) Impedimentum dubium facti *criminis*, cum *incertum* sit factum *validi* matrimonii.

b) Impedimentum dubium facti *affinitatis,* cum pariter *incertum* sit factum *validi* matrimonii. Etenim, si certo validum esset matrimonium Petri et Annae, haberetur *affinitas* inter Petrum et Mariam, non quidem propter validitatem matrimonii inter Petrum non-baptizatum et Annam baptizatam, quia dubium juris (1) habetur utrum tale matrimonium validum fundamentum esse possit affinitatis, unde *practice* impedimentum *non* exstaret (C. 15), sed quia hoc matrimonium validum legitimum post baptismum Petri, vivente uxore,

(1) Alii putant ex matrimonio valido inter partem non-baptiztam et partem baptizatam non oriri impedimentum affinitatis, cum tale matrimonium sit nec ratum nec ratum et consummatum (c. 97 § 1 coll. c. 1051 § 1) v. g. De Smet « De spons. et matr. » n. 613 ; Cappello. De matr. n. 518 ; Vermeersch-Creusen, « Epit. Juris » I, n. 190, II n. 357 ; Genicot-Salsmans, « Theol. mor. », II, n. 505 III ; Farrugia, « De matr. » n. 205, et alii v. g. Leitner, Schaefer, Cerato, v. Grinsven etc.

Alii contrariam defendunt sententiam putantes affinitatis impedimentum oriri ex quolibet matrimonio valido, publicam honestatem ex matrimonio invalido, v. g. « Monitore », 1924. p. 49 ; Wernz-Vidal, « De matr. ». n. 367, IV ; Vlaming. « Prael. jur. matr. », I. n. 353 et alii v. g. Noldin, Chelodi, Ojetti.

factum esset matrimonium validum *ratum*. Nunc vero de valore matrimonii hujus *non constat*, quare impedimentum *affinitatis* in primo gradu lineae rectae est *facti dubium*.

c) Impedimentum facti dubium *publicae honestatis* deficiente *certitudine* de *invaliditate* matrimonii Petri et Annae.

III. *Quis dispensare potest quoad impedimenta quae obstant matrimonio Petri et Mariae?*

Jam vidimus impedimenta, quae in nostro casu secundum varias considerationes circa Petri Baptismum pro matrimonio Petri cum Maria difficultates creare possint esse tria, scil. *crimen, affinitatem* vel *publicam honestatem*, et quidem sive ut impedimenta *certa*, sive ut impedimenta *dubia facti*..

1. Si impedimenta sunt *certa :*

Quoad impedimentum *criminis* ex adulterio cum promissione dispensare potest. Ordinarius loci ex quinquennali facultate, qua potest dispensare, juxta et rationabili ex causa, super matrimonialibus impedimentis *minoris gradus*, quae in C. J. C. c. 1042 recensentur (1).

Quoad impedimentum *publicae honestatis in primo gradu* per se adeunda est S. Sedes ; sed cum sit impedimentum in quo a S. Sede concedi *solet* dispensatio, dispensationem concedere potest Ordinarius loci si « difficilis sit recursus ad S. Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni » (C. 81) (2).

Pro impedimento *affinitatis in primo gradu lineae rectae* adeunda est S. Sedes. Dispensatio super affi-

(1) Hilling, « Codicis juris canonici supplementum », p. 45.

(2) Eadem facultas repetitur in quinquennalibus facultatibus (Hilling l. c. p. 45) ; sed quia est quoque facultas ex *jure communi*, propter hanc indultivam facultatem numquam datur ratio applicandi praescriptum C. 1050.

nitate in primo gradu lineae rectae etiam *consummato matrimonio* ab ecclesia dari potest, quia est juris ecclesiastici (1), et in casibus extraordinariis ultimis annis dispensationes datae sunt (2); attamen facultates circa affinitatem in primo gradu lineae rectae *consummato matrimonio* raro conceduntur, unde excipiuntur quoque in C. 1043-1045; *neque solet* S. Sedes dispensare super hoc impedimento matrimoniali consummato saltem matrimonio; quare nequit Ordinarius juxta C. 81 dispensare consummato matrimonio, si difficilis est recursus ad S. Sedem et simul periculum gravis damni in mora, quia C. 81 addit haec verba: « et de dispensatione agitur, quae a Sede Apostolica concedi *solet* ».

2. Si impedimenta sunt *dubia facti:*

Ordinarius dispensare potest tam pro *crimine* ex adulterio cum promissione quam pro *publica honestate in primo gradu* (C. 15), *non* tamen pro *affinitate in primo gradu in linea recta consummato matrimonio*, cum C. 15 quoque haec verba habeat « dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare *solet* ».

HUB. BEIJERSBERGEN S. J.

De coetu internationali mulierum catholicarum quae aegrorum curis addicuntur.

A die 25 ad 28 mensis augusti huius anni, habita sunt Romae peregrinatio et congressus internationalis mulierum catholicarum quae se curis infirmorum, praesertim in hospitalibus, institutis clinicis, etc. devovent. Plane probante S. Sede, his accesserunt insti-

(1) CAPPELLO « De matrimonio » n. 537.
(2) CAPPELLO, l. c. n. 539.

tuta religiosa feminarum quae curandis infirmis addicuntur. Immo religiosis plures consessus studiorum reservati sunt. Quare duorum vel trium dierum spatio Romae diutius manserunt.

De ipso congressu generali non est cur hoc loco agamus. Satis nobis sit commemorare sollemnem audientiam quam, in Arce Gandulphi, tertia die congressus Sanctitas Sua omnibus, vere paterna benignitate concessit. Sed de speciali consessu religiosarum, in qua ultra mille Sorores partem habuerunt, non nulla communicanda videntur.

Propter tres potissimum fines consessus speciales religiosis reservati sunt: ut authentice docerentur quomodo instituendae essent technice et religiose ii qui ad Congregationes hospitalares pertinent; ut nossent modum se gerendi in cooperatione ad res malas seu reprobandas; ut ipsis explicaretur qua ratione servitia sua praestare possent parturientibus et viris qui curis delicatis indigent.

Consessus iste praefectum habuit Exc. D. La Puma; partes autem quasi professoris sumpsit R. P. Creusen, S. I.

Is egit de cooperatione directa vel indirecta ad illicitas artes medicorum.

Observavit valde mutatas esse methodos therapeuticas. Frequentius et magis immediate religiosae cum medicis, in operationibus chirurgicis cooperari debent. Dein Instituta in quibus religiosae occupantur subsunt Statui, publicis administrationibus, comitatui laicorum. Progressus scientiae medicae inserviunt artibus quae moralem naturalem offendunt. In variis gentibus praescripta sunt « socialia » vel poenalia quae cum lege naturali conciliari nequeunt. Inde mandato administrationum vel societatum neutralium imponuntur methodi educationis vel cultus physici quae lege morali reprobantur, vel dissuadentur. Inde quando

religiosae invitantur vel coguntur cooperari istis artibus quaestiones; quomodo agendum sit Superiorissae, religiosae quae curat, Visitatrici, inspectrici? Quando nam tacere poterit, quomodo reclamare debet? Quando et qua ratione cooperationem aliquam praestare vel negare potest vel debet?

Quare necesse est ut Instituta hospitalaria optimam informationem technicam et professionalem dent suis subditis quae ministeriis aegrorum applicantur. Hanc esse voluntatem S. Pontificis declaravit R. P. Creusen. Quare postulantur scholae optime institutae; bibliothecae, examina probe ordinata, severitas in conferendis testimoniis habilitatis, tempus aptum studendi. Omnibus autem quae in his rebus occupantur praelegendae forent notiones deontologiae professionalis, traditae a sacerdote competente.

Egit deinde de principiis cooperationis licitae vel illicitae. In casibus dubiis negavit obligationem interveniendi: praesumptio favet medico et interventus inopportunus pessima consectaria habere possit.

In quaestione de curis delicatis virorum et de iuvandis parturientibus, duplex excessus est vitandus. Cavendum est, ne male intellegentes pudicitiam et modestiam, sorores declinent officia quae caritate et necessitate moderni apostolatus exiguntur; cavendum quoque est ne religiosae sensum pudoris et suae dignitatis amittant vel hebeterent.

Oportet ut nonnullae religiosae omnem curam procurare possint quae a ministris laicis legitime exiguntur. Verum adiuncta prudenter pensanda sunt, num, ubinam, quandonam haec facere debeant.

Hodierna adiuncta saepe postulant ut religiosae parturientibus assistant. Vitandae enim sunt actiones illicitae; difficili « operationi » auxilium ferendum est; cura baptismi pueri gerenda est. Consiliis religiosae obtinere possunt ut leges morales observentur in ma-

trimonio. Quare ne in nostris quidem regionibus, multo minus in missionibus haec regula valere potest: Religiosae numquam partui immediate assistunt. Sed res definiatur ab Ordinariis. Quod ad curas delicatas virorum, quantum fieri potest committantur viris. Ubi tamen hoc fieri nequeat, eligatur soror maturae aetatis, et haec praeferatur ministrae saeculari, quae nullis votis protegitur.

Sanctitas Sua vult ut sint bene instructae, ita ut Instituta religiosa commendari possint.

Cum huiusmodi indicationes datae fuerint approbante S. Pontifice, perspicitur quanti faciendae sint ab omnibus Institutis quae aegris membris Iesu Christi opem ferre volunt. Quae in Constitutionibus monentur ut abstineant a curis quae minus decent religiosas, servanda quidem sunt, sed temperamenta admittunt quae caritas christiana et apostolatus postulant.

A. Vermeersch S. I.

QUAESITA VARIA

I. De Baptismo apud sectas haereticas.

Missionarius quidam, cupiens magis accurate cognoscere et modum baptizandi quem tenerent variae sectae circa baptismum et quid sentirent de ratione baptismi eiusque necessitate, misit ad capita eorum qui erant in suo territorio varias quaestiones, quibus responsum est. Quamvis inquisitio non fuerit completa sed circumscripta locis quibus ipse evangelium nuntiabat, non defuit utilitas in cognoscendis istis exemplis, nec fugiet ceteros missionarios opportunitas istius scientiae positivae. Quare quaestiones et responsa hic arbitramur communicanda sicut fuere proposita; ob-

tenta, prius, ut patet, plena facultate omnia publici iuris faciendi.

Primo referemus non nulla quae Excell. Vicarius Apostolicus observanda putavit. Territorium agitur insulae *Yule Island*, Papua.

De isto territorio, Vicarius Apostolicus haec notat:

« Omnes sectae profitentur se, cum baptizant, intentionem habere generalem faciendi id quod facit Ecclesia.

« Omnes, si Anglicanos excipias, videntur, baptismum christianum habere ut baptismum paenitentiae S. Ioannis Baptistae, id est merum symbolum movens ad conversionem.

« Omnes utuntur, data occasione, formula Baptismi S. Matthaei, 28, 19, quam convertunt in aliquam ex multis dialectis regionis; quae versiones sunt omnes adhuc satis incertae.

« In genere, si consideres modicum momentum quo aestimant Baptismum, ignorantiam partium essentialium Ritus, et neglegentiam multorum ministellorum, maxime inter Nigritas, certo rationabile est multam neglegentiam et non modica libidinose facta praesumere in eorum administratione Baptismi. Missionarii qui in eorum regionibus operantur non facile consentiunt ut in istis baptismis hereticis aliud agnoscant atque meram possibilitatem valoris, quae plerumque recognosci non potest ».

Hactenus vicarius apostolicus.

Quaestiones autem posuit hac ratione.

« Yule Island (Papua), 4 maii 1934.

« Care Reverende Domine,

« Me sentirem valde obligatum erga te, si humane velles satisfacere seriei quaestionum annexarum.

« Cum inquisitio nullum habeat intentum controversiarum, sed simpliciter intendat colligere notiones

ad studendum administrationi Baptismi in variis « Denominationibus (1) » Christianis, breve responsum, etiam dicendo *Yes* vel *No* plerumque casum attinget et erit vere bene acceptum;

« In antecessum gratiae et optimae salutationes. Sincere tuus.

Interrogationes autem hae fuerunt.

Denomination

I. Secundum *doctrinam* tuae Denominationis:

1. Estne baptismus consideratus ut sacer ritus institutus a Christo?

2. Estne baptismus consideratus ut necessarius ut quis fiat christianus, ita ut Christianus Minister habeat obligationem baptizandi eius sequaces, hi autem officio teneantur recipiendi baptismum?

3. Dum baptismum ministrat, Minister, sine respectu suarum sententiarum de baptismi natura et effectibus, vultne, ut minimum dicamus, explere Christi intentionem, sicut est apud S. Matthaeum, cap. 28, v. 19?

II. Attenta *praxi* tuae Denominationis:

4. Estne baptismus generalis usus?

5. Estne collatus unice adultis?

6. Vel etiam infantibus?

7. Unice a ministris albi coloris?

8. An etiam a ministris coloritis et docentibus?

9. Estne collatus infusione (fundens aquam in subiectum)?

10. An per aspersionem (conspergens subiectum aqua)?

11. An per immersionem (mergens subiectum?)

12. Estne consideratus ut necessarius, et practice observatum, ut ablutio ritualis et pronuntiatio formu-

(1) Singulae professiones religiosae vocantur denominationes.

lae, ambae fiant ab eiusdem persona ?... Idque, eodem tempore ?

Responsa obtenta et inde conclusiones.

I. *Anglicanorum.*

Ex eorum responsis, baptismus est habitus ut institutus a Dominio nostro, est necessarius ut quis fiat christianus ; est obligatio pastorum ut baptizent, et sequacium ut baptizentur.

Practice Confertur semper infantibus et adultis ; in solis urgentibus casibus administratur a laico ; - fit per infusionem et interdum per immersionem. - Eadem persona coniungit materiam et formam : idque observatur ut essentiale ; - utuntur formula S. Matth. 28, 19, translata in latinam, anglicam et nativam linguam, quantum fieri potest accurate.

— Ex eorum hodierna praxi, nihil contrarium his responsis apparet.

3. In ordine ad matrimonium, praesumptio firmiter stare videtur pro facto et valore baptismi.

Conclusio nostra : Haec est etiam sententia nostra.

II. *London missionary Society* (Plerique sunt Congregationalistae)

1. Ex eorum responsis, Baptismus est :

Habitus, non ut institutus, sed sanctificatus, approbatus a Christo ; non est necessarius ut fias christianus, sed signum Christiani ; - est liberae optionis ministrorum ut dent baptismum et pro sequacibus ut baptismum recipiant.

Practice generatim confertur adultis et infantibus ; - confertur etiam a pastoribus coloratis ; - per aspersionem, et si cupitur, per immersionem ;

Unitas ministri et unio materiae et formae servantur ex usu, sed non ut essentiales. (In uno ex responsis negatur ipsa consuetudo).

Clara translatio Matth. 28, 19, in anglicam et in nativam linguam usurpatur.

2. Ex nostra experientia, hodierna praxi sectae :

a. Infantes, non universim, sed passim tantum baptizantur, qui data occasione, europaeis praesertim ministris offeruntur.

b. Diverso modo a diversis ministris confertur Ritus : Quidam fundunt aquam super caput (in crines potius quam in frontem) ; alii, motu digiti madefacti, caput vel frontem fricant ; plerique, qua e cuppa digitis sumpta, quodam talitro *(Fillip)* aspergunt subiectum. — Nulli videntur multum curare ut aqua tangat pellem subiecti.

c. Formulae indigenae ex eorum libris desumptae non carent quidem aliqua probabili validitate. Sed in praxi, etiam in eodem districtu, passim adhibentur aliae formulae, eiusdem vel minoris etiam valoris.

3. Nisi examen alicuius particularis casus (plerumque impossibile) aliquid contrarium praestiterit, non ne sentiendum est cum omnibus missionariis in partibus huius sectae laborantibus, quod adeo falsa et manca est doctrina eius circa baptismum, adeo erratica et inconsiderata eiusdem praxis in collatione Ritus, ut vix inveniri possit aliqua ratio positiva quae fundet serium dubium in favorem tum facti tum valoris baptismi ?

4. Ex quo, in ordine ad matrimonium, legitime concludi posset quod :

Factum baptismi :

« Non praesumitur, si pro eo nullum sit testimonium ; — admittitur si pro eo habetur testimonium satis serium ; — remittitur ad S. Sedem, si dubium remaneat (S. Off. 1 aug. 1903).

Valor baptismi non praesumitur, nisi examen casus permiserit aliquod dubium rationabile pro valida collatione.

Conclusio nostra. Quamvis non dixerim haberi fundamentum firmum pro validitate, sufficientes tamen

sunt rationes dubitandi, ut sine recursu ad S. Sedem non possit tractari ut nullum (1).

III. *Interdenominational Fellowship of papuan Christians. (Quato).*

1. Ex eorum responsis, Baptismus est:

Habitus ut: institutus a Christo, — necessarius ut quis fiat Christianus; ita ut habeatur officium Pastorum baptizandi et sequacium recipiendi baptismum, sed provisum est « signum externum mutationis interioris » (Potius est obscurum quomodo ipse ritus sit necessarius).

Practice est generaliter collatus; solum adultis, etiam a docentibus; — confertur per immersionem, ab eadem persona; — « non est tam necessarium qua expediens, » ut immersio et pronuntiatio formulae fiant eodem tempore, i. e. (lingua anglica vel lingua propria) « Tu ... (nomen) es baptizatus in Iesum Christum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Quare es sepultus cum ipso per baptismum in morte. (Hic fit immersio). Ut sicut Christus resuscitavit a morte per gloriam Patris, eodem modo tu ambulares in novitate vitae ».

2. Hodierna praxis sectae nihil revelat contrarium his responsis.

3. Quid de valore absoluto Baptismi?

4. Quid praesumendum est de facto et valore in ordine ad matrimonium?

Factum baptismi non videtur praesumendum nisi ipsum subiectum testetur quod receperit baptismum, cum secta non baptizet nisi adultos.

Valor autem habetne sat probabilitatis ut praesumendus sit, cum immersio nec comitet nec immediate sequatur prolationem formae, quae et ipsa tam incerta

(1) Cum agatur de acatholicis, quibus non licet repetere baptismum nisi convertantur, quaestio de iterando baptismo non est examinanda a nobis.

videtur ob inserta extranea verba, quae exprimunt potius unum ex effectibus baptismi quam ipsam collationem baptismi? Praeterea valde dubitandum est de accurata collatione baptismi cuius necessitas non admittitur sensu proprio?

Conclusio nostra. Praesumendus est validus baptismus in ordine ad matrimonium. In aliquo raro casu, valde favorabili, potest recurri Romam.

IV. - *Methodist missionary Society of Australia (Papuan District)*

1. Ex eorum responsis, baptismus est: admissus ut institutus a Christo.

Non essentialiter necessarius ad salvationem, sed praeceptus nostro populo, hic in Papua strictius quam alibi.

Practice: est vere generaliter collatus adultis et infantibus, vel pueris omnis aetatis, ad petitionem parentum; etiam ab ordinatis ministris coloratis usque ad praesentes insulanos maris meridionalis; confertur plerumque aspersione.

Practice, sed non ut res necessaria, confertur ab una persona, quae eodem tempore peragit aspersionem, et pronuntiat Formulam, translatam a S. Matthaei 28, 19, in linguam anglicam vel in linguam nativam, ergo, e. g. in dialectum Dobu: « Nomen-Tamada esanega be, Natuna esanega be, Iaruiarua Tabuna esanega be, ya giebapapitai soemu. Emen. »

(Nomen Father our his name into and, His Son his name into and, Spirit Holy his Name into and, I baptise thee. Amen.

2. Ex hodierna praxi sectae nihil contrarium his responsis novimus.

3. Estne dubium satis fundatum in favorem tum facti tum valoris ut praesumptio stet pro valida collatione in ordine ad matrimonium?

Conclusio nostra. Inquirendum est de facto baptismi collati pro pueris. Si collatus est baptismus, praesumenda est validitas in ordine ad matrimonium saltem si aspersio subiectum bene attigerit.

V. - *Sevent Day Adventists.*

1. Ex eorum responsis, baptismus est:

consideratus ut institutus a Christo; - necessarius ut quis fiat christianus; inde: est officium ministrorum conferendi eum, et pro sequacibus animandi eum, sed « conversio » magis necessaria.

Practice baptismus est collatus generatim, solis adultis; etiam ab ordinatis coloratis parentibus et ministris; - fit per immersionem; ab eadem persona, practice « quae, eodem tempore coniungit materiam et formam; hac formula, anglice vel in dialecto nativa: « propter professionem tuae fidei in Iesum ut tuum Servatorem... etc, ut Matth. 28, 19; vel: « quia credis in Iesum Christum, qui solus salvat te a peccatis; tunc, ut Matth. 28, 19.

2. Nihil his contrarium novimus ex praesenti praxi sectae.

3. Valor baptismi videtur valde dubius: ipsa enim collatio videtur explicite subordinari fidei subiecti. Unio materiae et formae non exigitur. Tandem, proprie dicta necessitate baptismi non agnita, prudenter omnino dubitare licet de accurata ritus collatione.

4. In ordine ad matrimonium dicerem; quod: cum secta non baptizet nisi adultos, deficiente ipsius subiecti testimonio, factum baptismi non est praesumendum. - Quod ad valorem baptismi forte collati?

Conclusio nostra: factum baptismi est inquirendum; si factum est, praesumitur validum.

VI. *Missio camporum non evangelizatorum*

1. Ex eorum responsis, baptismus est:

consideratus ut institutus a Christo; - non ne-

cessarius ut quis fiat christianus; inde, nulla obligatio pro ministris ut baptizent, nec sequacium ut baptizentur.

Practice, est generatim datus, unice adultis; a solis albis, ut nunc; per immersionem; - non est necessarium, sed practice observatur, ut idem vir applicet simul materiam et formam. - Formula desumpta est ex S. Matt. 28, 19 anglice, non autem in dialectum nativam.

2. Nihil contra haec didicimus ex eorum praxi.

3. Cum secta non baptizet nisi adultos, videtur quod, deficiente testimonio ipsius subiecti baptizati in adulta aetate, factum Baptismi non est praesumendum in ordine ad Matrimonium.

Quod autem ad valorem Baptismi forsan collati, estne praesumendus validus in ordine ad matrimonium?

Conclusio nostra. Baptismus praesumendus est validus in ordine ad Matrimonium, si quis collatus fuerit.

Non nulla observanda, ut vitetur confusio.

Praesumptio in casu, nullam parit certitudinem. Habetur quotiescumque ratio aliqua sit pro valore, quamvis fortiores rationes faveant nullitati. Non enim agitur de amplectendis partibus magis verisimilibus, sed partes attendendae quae vitent periculum violandi prohibitionem divinam quae nemini permittit ut matrimonium-sacramentum rumpat.

Baptismus praesumitur validus *in ordine ad matrimonium* sive ut matrimonium mixtum permittatur, sive ut alterae nuptiae prohibeantur. Et cum agatur de *hereticis*, frequentius agitur de prohibendis novis nuptiis. Quando enim agitur de matrimonio ineundo, potest semper recurri ad dispensandum ad cautelam ab impedimento disparitatis cultus.

Tunc solum negari potest praesumptio, quando offenderetur certitudo moralis proprie dicta. Consideres

responsum S. Officii (1) circa matrimonium duorum qui in haeresi dubie baptizati erant. Negavit partem conversam posse « propter gravissimum dubium de baptismo in haeresi recepto aequiperari... parti ab infidelitate conversae, et propter Paulinum privilegium ad alias nuptias transire » ; atque observes S. Officium in responsis 1 aug. 1883, ubi res dubia sit, permittere tantum recursum ad ipsam.

Itaque cum agitur de secta quae solos adultos baptizat, possumus fidere testimonio adulti qui sit sincerus et bene rerum memor. Si autem aliquis baptismus collatus fuerit, praesumendum est validum baptisma in ordine ad matrimonium, nisi nullitas demonstretur. Cfr can. 1014: in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salva praesumpt. can. 11. 27 (de privilegio fidei), can. 1070, 2 « si baptismus erat dubius tempore contracti matrimonii, standum est ad normam can. 1014 pro valore matrimonii, donec *certo* probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero, non baptizatam ».

Excipitur quidem, ex can. 1127 privilegium fidei, quod hic locum non habet propter periculum violandi indissolubilitatem matrimonii sacramenti, sacramenti inquam, consummati. Cfr can. 1076, 3.

A. Vermeersch S. I.

II. De can. 1283 seu de facultate authenticandi reliquias.

Can. 1283, privatum cultum a publico distinguens, non permittit ut publico cultu honorari possint in ecclesiis, etiam exemptis, aliae reliquiae praeter illas quas genuinas esse constet authentico documento ali-

(1) Instr. 18 dec. 1872. (Coll. de Prop. Fide, n. 1392).

cuius S. R. E. Cardinalis, vel Ordinarii loci, vel alius viri ecclesiastici cui facultas authenticandi *indulto apostolico* sit concessa.

Quamvis autem, nomine Ordinarii loci, veniat etiam, vi can. 198, vicarius generalis, is tamen explicite excluditur, nisi obtinuerit mandatum speciale.

Vi can. 1283, facultatem authenticandi habent omnes Cardinales; dein Ordinarii locorum sive sint Episcopi sive non. Non ergo conceditur Episcopo qua tali sed datur etiam viro qui non est Episcopus, dummodo qualitatem possideat Ordinarii loci, ut, v. g. Praefectus apostolicus in missione. Atque excipitur vicarius generalis qui non receperit mandatum speciale ab Episcopo suo. Praeterea canon facultatem agnoscit aliorum virorum ecclesiasticorum quibus facultas authenticandi *indulto apostolico* sit concessa.

Littera autem canonis suggerit quaestionem utrum potestas ista delegari queat quanam vi et quibusnam limitibus?

Interrogata S. Cong. de indulgentiis, 16 dec. 1749: 1. An unusquisque Episcopus extra Romam sua in dioecesi quascumque s. reliquias valeat authenticare? 2. An Sanctorum reliquiae a quodam Episcopo in Italia authenticatae (si ex parte subscriptionis, sigilli et thecae nulla erroris aut falsitatis nota deprehendatur) ab altero Episcopo ultra montes possint reprobari, vel impediri ne publicae venerationi exponantur?

Respondit: Ad utrumque affirmative, ad formam Concilii (Decreta auth. SS. Indulg. n. 183). Inde colliges facultatem authenticandi esse actum iurisdictionis non contentiosae, quam ubique terrarum is cui facultas competit exercere potest, sine tamen praeiudicio Episcopi loci, cui proin integrum est non agnoscere authenticitatem reliquiarum quas alius Ordinarius loci approbaverit et proin impedire publicam venerationem istarum reliquiarum in sua dioecesi.

Sed etiam permittere potest ut in sua dioecesi publice collocentur. Ita SANCHEZ, in Dec. L. II. c. 43, n. 14; SCHMALZGRUEBER, *Ius can.* L. III, T. 45.

Ut corollarium dictorum, sequitur facultatem delegatam, si qua exsistat, subordinari eidem limiti, i. e. ut extra dioecesim delegantis, authenticitas reliquiarum, pro publico cultu sit precaria, ex toto obnoxia voluntati Ordinarii loci.

Iam accedamus ad quaestionem de facultate delegandi istam potestatem. Et videtur admittenda. Ex modo quo tribuitur Ordinario loci, apparet ad Ordinarium loci pertinere ut facultas *ordinaria*. Iam vero quae pertinent ad potestatem ordinariam Episcopi seu Ordinarii delegari possunt. Nec in textu ulla limitatio apponitur. Igitur Episcopus Dioecesanus Americanus possit facultatem sine ulla limitatione concedere cuivis sacerdoti commoranti in aliqua parte Europae. Res ista tamen mira videtur et parum consentanea limitationi appositae in potestate Vicarii generalis. Textus canonis videtur admittere tantum concessionem ex apostolica auctoritate factam.

Frustra quaesivimus aliquam solutionem ex auctoritate. Quos enim consulto adivimus auctores, reperimus silentes de ista quaestione. Nihil habent REIFFENSTUEL, *Ius can.* L. III, t. 45 n. 27; SCHMALZGRUEBER, in L. III, t. 45, n. 46-50; SANCHEZ, *in Dec.* L. II; c. 43, n. 14 ss. Nihil S. ALPHONSUS, in sua *Theol. morali;* nihil BALLERINI-PALMIERI *in suo opere theol. mor.* II, p. 338 ss.; nihil LEHMKUHL, *Theol. mor.* I, n. 486; nihil BERARDI, *Theol. mor. theor. pract.* t. II; nihil FERRERES, *Compend. theol. mor.* I, 344; nihil NOLDIN-SCHMITT, *De praeceptis,* n. 137; nihil PRÜMMER, O. P. *Manuale Theol. mor.* II, 3875, nec plus dicit in volumine canonico; nihil MERKELBACH, O. P. in *Summa theol. mor.* — Apud DAVIS, S. I. *Moral and pastoral Theology*, t. II, legimus, « Publica veneration is permitted to

those relics only which are known to be genuine from the authentic document of a Cardinal or a local Ordinary, or other person delegated ad hoc (c. 1283)». Posteriora verba videntur admittere delegationem, dum extendunt ad omnem personam quod Codex tantum tribuit vicario generali; sed cum obiter scripta sint, non certum est veram affirmandi voluntatem in citatis verbis contineri.

Restat igitur ut, secundum regulam generalem, admittamus istam facultatem delegandi, cuius vis tamen non erit nisi precaria extra territorium delegantis.

Viri quibus S. Sedes concedit istam facultatem sunt Postulatores causarum, pro sanctis propriae religionis.

A. VERMEERSCH S. I.

III. **De assecuratione vitae, contracta a religioso professo Ordinis regularis.**

Quaeritur de eius proprietario, de eius destinatione.

Principia iuridica. Secundum Codicem iuris canonici, religiosus, quamdiu non fecit professionem sollemnem, servat dominium bonorum quae habebat cum religionem ingressus est, manetque capax acquirendi alia bona, sive per actus inter vivos sive per testamentum, sive per hereditatem. Sed inter sexaginta dies ante sollemnem professionem, debet renuntiare omnibus bonis suis in favorem Ordinis vel aliarum personarum seu operum capacium. Facta sollemni professione, bona quibus non renuntiavit cedunt suo monasterio, si est capax acquirendi; si autem est incapax, cedunt S. Sedi.

Ipsa assecuratio vitae vario modo concipitur. Forma simplici contrahens cum assecuratore solvit annuas pecunias *(praemia)* et completo numero annorum, percipit summam capitalem, si vixerit. Si moritur ante istud tempus, assecurator nihil solvendum habet. Sed plerumque assecurator se obligat ad solvendam pecuniam, sive tempore statuto, vixerit, sive obierit: quo casu summa pertinet ad heredes assecurati.

Non ita raro, in locum summae capitalis, semel solvendae, obligatur assecurator ad solvendas annuas pecunias usque ad mortem assecurati.

In locum pecuniae aliqua alia praestatio promitti potest: v. g. sumptus funerarii.

Varii casus. Titius, simpliciter professus contrahit assecurationem vitae, cuius praemia ex ipsius bonis solvuntur. Moritur autem ante professionem sollemnem. Pecunia cuius ius acquisivit tradenda est ei quem ipse designaverit, vel heredi ab intestato.

Titius contraxit assecurationem quae nondum finem habet, quando sollemnem professionem facit. Si praemia soluta sunt, et solvuntur ex bonis professi, pretium exspectatum est inter bona professi, quibus professus renuntiare debet. Proin, secundum renuntiationem professi pretium est tribuendum ei cui in renuntiatione erat destinatum.

Quid autem si praemia solvuntur ex bonis religionis? Tunc, per se pretium addicendum est religioni.

Quid autem si pretium consistat, non in summa semel solvenda, sed in annuis solutionibus? Hae tunc sunt reditus. Verum sunt religiones quibus interdicitur ut reditus habeant. Tunc, vel nova pactione substituendum est capitale semel solvendum in locum praestationum annuarum, vel annuae praestationes addicendae erunt alicui domui quae reditus habere potest, si tales sint in ista religione.

Fieri quoque potest ut religio ex caritate solvere voluerit praemia annua, ut inde pauper familia religiosi recipiat compensationem pro subiecto quod aliter nequeat succurrere parentibus indigentibus subsidio. Ita tunc res ordinari possunt, ut familia egena recipiat pretium. Observes, ne mira videatur huiusmodi assecuratio, quae prosit religioni, nihil singulare in istis pactionibus contineri. Namque sicut res mobiles vel immobiles assecurari possunt, quin immo, ipsa domus v. g. contra pericula incendii, ita ipsa persona potest esse subiectum assecurationis.

A. VERMEERSCH S. I.

IV. Quotiens licet, commisso peccato mortali, celebrare, deficiente confessario, post recitatum sincere actum perfectae contritionis ?

Gravissimo praecepto divino ecclesiastico, Conc. Tridentini prohibetur sacerdos celebratione missae post commissum peccatum mortale, nisi prius, *per usum sacramenti paenitentiae,* recuperaverit statum gratiae. Excipe tamen, si copia confessarii ipsi desit et urgeat necessitas celebrandi propter officium, vel gravem quandam necessitatem fidelis, vel serium timorem infamiae, etc. Qui vero legitime excusatus fuerit a celebratione missae non praemissa confessione, debet sub gravi praecepto quam primum confiteri.

His positis, in regione ubi pauci sunt presbyteri, parochus Titius infeliciter peccato mortali se inquinavit. Deerat omnis copia confessarii. Parochus se putabat obligatum ad celebrandum, quia erat parochus

et omissio sacri excitasset mirationem populi. Quare elicuit actum perfectae contritionis et celebravit. Celebrato autem sacro, copia confessarii ipsi pergebat deesse, nec praevidebat quando occasio confessionis ipsi daretur. In his adiunctis, existimat sibi licere ut pergat cotidie missam celebrare, allegans officium parochi et timorem infamiae, nisi celebraret. Quid ad casum ?

Materia ista, utinam numquam sit practica: tota regitur unico Codicis canone 807, qui sic sonat: « Sacerdos sibi conscius peccati mortalis, quantumvis se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione Missam celebrare ne audeat: quod si, deficiente copia confessarii et urgente necessitate, elicito tamen perfectae contritionis actu celebraverit, quamprimum confiteatur ».

Canone isto Conc. Tridentinum declarat, post commissum peccatum mortale sufficere non posse actum contritionis perfectae ad digne celebrandum, sed praemittendam esse confessionem (cum absolutione), nisi urgeat necessitas, et deficiat copia confessarii. Si vero in his adiunctis celebraverit, idem canon exigit ut sacerdos quam primum confiteatur. In casu autem praesenti sacerdos non poterat, sine periculo infamiae abstinere se a Missa celebranda, nec poterat, post celebrationem reperire sacerdotem cui confiteretur. Status autem iste perseverabat, et, ut praevidebatur, per tempus sat diuturnum, iis tamen obstaculis impediebatur confessio.

Tenebaturne ipse obligatione confitendi sicut sacerdos in nostris partibus?

Respondendum est affirmative. Can. 807 nullam ponit exceptionem regulae statutae. Neque auctores quandam admittunt. Sacerdos igitur mere privatus, qui nulla ratione celebrare cogitur debebit vel, utens etiam

medio extraordinario, sibi procurare confessarium, vel abstinere sacro celebrando.

Verum, in casu nostro, agitur de *parocho,* cui saepe necessarium est ut celebret. Et in multis regionibus etiam cotidie celebrare debebit, ne se exponat gravi infamiae. Ponamus regionem in qua cotidie fideles assistunt eius missae cotidianae. Poterit igitur plerumque excusari a missa sine praevia confessione quia parochus est, cotidie obligatus ad celebrandum ut vitet infamiam.

Quidam dies tamen occurrent in quibus ista necessitas non aderit. Quid tunc dicendum est? Ac sane si nullum fuerit periculum infamiae, in casu qui ultro occurrit, v. g. alicuius itineris suscipiendi, se abstinere sacro debebit.

Sed ipse etiam potest quadam arte se liberare ista necessitate. Nonne possit, aliqua die consulto frangere ieiunium, et sic habere manifestam excusationem, sine periculo infamiae? Sunt etiam casus in quibus anceps manebit.

Quaeres igitur num per diuturnum tempus debebit observare si forte sit circumstantia quae det ei libertatem non celebrandi?

Molesta haec foret inquisitio. Nonne erit qui eam diligentiam aestimabit supra humanam, in viro qui est in statu gratiae et solum praecepto humano retardatur? Solum tunc ipsi imponet abstinentiam in casibus manifestis et permittet ut extra eos contentus sit praesumptione generali qua parochus cotidie celebrare cogitur?

Sed, ut manifestum est, si nostro parocho copia habeatur, ope diligentiae extraordinariae, reperiendi sacerdotem distantem, cui confiteatur, consilium ipsi dandum est ut conatu non stricte praecepto se ponat in plena animi tranquillitate qua liberatus tanta sollicitudine, pace Christi fruatur et, plene paenitens, omne peccatum, tamquam maximum malum, declinet.

A. VERMEERSCH S. I.

PARS ALTERA

MONUMENTA

TRIDUUM UNIVERSALE (1)

IN UNIONE CUM

TRIDUO MISSARUM

IN **SANCTUARIO APPARITIONUM LOURDES**

HABENDO 26 AD 28 APRILIS 1935

1. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola " Quod tam alacri „ 10 ian. 1935

DE TRIDUO UNIVER. IN CONCLUSIONE IUBILAEI HABENDO IN LOURDES

(*A. A. S.*, XXVII, 5; *Per.*, XXIV, 1).

Ven. Fratri Petro Gerlier
Episcopo Tarbiensi et Lapurdensi

PIUS PP. XI

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Consilium celebrandi Lourdes per tres dies ac noctes publicas supplicationes in fine iubilaei Redemptionis magnopere laudat Pontifex.

Quod tam alacri volentique animo amplexus es, susceptum a Dilectis Filiis Nostris consilium, Francisco nempe S. R. E. Card. Bourne — quem recens vita functum comploramus — ac Ioanne S. R. E. Card. Verdier, Archiepiscopo Parisiensi, celebrandi scilicet Lapurdi, proximo mense Aprili, ad prodigiale Immaculatae Virginis specus, publicas in triduum supplicationes, ita quidem ut per tres eas dies noctesque, quibus propagatum ad universum Catholicum orbem humanae Redemp-

(1) *Rogantur omnes et singuli, ad quos hoc folium mittitur, ut eiusdem tenorem quam citissime et latissime poterunt, pervulgent, atque orandum curent, ut Summi Pontificis desideria ad felicissimum exitum perducantur. — Haec invitatio praeponebatur documento. — Directio Generalis Apostolatus Orationis.*

tionis Iubilaeum explebitur, Eucharistica Sacrificia perpetuo inibi continenterque agantur, id profecto contineri non possumus quin summopere dilaudemus. Siquidem quo aptiore modo, quo digniore potest finis saecularibus hisce sollemnibus ac veluti corona imponi? Si enim tot tantaque sunt, quae a sacratissimo Redemptoris nostri opere profluunt beneficia, at divina Eucharistia, mirabile illud christianae vitae quasi centrum ac ratio maxima, itemque per eam incruento modo perennatum Calvariae Sacrificium, eiusmodi munera sunt, ut non solum maius quidquam humana cogitatione effingi non possit, sed infinitam etiam ipsius Dei videantur explevisse potentiam, exhausisse misericordiam.

Nihil maius celebrari potest.

Ad Augustum igitur Altaris Sacramentum, undeviginti a tanto accepto beneficio elapsis saeculis, mentem convertant pietatemque intendant christiani omnes; per profluentes ex eo gratiae rivos labes eluant, commissa expient, ac suas, quibus tantopere premuntur, angustias aegritudinesque ei concredant ac confidant, qui unus potest eas lenire, relevare et ad caelestia erigere. Quodsi poterunt, — ac spem fovemus bonam plurimos posse — undique terrarum, undique gentium Lapurdum petant, ibique, nullo habito nationis discrimine, per fidem caritatemque fraterno foedere coniuncti, incensas preces supplicationesque fundant « ad Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis », praesentissimo interposito Deiparae Virginis patrocinio, hereditaria labe ab origine expertis. Etenim non sine caelestis Numinis consilio contigisse putamus ut sacro hoc temporis spatio, quo humanae Redemptionis lubilaeum celebratur, quintum ac decimum expleretur lustrum ab habitis ad Massabiellense specus almae divini Redemptoris Matris supernis manifestationibus.

Sperat multos, ex omni gente affuturos concorditer in Lourdes.

Non sine caelestis Numinis consilio factum putat ut simul tempore quo celebratur iubilaeum Redemptionis, expleretur XV lustrum a manifestationibus supernis B. M. V. Immaculatae.

Iamvero hodie, si umquam alias, divina ope indigemus precibus impetranda; indigent populi, gentes, universaque hominum Civitatumque consortio. Quae in praesentia impendent mala tanti ponderis tantaeque sunt gravitatis, ut vix aliquid levamenti afferre videantur; quae vero in posterum formidamus, omnium animos suspensos atque anxios agunt. Illud vero maxime dolendum est, quod redintegrantur multis locis ethnicorum mores; atque eorum doctrina, caelesti illi a Iesu Christo partae repugnans, in summa laude habetur.

Indigemus quam maxime divina ope. In multis locis integrantur ethnicorum mores.

At ubi pervicax humanae mentis superbia peccat, ibi potissimum paenam luere necesse est. Siquidem, ut magno cum paterni animi moerore experimur, nullum potest — remoto Deo, eius posthabita lege neglectoque auxilio — necessarium tot malorum cumulo adhiberi remedium. Si humana tantummodo in-

Remedium nullum nisi a Deo.

dustria prudentiaque permoti atque adacti, paci prosperitatique stabiliendae studeant homines, procul dubio fugientem sequuntur, inhaerent labenti. Nos itaque, quotquot christiano nomine gloriamur, divinaque fide alimur, inde aegrotanti humano generi salutem efflagitemus, a Deo nempe, unde solum oriri potest. Quaeque per impertitum catholico orbi maximum extra ordinem Iubilaeum roganda impetrandaque nominatim proposuimus (cfr Const. Apost. « Quod nuper » 6 Ian. 1933 - « Quod superiore anno » 2 April. 1934) haec per proximas Lapurdenses supplicationes, perque tot Eucharistica sacrificia celebranda enixis precibus implorentur; idque potissimum ut, restinctis, quae serpunt, simultatibus, dissidiorum rationibus feliciter compositis, ac tranquillatis ubique rebus, christiana veri nominis pax animis, populis nationibusque arrideat: pacem inquimus, quam Christus nascens, concinentibus angelis, attulit; a mortuis resurgens discipulis impertiit; atque omnibus, adscensurus ad Patrem, sacrum veluti pignus reliquit. Ac velit — instanter adprecamur — Immaculata Virgo Maria, quae ad Massabiellense specus tanta edidit atque edit, donante Deo, rerum mirabilia, supplicantium voces benigna audíre; impetret eadem tandem aliquando a propitiato Filio suo laboranti hominum societati feliciora tempora: ita quidem ut obcaecatis mentibus — eorum praesertim qui rebellionem in Deum propalam arroganterque iactant — veritatis virtutisque lumen affulgeat; devii aberrantesque ad rectum iter adducantur; atque debita ubique tribuatur Ecclesiae libertas, populisque omnibus concordia oriatur verique nominis prosperitas.

Fiat sollemnissima supplicatio ad fines Iubilaei, maxime ad firmandam pacem.

Velit B. Virgo a Filio impetrare feliciora tempora.

Cuius quidem felicis exitus ea maiorem Nobis spem faciunt atque adaugent, quae illorum in animo est, qui huic incepto efficiendo student, consociatis viribus animisque ad rem deducere. Etenim, praeterquam quod omnia diligentissime apparare pollicentur ut e quam plurimis potest nationibus christifideles Lapurdum frequentissimi conveniant, sacras eiusmodi caerimonias celebraturi, hoc etiam exsequendum laudabili consilio praemeditantur, christianos scilicet omnes adhortari ut in sua cuiusque Dioecesi, praeeuntibus sacrorum Antistitibus, Lapurdensia in triduum sollemnia participent, Eucharisticis in hanc rem oblatis sacrificiis peculiaribusque adhibitis ubique precationibus. Quapropter per eos dies universus catholicus orbis, ab ortu solis usque ad occasum, una voce unoque animo, supplices ad Deum eiusque sanctissimam Matrem manus attollet, misericordiam, pacem, salutem impetraturus. Grande sane spectaculum, ex quo feliciora portendi licet rerum auspicia! Grande spectaculum, caelo dignum, Venerabilis Frater, quod Nos iam

Spes maior e consilio consociatis viribus ubique, simul ac Lourdes celebrandi sollemne triduum.

Ita revocatur prophetia Malachiae.

nunc, supernis perfuso animo solaciis, mentis oculis praecipientes complectimur, quodque illud in memoriam revocat Malachiae Prophetae qui ope divina futuri temporis arcana prospiciens, Deum ipsum loquentem inducit: « Ab ortu... solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda » (Mal. I, 11). Quodsi hoc, ob alternam diei noctisque vicem, per terrarum orbem cotidie efficitur, at illorum dierum spatio incensiore caritatis aestu eventurum confidimus. Cernet igitur mundus, terrenarum rerum studio disiectus totque iactatus dissidiis, universam christifidelium familiam, una mente, una fide unaque prece coniunctam, veniam lapsis, trepidantibus pacem, miseris solacium, famelicis panem ac denique errantibus omnibus veritatis lucem ac salutis portum impetrare. Hac Nos laetissima spe freti, uberes laboribus vestris fructus a Deo ominamur atque precamur; idque nominatim ut fidelium pietas in Augustum Altaris Sacrificium magis magisque per proximas celebrationes alatur ac salubriter excitetur.

Tantum spectaculum cernet mundus terrenarum rerum studio et dissidiis disiectus.

Spes Pontificis. Ap.ca Benedictio, speciatim Card. Verdier iisque qui pie supplicationibus intererunt.

Interea vero, paternae benevolentiae Nostrae testis esto ac caelestis gratiae conciliatrix Apostolica Benedictio, quam cum tibi, Venerabilis Frater, iisque omnibus, qui studiosam suam coepto huic exsequendo dabunt operam — imprimisque Dilecto Filio Nostro Ioanni S. R. E. Card. Verdier Archiepiscopo Parisiensi — tum iis etiam, qui sollemnibus eiusmodi supplicationibus pio animo intererunt, amantissime in Domino impertimus.

Dies (10 ian. 1935).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die X mensis Ianuarii, anno MDCCCCXXXV, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XI

2. — Sollemnis promulgatio martyrii BB. Ioannis Fisher et Thomae More.

Introductio

Dies quibus anniversaria recolitur memoria feliciter regnantis S. Pontificis decorem specialem hoc anno induerunt ex causa duorum insignium martyrum Angliae, Beati Episcopi Ioannis Cardinalis Fisher et B. Thomae More, magni cancellarii Angliae.

Arbitrati sumus id lectoribus huius ephemeridis non ingratum fore neque a generali proposito alienum si, pro viribus, referamus celebrationem Dominicae 10 februarii.

Tria hoc ordine secuta sunt: lectum est ab Excellentissimo Secretario S. Rit. Congregationis, CARINCI, Decretum de martyrio, quod approbatione Sua sanxit SS. Dominus; deinde ab Excell. Episcopo Southwarcensi, Petro EMMANUELE AMIGO, oratio ad S. Pontificem, cui demum Papa responsum dedit decretorium.

Decretum de martyrio, quod solum ex officio conscriptum et typis expressum erat, exscribere nobis licuit. Orationem enim Excell. Episcopi latine ex anglico sermone convertimus; verba demum quae S. Pontifex sermone italico pronuntiavit latine reddere conabimur.

Antequam autem haec varia praestemus, operae pretium est ut lectores nostros attentos reddamus ad quaestionem iuridicam quae a Romano Pontifice solvenda fuit.

Canonizatio etiam martyris postulat duo miracula quae perficiant certitudinem de martyrio. Namque, aiunt, ad ultimum vitae momentum homo deficere potest, ita ut qui visus est vitam pro fide profundere re vera moriatur apostata a fide. Res plane non verisimilis, non stricte tamen impossibilis. Et ut Pontifex pronuntiet decretum canonizationis, quod cum longe communiore sententia existimatur infallibile, omnimoda certitudo postulatur. Quaestio igitur ponitur utrum necne S. Pontifex possit hanc certitudinem ex ipsis adiunctis martyrii, sine miraculo, adipisci.

Iam vero, in praesenti causa in qua nullum examen de miraculis factum est, S. Pontifex declaravit se, sectioni historicae S. Rit. Congr. acceptum referre quod « in tanto » splendore certitudinum historicarum, quae revelatae sunt ipsae in tantis splendoribus et magnitudinibus humanis et divinis sanctitatis, practice potuerit pervenire ad Decretum tam gloriosum pro sanctis martyribus, pro Anglia, pro Ecclesia, pro omni clero et laicatu; ad hoc pervenire potuerit non solum sine vi facta iurisprudentiae characteristicae et propriae istius veri et realis « Fori Sanctorum », sed potius sequendo eam in spiritu, in littera, in applicatione (1).

---

(1) Dobbiamo precisamente ai lavori di tale Sezione di essere addivenuti a questo risultato, a questo decreto così glorioso per i Santi Martiri, per l'Inghilterra, per la Chiesa, per tutto il clero ed il laicato e di averlo potuto proclamare in tanto splendore di certezze storiche, rivelatesi alla loro volta in tanti splendori e grandezze umane e divine di santità, e di esservi potuti addivenire non solo non forzando la giurisprudenza caratteristica e propria di questo vero e reale « Foro dei Santi », ma anzi secondandola nello spirito, nella lettera, nell'applicazione.

Ipse S. Pontifex exemplo praeiverat in litteris Decretalibus « In thesauris », 16 dec. 1931, quibus aequipollenter canonizavit S. ALBERTUM MAGNUM O. P. eumque Doctorem Ecclesiae Universalis renuntiavit. Neque ante ipsum defuere exempla aequipollentis canonizationis. Conferri possunt quae de hac re scripsimus *Per.*, XXI, 1932, p. 88-91.

Iam ordine dabimus Decretum, orationem Exc. De AMIGO ad S. Pontificem, huiusque responsionem.

I. - S. Congregatio Rituum

Decretum Westmonasterien., 10 febr. 1935

CANONIZATIONIS BB. MM. IOANNIS CARD. FISHER EPISCOPI ROFFEN. ET THOMAE MORE MAGNI ANGLIAE CANCELLARII

(Ex decreto authentico)

SUPER DUBIO

An constet de Martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur.

Missionis in Angliam S. Augustini

Sanctus Gregorius Magnus, quum ad Anglorum gentem Christo adiungendam, apostolica motus caritate, Augustinum monachum una cum sociis in Maiorem Britanniam misisset, triennio post ita ad eumdem Augustinum de uberrimis iam susceptis fructibus gratulabundus et gaudio gestiens, scribebat: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis, quia granum frumenti (Christus) mortuum est cadens in terram, ne solum regnaret in caelo,... cuius amore in Britannia fratres quaerimus, quos ignoramus, cuius munere, quos nescientes quaerebamus, invenimus. Quis autem narrare sufficiat, quanta hic laetitia in omnium corde fidelium fuerit exorta, quod gens Anglorum, operante omnipotentis Dei gratia et tua fraternitate laborante, expulsis errorum tenebris, sanctae fidei luce perfusa est, quae mente integerrima iam calcat idola, quibus prius vesano timore subiacebat, quod omnipotenti Deo puro corde substernitur, quo a pravi operis lapsibus sanctae praedicationis regulis ligatur, quo praeceptis

divinis animo subiacet, et intellectu sublevatur, quod usque ad terram se in oratione humiliat; nec mente iaceat in terra? » (Bib. SS. PP., ser. VII, vol. 1, p. 183, Romae 1908). Adeo vero feliciter, procedente tempore, spirituales in Anglia messes succrevere, atque adeo altas radices catholica religio ibidem egit, ut peculiari laude ea nobilis Natio *dos Mariae*, et *S. Petri patrimonium* diceretur. Quam christianam fidem tam pleno alveo a Romana Sede derivatam in Angliam, S. Beda, Venerabilis, insignis Angliae doctor (a cuius felici obitu decimum secundum volvitur hoc anno saeculum), ita Gregorium Magnum compellans, ab eo acceptam repetit: « Recte nostrum possumus et debemus appellare Apostolum :... signaculum apostolatus eius sumus » (Migne, P. L., II, c. 1, 95, 75).

laeti fructus. Unde appellatio Nationis:

« dos Mariae », « S. Petri patrimonium ».

Verba S. Bedae ad S. Gregorium.

Atque utinam numquam a matris Ecclesiae complexu tam sibi dilectam filiam temporum procella divulsisset! Haec, saeculo XVI ineunte, primo ingruit, direque postea longo temporis spatio vineam illam vastavit.

Procella saec. XVI.

Libido Regis exordium. Qui quum a legitima uxore divortium, cui inhiabat, a Romano Pontifice, inviolabilis sacramenti vindice ac tutore, nulla arte extorquere posset, furore actus atque in praeceps ruens, se supremum in Anglia Ecclesiae caput edixit, ut sua auctoritate ad novas nuptias sacrilego foedere convolaret. Quod, publica lege lata et capitali poena contra obnitentes, sancitum fuit. Continuo ad supplicia ventum est.

Initium, libido Regis.

At quum multi timore perculsi (proh dolor! et pastores animarum) animo et fide deficerent, gloriosum tamen martyrum agmen acerbis illis subsequutisque temporibus pro catholica fide tuenda fortiter in Anglia occubuit: quorum iam multi a Leone XIII fel. me. per cultus confirmationem, numeroque plures a SS.mo D. N. Pio XI gloriose regnante, per formalem beatificationem, Beatorum Caelitum albo inserti sunt.

Multis deficientibus, gloriosum agmen martyrum,

Agmen illud veluti ducunt duo praeclarissimi heroes, e clero unus, laicus alter: Ioannes Fisher, S. R. E. Presbyter Cardinalis et Episcopus Roffensis, atque Thomas More, Magnus Regni Cancellarius. Quos nominare et laudare est: tam celebris exstat per orbem eorum fama et praeclara memoria! Hi, licet Regi addictissimi et fidelissimi cives, iniquo eius iussui, divina vetante lege, obsistentes, pro Romani Pontificis in universa Ecclesia primatu martyrium praeprimis nobile fecerunt.

quod duces habuit Card. Ioannes Fisher et Thomas More.

Ioannes Fisher anno 1469, uti iam compertum est, natus, mira ingenii acie praeditus, in Cantabrigiensi Academia alumnus primas tulit: dein in eadem summa laude docuit et Cancellarii munus obivit; studia mire promovit, evexit, litterarum

Ioannis Fisher initia praeclara, apologetae contra Lutherum, pietas, mortificatio.

ornamentis et scientiarum cultu celebratissimus. Verum sunt haec minora prae eius magnitudine animi et intemeratae vitae sanctimonia. Has eximias admirata dotes, Margarita, Regis mater, eum sibi confessarium adlegit, cuius filius Henricus VII, eum Roffensi sedi proposuit, atque regio consilio adiunxit. Officii celsitudinem pastoralibus virtutibus aequavit. Animarum pervigil custos debacchantem tunc temporis Lutherum, aliosque novatores, contra sanctissimae fidei dogmata, doctissimis ac nervosis scriptis ita perstrinxit, ut inter principes illius aetatis apologetas merito accenseretur. Sibi parcus, pauperibus sublevandis largus; non quae sua, sed quae Iesu Christi sunt, semper quaesivit. Pietate in exemplum refulsit; iuges in Missae sacrificio celebrando lacrimae: assiduo vero orationis studio atque aspera corporis mortificatione fortissimum animum ad altiora comparabat.

Iamque tanto Christi athletae durum instabat ac diuturnum certamen, quod cruenta morte gloriose superaturus erat.

Primae vexationes contra ipsum.

Impavidum Catharinae Aragonensis, legitimae uxoris Henrici VIII, Regis, defensorem exagitare coepit Rex adulter, quum eum primo libertate privatum in custodiam tradidit Episcopi Gardiner a die 5 Aprilis anno 1533 ad diem 13 insequentis mensis Iunii. Libertati restitutus mox, de crimine proditionis accusatus, carcere et bonorum publicatione absens damnatur, hac tamen in minorem commutata paena, ne futilis in Praesulem innocentissimum criminatio accusatoribus probro verteretur. Non multo post a Cantuariensi Archiepiscopo Londinium accitus, ut sacrilego iureiurando se obstringeret, illud, frustra saepius tentatus, omnino reiecit, qua parte ad Regis divortium atque ad eius in Ecclesia Angliae primatum, refragante divino iure, spectabat. Renuentem londinensis turris carcer excepit die 17 Aprilis anno 1534. Qua inclusus, corpore animoque multa perpessus, sacris prohibitus atque episcopalibus iuribus privatus, supremo se parabat agoni. Quaesitum legalis damnationis titulum opportune praebebat lex lata de primatu spirituali Regis mense Novembri eius anni. Die 20 Maii anno 1535 Paulus Papa III hunc strenuum catholicae fidei assertorem, S. R. E. Presbyterum Cardinalem, titulo S. Vitalis creavit, transmisso cardinalitio galero, quod tamen ne ei traderetur Rex vetuit. Mense Iunio bis ad tribunal fuit accitus, quumque fortis in Dei et Ecclesiae iuribus asserendis, tutandis perseveraret, ignominiosa proditorum morte fuit damnatus, quam poenam Rex in capitis obtruncationem commutavit. Mortis cum gaudio accepta sententia, orationi instantius attendit, admirabili animi pace perfruens.

Inclusus carcere turris londinensis multa passus.

Paulus III eum Cardinalem creavit.

Fortis perseverans damnatur ignominiosa morte quam Rex in capitis obtruncationem commutavit.

Die 22 Iunii ad patibulum dum duceretur, evangelii librum aperiens, in haec incidit Christi verba: *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam, et nunc clarifica me, tu Pater apud temetipsum.* Renovata coram populo fidei professione, hymno *Te Deum*, psalmo *In te Domine speravi* aliisque precibus recitatis, caput carnifici obtulit, eiusque anima, adiuncta Martyribus, ad caelum evolavit.

Admirabili pace fruens die 22 Iunii ducitur ad patibulum. Renovata coram populo fidei professione caput carnifici obtulit.

Thomas More, anno 1478 natus, vivido amoenoque ingenio praeditus, latini graecique sermonis studiosissimus, Oxonii bonis artibus, Londinii iuridicis disciplinis cum laude eximiae ac singularis doctrinae incubuit. Cardinali Morton, Cantuariensi Archiepiscopo et Regni Cancellario, adolescens Thomas, quem ille inter suos familiares adnumeratum voluit, magna portendere visus est, ut passim dictitabat.

Thomas More vivido amoenoque ingenio praeditus,

In foro celebrando, ab avaritia omnino alienus, suavissimae caritatis et integerrimae iustitiae iura mire componebat. Religionis catholicae studio incensus, philosophiae et theologiae operam dedit, in eisque adeo profecit, ut divinorum quoque scientia praecelleret, uti eius scripta comprobant. Etsi plurimis negotiis publicisque muniis distentus, canonicas horas quotidie recitabat, sacrisque adstare, immo et eorum participem esse, omnium spreto respectu, in deliciis habebat.

litteris profanis et sacris excelluit.

Valde pius canonicas horas cotidie recitabat, cilicio numquam dimisso.

Cilicium numquam dimisit, aliisque paenitentiis carnem excruciabat, uno verbo, nulla erat virtus, pientissimo christifideli digna, quae in eo non emineret. Ioannam Colt duxit in uxorem, a qua tres filias, unum autem filium suscepit. Hac mature demortua, Aliciam Middleton, viduam, matrimonio sibi copulavit, quae orphanorum curam gereret. Interim publicis gravibus muneribus est auctus. Nondum tricennis in Regni concionem adscitus fuit, dein apud Belgas orator missus, arcani regii consilii particeps, Magnus denique Angliae Cancellarius maxima totius regni laetitia renuntiatus. Quibus muneribus mira abstinentia, iustitia, aequitate, bonorum omnium gratulatione functus est.

A prima uxore tres filias, unum filium suscepit. Alteram duxit ut orphanorum curam gereret.

Circa aetatem 30 annorum Magnus Angliae Cancellarius est renuntiatus.

Quum impio Regis placito fideliter fortiterque restitisset, eius iram incurrit, quae in mortale odium exarsit, quando Thomas eum supremum anglicanae Ecclesiae caput noluit agnoscere.

Resistens regi eius iram incurrit. Dimisso munere vita pissima se ad supremum luctamen comparabat.

Dimisso Cancellarii officio, intra domesticos parietes ad orationes, spiritualia colloquia sacramque lectionem iugiter animum attendebat, ad supremum, quod praevidebat, luctamen se comparans.

Die 1 Iulii anno 1935 laeto acceptavit sententiam mortis atrocissimae.

In iudicium, quasi libellum contra Regis divortium scripsisset, accitus, accusationem quidem uti falsam a se repulit, candide tamen catholicam fidem professus. In carcerem coniectus,

Oravit pro iniquis iudicibus. Nulla suorum lacrimae nulla consilia labefactare potuerunt eius constantiam. Die 6 iulii professus se Deo Regique fidelem, amplexans carnificem, is ipsi caput amputavit.

item iudicio suppositus, quum constanter in fide catholica profitenda perstitisset, die 1 Iulii anno 1535 atrocissimae damnatus est morti, quam sententiam laeto gratoque animo acceptavit, iniquis iudicibus sortem sanctorum Stephani et Pauli adprecans, ut quemadmodum Paulus, olim Stephani persecutor, modo eius consors in gloria, ita ipse se Deum pro eis deprecaturum promisit ut sui consortes futuri essent in caelesti regno. Non lacrimae suorum, non Regis administrorum consilia, Thomae constantiam vel minimum labefactare valuerunt. Die 6 Iulii eodem anno, octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, ad subeundum supplicium ductus, veluti ad festum properans, dominicam passionem recolens, coram frequenti populo se in Ecclesia et pro fide catholica, Deo Regique fidelem mori professus; gratos sui animi sensus carnifici depromens eumque amplexans patibulum animose conscendit. « Accessit ad eum carnifex, scribit Sanderus,...et caput iustitiae, caritatis et virtutis amputavit, ingemiscente Anglia universa et non tam Christi martyrem, quam seipsam capite truncatam arbitrante » (Rom. 1586 p. 137).

Leo XIII confirmavit cultum ipsis exhibitum, 29 dec. 1886.

Cultum Ioanni Cardinali Fisher et Thomae More post eorum mortem iampridem exhibitum Leo XIII, adiectis aliis quinquaginta duobus in ea persecutione martyribus per S. R. C. decretum sub die 29 Decembris mensis anno 1886, confirmavit, Beatisque eos accensuit.

Adventante quatercentesimo anno ab eorum martyrio innumeri inter quos acatholici postularunt ut ad canonizationis honores elevarentur.

Adventante vero iam ab eorum glorioso martyrio quatercentesimo anno, mira consensione et praegrandi numero, insignes dignitate viri S. R. E. Cardinales, praecipue Cardinalis Franciscus Bourne, Archiepiscopus Westmonasteriensis, quem nuper e vivis ereptum omnes comploramus, Archiepiscopi et Episcopi omnes Angliae, Scotiae, Hiberniae cum suo quisque populo, plurimique alii totius Orbis sacrorum Antistites, Studiorum Universitates, Venerabile Anglorum Collegium et S. Bedae de Urbe innumerique alii, quos inter et acatholici, ut ad Canonizationis honores duo hi fortissimi martyres elevarentur, suppliciter postularunt.

S. Rituum Congregatio, collectis documentis martyrium materiale et formale ex parte utriusque victimae et ex parte iudicum et Regis evidentissime comprobavit.

Beatissimus Pater vota haec benigne ex corde excipiens, Sacrae Huic Congregationi mandavit, ut ad severam trutinam acta martyrii horum duorum pugilum cribrarentur; de quo in causa de cultus confirmatione pertractanda, peculiaris quaestio, utpote in casu tunc temporis lege non requisita, habita non fuerat. Sacrae Rituum Congregationis Historica Sectio huic muneri plene satisfecit, summi momenti documenta colligendo, suoque suffragio illustrando, quibus martyrium tum materiale cum formale seu ex parte utriusque victimae, seu ex parte

iudicum et Regis, qui eos morte damnarunt, evidentissime comprobatur.

Alteri vero ex Consultoribus munus fuit demandatum praecipuas colligendi sententias a scriptoribus seu superioris seu recentioris praesertim aetatis, de nostris prolatas martyribus, ut pateat quo iam nunc consensu admirentur historici utriusque herois et praeclaram vitam et mortis triumphum.

Alteri Consultori munus domandatum, ui collectis sententiis pateret quo iam consensu admirarentur vitam et mortis triumphum utriusque herois.

His omnibus comparatis, die 29 proxime elapsi mensis in Generali Congregatione, cui Ss.mus D. N. Pius Papa XI praefuit, R.mus Cardinalis Raphaël Carolus Rossi, Causae Ponens seu Relator, Dubium proposuit disceptandum: *An constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis post indultam supradictis Beatis venerationem in casu et ad effectum de quo agitur.* Quotquot aderant R.mi Cardinales, Officiales Praelati et PP. Consultores suum quisque tulere suffragium, quod Beatissimus Pater attente excepit, iudicium vero suum hac die decrevit pandendum, 10 Februarii anno 1935, Dominica V post Epiphaniam, maioris luminis copiam in re tanti momenti interim a Deo adprecaturus.

Die 29 ianuarii in generali Congregatione, praeside Papa, dubium propositum « An constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis post indultam supradictis Beatis venerationem in casu et ad effectum de quo agitur ». Quotquot interfuerunt suum quisque tulerunt suffragium; SS. D. decrevit die 10 febr. pandendum suum iudicium.

Eapropter R.mos Cardinales Camillum Laurenti, S. R. C. Praefectum, et Raphaëlem Carolum Rossi, Causae Ponentem, nec non R. P. Salvatorem Natucci Fidei Promotorem generalem meque infrascriptum Secretarium arcessiri iussit, sacroque religiosissime litato edixit: *Ita evidenter constare de martyrio et causa martyrii Beatorum Ioannis Cardinalis Fisher et Thomae More, ut, concessa a signis seu miraculis omnique alia opportuna et necessaria dispensatione, procedi possit ad ulteriora.*

Quare convocatis quibusdam Praelatis, sacro celebrato, edixit, ita de martyrio constare ut, concessa dispensatione a signis et aliis, procedi possit ad ulteriora.

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. R. C. referri mandavit.

Datum Romae die 10 Februarii a. D. 1935.

Dies Romae (10 feb. 1935).

L. ✠ S.

C. Card. LAURENTI, *S. R. C. Praefectus.*
A. CARINCI, *Secretarius.*

II. - Oratio Excell. Episcopi Southwarcensis.

Beatissime Pater,

Multum oravimus pro isto decreto, et die dominica, 27 ianuarii expositum est Sanctissimum Sacramentum in omni dioecesi Angliae et Valliae (1) atque in omnibus ecclesiis et

(1) Hoc nomine latine designamus regionem Angliae quae anglice dicitur Wales.

conventibus ubi fieri poterat. Hodie repleta sunt gratitudine corda catholicorum Angliae et Valliae propter magnum honorem quem S. V. contulit nostris duobus martyribus IOANNI FISHER et THOMAE MORE; et nunc provoluti sumus ad pedes S. V., nomine episcoporum, cleri, religiosorum et laicorum nostrae regionis, ad grates maximo animo reddendas pro hac gratiosa demonstratione Vestrae benevolentiae paternae erga populum anglicum. Specialiter grati sumus quia elegisti quartum centenarium eorum gloriosae mortis, ad dandum istud sollemne testimonium de eorum martyrio et, ut ferventer speramus, denique concedendum istis duobus martyribus supremum honorem canonizationis.

Catholici nostri Angliae et Valliae animo elati sunt multis martyribus qui in saeculo XVI et XVII sanguinem suum pro fide fuderunt; sed bini isti eminenti loco steterunt inter illos omnes, propter eorum devotionem ad Petri sedem. Dare non potuerunt iuramentum successionis, quia iuramentum istud secum ferebat Papam errasse dum validum declarabat matrimonium Henrici VIII cum Catharina Aragonensi, et norant non posse ab homine separari quod Deus coniunxerat.

Abnuerunt quoque agnoscere regem ut supremum in terra caput Ecclesiae in Anglia, quia Christus Filius Dei mandavit Petro eiusque successoribus ut pascerent oves et agnos sui gregis. Cum tam multi episcopi et sacerdotes misere concessissent voluntati tyranni, et se separassent a Sede Romana, isti duo heroes steterunt firmiter, patientes diuturnum carcerem et crudelem mortem pro Vicario Christi. Sicut olim Phinees, manserunt erecti in probroso casu populi; in prompta bonitate animarum suarum, placaverunt Deum erga Israel. (Eccl. XLV, 29.)

Ambo isti illustres viri excitant in nostris cordibus amorem usque maiorem erga divinam Catholicae Ecclesiae auctoritatem. IOANNES FISHER, sanctus, diligens et devotus episcopus inspirat episcopos et alios pastores animarum, in ipsorum opere pro Ecclesia Dei viventis, columna et fundamento veritatis. THOMAS MORE, exemplaris maritus et pater, efficit ut laici penetrent momentum sacramenti matrimonii ad sanctificandam christianam domum. Non sola Anglia sed mundus universus lucrabitur ex canonizatione IOANNIS FISHER et THOMAE MORE.

Optamus ut semper repleamur affectuosa fide erga successorem S. Petri, quae impulit nostros martyres ut essent fideles etiam in morte. Per annum sanctum, multas difficultates superare conati sumus, ut magna multitudine nos conferremus Romam ut Vicario Christi humile tributum nostrum solveremus.

Si adventus noster laetificavit cor communis nostri Patris, possumus Sanctitatem Vestram securam facere nos omnes rediisse plenos grato animo pro paterna benevolentia, et sentientes nos magis firmiter legatos cum Sede Romana. Papa S. Gregorius Magnus misit S. Augustinum eiusque socios ad praedicandum evangelium Anglo-Saxonibus, et Anglia fuit coniuncta Romae, per bene mille annos. Honoramus istos bonos viros et mulieres qui, advenientibus infaustis diebus, perstiterunt fideles Romae, et specialiter istas ambas magnas personas, IOANNEM FISHER et THOMAM MORE. Atque instanter precamur, ut prementes eorum vestigia, catholici Angliae et Valliae maneant semper fideles successoribus S. Petri, utque separati nostri fratres possint, per gratiam Dei, agnoscere divinam istam auctoritatem pro qua IOANNES FISHER et THOMAS MORE deposuerunt propriam vitam.

Humiliter sperantes et petentes ut hodiernum decretum possit feliciter augurari magis sollemne in proximo futuro, et iterum Tibi Sanctissime Pater, gratias agentes, benedictionem apostolicam pro nobismetipsis et patria nostra imploramus.

III. - Oratio SS. Domini Pii P. XI (1).

Resurrexerunt, dilectissimi filii, resurrexerunt et quasi ante oculos nostros venerabundi transierunt duae istae magnae, magnificae personae servorum Dei et gloriosorum Martyrum, tam bene illustratorum et descriptorum in perlucida Decreti latina lingua, tam opportune circumdatorum in isto spiritu fidei, devotionis, affectus christiani, catholici, anglici; in isto spiritu qui quasi immediate nos ferebat ante tam plenam repraesentationem totius Angliae ac peculiariter episcopatus et catholicorum Angliae in persona carissimi et venerabilis Fratris Nostri Excellentissimi AMIGO, Episcopi Southwarcensis.

Ambae personae sunt tam pulchrae, tam ad discendum utiles, tam aedificantes in sua veritate historica, ut non inveniamus quid melius faciamus quam ut vestram attentionem advocemus in puncta insignia eorum, ut omnes ex tali iterata evocatione quodpiam commodum spirituale haurire queant, ut omnes istas personas non solum per transennam aspicere sed intueri possint, meliore modo et sine ulla haesitatione.

---

(1) Ex notis italice sumptis ab *Osservatore Romano*, 11-12 febr. 1935.

Iure primus Card. IOANNES FISHER, Episcopus Roffensis, venit ad nos cum ista aureola sanctitatis quae, etiam ante martyrium suum, illustravit omnem suam vitam. Venit indutus duplici Purpura: ea quam Romanus Pontifex — anticipando a saeculis actionem quam unus e successoribus suis, Pius IX imitaretur erga Card. LEDOCHOWSKI — ipsi in carcerem mandavit; dein magis gloriosa Purpura eius sanguinis, eius martyrii. Splendida persona iste IOANNES FISHER, etiam loquendo humano modo. Honor Universitatis Cantabrigiensis cuius fuit alumnus, professor, cancellarius, doctissimus, piissimus, maxime paenitens, primo vocatus est ad arcana sacramentalia matris Regis Henrici VII, dein ad curas et heroicas sollicitudines episcopatus exemplaris. Scriptor eruditus in controversiis inter fortissimos et profundissimos et notissimos sui temporis, in specie dum pseudo-reformatio lutherana suos clamores edebat; ista sublimitas animi, ista sanctitas vitae, debebant spiritum eius nobilissimum efficere implacabilem hostem offensionum veritatis et iustitiae. Inde facilis offensio, iteratae captivitates, usque ad firmissime, decretorie negatum iuramentum sacrilegum, et pariter sacrilegam agnitionem, dum firmiter, nobiliterque dicebat suo Regi: Te honoramus, volumusque tibi obsequi ut supremae auctoritati politicae et civili; sed ut usurpatori supremae auctoritatis spiritualis, quae pertinet tantum ad Pontificem Romanum, nequaquam!

Propter istam denegationem ductus est in carcerem, et postea ascendebat catastam, et dabat vitam et sanguinem in illa magnifica poësi verborum sublimium et sanctorum, in labiis suis habens supremam orationem divini Redemptoris in ultima coena: « Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam, et nunc clarifica me tu Pater, apud temetipsum ». Glorificavi te coram hominibus, nunc clarifica me coram te, Domine. Dein *Te Deum* triumphi, gratitudinis, et ultima vox data spei — « in Te, Domine, speravi » — fidenti ineffabilis mercedis. Spectaculum vere dignum non solum admiratione hominum, sed etiam admiratione Angelorum: « spectaculum facti sumus mundo, et angelis et hominibus ».

Et postea statim et quasi immediate, — a 22 iunio ad 6 iulii — et fere eodem loco, en crescens altera mirabilis persona: non iam Episcopus, sed laicus; vera excellentia Status; paulo ante, adhuc secunda persona regni post maiestatem regiam, magnus cancellarius Angliae, THOMAS MORE.

De ipso Decretum modo lectum, loquens de eius ingenio, hoc definivit: vividum et amoenum. Fuit re vera ingenii vivi-

dissimi, et revera ingeniosi, sicut et scripta ab ipso relicta eloquenter probant; fuit amoenus ista spirituali acie, ista amoenitate quam Angli vocant *humour*, et quae efficit quendam « humorismum », verum, humorismum gentilicium, ut ita dicamus, istius populi; amoenitas spiritus, quae etiam ad vere elevatas, et caelestes spiritus excellentias pervenit, nec THOMAM deseruit ne ad momentum quidem supremi sacrificii, neque ad pedes catastae, neque quando erat iam in manu carnificis!

Latine elegantissime edoctus nec minus elegans litteris graecis, profundus iurisperitus: haec in Universitatibus Oxoniensi et Londinensi optime demonstraverat. Patronus causarum eloquens et sollertissimus, cito munera publica ipsum postulant, ipsum vocant ad officia et munera difficilia et gravia, ad ipsum Consilium Status ad magnum Cancellariatum. Ipse autem erat fidelium piissimus; atque in mediis laboribus tam immensis, tam multis negotiis et multis causis ad ipsum delatis, ex parte sua ostendebat mirabilem assiduitatem orationi, sacris Ritibus quae ipse participabat et ministrabat, spiritum verae mortificationis, perpetuum cilicium, veram et proprie dictam continuam paenitentiam; et simul maritus ad exemplum, nec minus exemplaris pater: homo, uno verbo, completus, complete dotatus humanitate superba.

Videor mihi ipsum iterum videre in suo pallio et splendido torque cancellarii, quae non dimisit nisi ut ne minima iniquitate et vilitate eadem foedaret. Sacrilegae libidines supremi capitis ipsi suadent ut in vitam privatam ex conscientia secedat; ipsum subinde exponunt iris implacabilibus illius qui ipsum aestimaverat et cui carus erat. In ipso quoque demonstratio eius serenitatis, vividissimi ingenii, profundissimi cultus in iurisprudentia ipsum comitata sunt usque ad catastam, ad supplicium, ubi mirabili ratione invocare unitatem novit, postquam coram populo suam Fidem ultimum confessus est, et pro occisoribus suis oravit. Volatus a terra ad coelum, dum omnes plorabant et mirabantur.

Huiusmodi personas, huiusmodi grande spectaculum — dilectissimi filii — Dominus nos invitat ut contemplemur in vero gaudio spiritus; Nobis autem dedit magnam gratiam ut essemus instrumentum eorum supremae promotionis ad honores altarium; supremam dico, quia iam praecesserat prima eorum exaltatio, facta voce populi, quae interdum vera est vox Dei, per cultum quo amba gloriosa sepulcra subito honorata sunt, quem cultum confirmavit Beatificatio — quam fecit illustris noster Decessor LEO XIII — amborum heroum et 52 martyrum

occisorum sicut ipsi propter eandem causam. Magnifica res quae etiam per nos repetita est.

Potuimus enim imitari LEONEM XIII, efferendo ad honores altaris alios 139 martyres persecutionum anglicarum; nec possumus immemores esse, ipsos fuisse veros honores et honorificos istius populi unde exorti erant ut tam rapide ad coelum usque ascenderent. Recordati sumus 139 martyres quos, imitantes id quod pro aliis iam fecerat LEO XIII, honestavimus titulo Beatorum: dicere debemus 140, quia ipsis adiunximus magnum istum Ogilvie, gloriam Scotiae et Societatis Iesu.

Nova igitur glorificatio duorum insignium heroum reservabatur quarto saeculo eorum martyrii: felicissimus iste concursus de quo ante quempiam annum nemo cogitaverat; bene tamen cogitabant in Anglia; bene tamen cogitabat carissimus Noster Cardinalis BOURNE, Archiepiscopus Westmonasteriensis. Ipse assumebat causam supremae promotionis saltem duorum gloriosae turmae, istorum duorum quorum sanctitas notas singulares tam particulares habet; et in quibus ceteri omnes causam habent cur se sentiant magnopere honoratos, tamquam eadem ipsorum promotione promotos.

Defunctus Cardinalis reliquit, recens, causam istam orbatam suo auxilio; sed fuit suscepta et re vera diligenter resumpta, a Venerabili Nostro Fratre, Episcopo Southwarcensi, ut repraesentante universum Anglicum episcopatum.

Cogitamus nunc, quod facile recordamur, veram laetitiam qua animus Cardinalis deplorati, perfusus esset, si potuisset Nobiscum participare istum coetum vel saltem istam diem; cogitamus etiam legitimum gaudium quod sensisset alter Noster carus et a Nobis tam aestimatus Filius, abbas iuvenilis abbatiae S. Hieronymi, don QUENTIN, quem hic nominare et memorare volumus, titulo paterni affectus et honoris. Quantam laetitiam sensisset ipse qui tam egregie et tam diligenter sectionem historicam direxit, quam adiunximus Rituum Congregationi. Ipsi et laboribus istius sectionis acceptum referre debemus istum successum, istud Decretum tam gloriosum pro SS. Martyribus, pro Anglia, pro Ecclesia, pro clero et laicatu universo; quod potuimus promulgare in tanto splendore certitudinum historicarum, quae et ipsae in tantis splendoribus et magnitudinibus humanis et divinis sanctitatis; quod ad hoc pervenire potuimus non tantum sine vi illata iurisprudentiae characteristicae et propriae huius veri et realis « Fori Sanctorum », sed etiam ipsam iuvando in spiritu, in littera, in applicatione. Re vera successus iste tam pulcher, tam solatio plenus, debetur ut

patet, collaborationi devotissimae et plenissimae omnium qui S. Rituum Congregationem componunt, Cardinalium, Praelatorum, Officialium, Consultorum, et specialiter, hoc intellegitur, Promotoris generalis Fidei et Secretarii ipsius Congregationis, qui maius pondus operae notorie sustinere debent, et Consultorum qui mandatum speciale susceperant: cor Nostrum est modo particulari laetum, et sentimus profundum gaudium quod possumus hic memorare collaborationem tam completam, tam prudentem, devotam, generosam.

Volumus nunc addere, dilectissimi Filii, verbum quod nos attingit qua altissimos vicegerentes et etiam titulo magis stricte personali. Modo particulari gratias Deo agimus, quod possumus in hoc momento, ex sua Magna dignatione et misericordia, repraesentare, in hoc iam inchoato 14° anno, supremum Pontificatum. Hodierna glorificatio, promotio ex parte Romani Pontificatus re vera satisfacit antiquo debito, quia isti duo Martyres, cum aliis quorum fuere capita et duces, duo isti martyres particulari modo conscii officii quod debebant et poterant, non fuere tantum Martyres communis Fidei catholicae, sed fuere modo specialissimo, Fidei Romanae, fidei et fidelitatis Romano Pontifici. Ambo fuere concordes in hoc verbo directo ad supremum Principem « Rex utique, Papa non »; et hoc dicentes et propter istud verbum mortui sunt. Sumus igitur vivida ratione grati Deo quod istud grande et nobilissimum debitum exsolvere possumus.

Nec oblivisci possumus cogitationem quam non ut repraesentantes sed ex toto in propria persona facimus; cogitationem quae nobis evocat magnum istum Sanctum et Decessorem in Ecclesia Mediolanensi, S. Ambrosium. Quando felici sorte invenit corpora duorum grandium martyrum Gervasii et Protasii, merito et maxime laetus inde fuit et sorori Marcellinae scripsit: « non sumus martyres, sed invenimus martyres, et quales, magnificos etiam tantum ut homines, magnas personas etiam loquendo solum naturaliter; magnos atque adhuc distillantes sanguinem eorum martyrii ». Et sanctus Episcopus gratias Deo agebat quod se videret stipatum istis duobus sanctis defensoribus: « tales ambio defensores ». Verba ista saecula traiecerunt, impressa sunt in sigillis, quae ferunt semper S. Ambrosium, duos martyres ad eius latus, et proloquium istud: « Tales ambio defensores »!

Dilectissimi filii, Nos quoque aliqua ratione, si non invenimus, saltem memoriam renovavimus amborum magnorum Martyrum, magnificorum etiam simpliciter ut virorum, in eo-

rum intellectu, in divitiis eorum qualitatum ingenii et cultus, in amplitudine eorum curriculorum socialium, magis etiam magnificorum in sanguine quem sub oculis nostris vidimus profundere pro causa Petri; pro Fide et pro Papa. Quomodo nos ipsi non diceremus: tales ambio defensores? Quomodo id non diceremus in limine novi anni Nostri Pontificatus? Quomodo in corde nostro non experiremur fiduciam ampliorem, magis extensum et intensum propositum sequendi, donec Domino placuerit, signum magni itineris ad quod nos vocant? Quomodo non sentiremus duplicatam, multiplicatam fiduciam in talibus protectoribus et defensoribus? Quomodo non sentiremus adauctam fiduciam quam in ista « terra dotali » Mariae, in isto « patrimonio S. Petri » sicut Anglia merito appellata est, fore ut in maxima copia et brevissimo tempore possibili, veritatem habeat divina oratio, oratio quae etiam nostra est omnium; — oratio et hoc dicimus pro solatio communi — quae simul est prophetia: fiet unum ovile et unus Pastor?

Ecce votum speciale et peculiaris oratio Patris communis; et cum tali auspicio profundae caritatis et bonitatis, vividissimae spei, Ipse orationem suam finivit, impartiendo suis carissimis filiis praesentibus et totius Angliae, Benedictionem Apostolicam.

---

3. — S. Congr. de Sacramentis.

Instructio 20 maii 1934.

PRO SIMPLICI SACERDOTE SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS EX SEDIS APOSTOLICAE DELEGATIONE ADMINISTRANTE.

(A. A. S., 24 ian. 1935, XXVII, 12; *Per.*, XXIV, 18)

I.

Rationes quae hanc Instructionem opportunam faciunt.

Novae Instructionis necessitas post promulgatum Codicem I. C. et post quasdam editas resolutiones quoad Confirmationis Ministrum et confirmandorum aetatem.

1. **Sacramenti Confirmationis** disciplina, notabiliter iam per Codicem iuris canonici innovata (can. 780-800), post ipsum Codicem promulgatum, luculentius est nonnullis locis explanata, quibusdam proditis resolutionibus ad dubia interdum

delata Pontificiae Commissioni ad Codicis canones authentice interpretandos, aut quaestionibus propositis Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum, prout cuiusque Coetus postulabat ambitus et competentia. Cum igitur expediens foret integram ad rem prae oculis perspectam atque enucleatam habere disciplinam huiusce Sacramenti moderatricem, praesertim cum ipsum confertur per simplicem Sacerdotem, ex Sedis Apostolicae deputatione, opportunum visum est novam conficere atque edere Instructionem, quatenus fieri contingat, absolutam, quae nempe omnia scitu et factu necessaria complectatur, tum quod ad ministrum, tum quod ad subiectum, tum etiam quod ad ipsum ritum attinet, ut hoc Sacramentum quo, tamquam baptismi complemento, Spiritus Sancti plenitudo (1) confertur, graviter, rite ac religiose, prout ipsius sanctitatem decet, administretur.

Binae exstantes Instructiones indigebant additamentis atque innovandae erant.

Duplex hucusque, postremis nostris hisce temporibus, praefatae necessitati prospiciebat Instructio, quarum altera, iussu edita Supremae S. C. Romanae et Universalis Inquisitionis anno 1888, inde a promulgato Codice I. C. magna ex parte obsolevit; altera vero, quamvis recentior, in appendice relata Ritualis Romani, auctoritate SS.mi D. N. Pii Papae XI ad normam Codicis I. C. accommodati (2), additamentis opportunis, processu temporis invectis, equidem et ipsa indigere comperta est.

Praevia disceptatio et vota S. C. S. Officii.

De nova igitur hac Instructione conficienda ac vulganda, seu de quibusdam addendis vel demendis duabus memoratis Instructionibus et in unicam conflandis, matura disceptatum est in Plenario Coetu EE. PP. huius Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum habito die 21 Decembris 1928 in Palatio Apostolico Vaticano, praehabito unanimi voto EE. Patrum Inquisitorum Supremae S. C. S. Officii tum super necessitate eiusdem instructionis noviter edendae, tum super competentia in huiusmodi expediendo negotio ad hanc S. Congregationem de Sacramentis spectante: immutationes vero inducendae ab iisdem EE. Patribus statutae, ministrum Sacramenti et subiectorum aetatem respicientes, quasque Ss.mus ratas habuit ac confirmavit die 31 Decembris 1928, in praesenti Instructione singillatim digestae perhibentur.

De ministro

2. Quod ad ministrum prae primis attinet Sacramenti Confirmationis, dogmaticam definitionem Concilii Tridentini (3)

(1) S. Thomas, *Sum. th.*, P. III, quaest. 72, art. 2.
(2) Editio typica, a. MDCCCCXXV.
(3) Sess. VII, *de confirmatione*, can. 3.

ordinario et extraordinario, tum iure Codicis,

mutuatus Codex I. C., canone 782 ordinarium huius Sacramenti ministrum solum Episcopum edicit, extraordinarium vero ministrum presbyterum, cui vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto facultas huiusmodi concessa sit. Ob eorum praecellentiam hac facultate ipso iure reapse fruuntur, praeter S. R. E. Cardinales (can. 239 § 1 n. 23), Abbas vel Praelatus *nullius*, Vicarius et Praefectus Apostolicus, licet charactere episcopali carentes, qui tamen ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum (can. 782 §§ 1, 2, 3), dummodo episcopali dignitate etiam insigniti non sint.

tum propter adiuncta quarumdam partium Americae atinae,

additis simplicibus sacerdotibus,

At praeter memoratos Praelatos, iure communi tali privilegio fruentes, non semel accidit ut in aliquibus omnino extraordinariis locorum et temporum adiunctis quarumdam regionum Americae Latinae, in quibus ordinarii seu nativi ministri, nempe Episcopi, copia forte non suppetit, gravi ideo ut urgente exstante causa, Sancta Sedes quodammodo compellatur etiam ad simplicem Sacerdotem deputandum, tamquam Sacramenti confirmationis extraordinarium ministrum, ut illud scilicet ex apostolico indulto christifidelibus conferat. Hisce tamen casibus, admodum singularibus, semper fuit Ecclesiae mens et sedula cura, ut hic veluti suffectus ordinario confirmationis administer, quatenus fieri posset, in aliqua esset ecclesiastica dignitate constitutus, atque in propriae territorio dioecesis, ita ut v. g., usu Pontificalium frueretur ceterisque honorificis gauderet privilegiis atque insignibus, quae competere solent Protonotariis Apostolicis (1). Huius praescriptionis ratio est materna Ecclesiae sollicitudo, qua iugiter cavet ne quid detrimenti capiat reverentia Sacramento debita et offensionis pia christianae plebis exspectatio Episcopi persona orbatae, atque ut confirmationis administratio, quatenus sinit substituti ministri persona, conspicuo splendore ac praeclara sollemnitate fiat.

quos mens Ecclesiae et cura fuit ut honorificis insignibus fruerentur Protonotariorum Apostolicorum.

Consonat facultas n. 3 Litt. Apost. 30 april. 1929 de privilegiis decennalibus Americae latinae.

Re autem vera huic Sanctae Sedis agendi rationi consonat facultas, quae sub n. 3 recensetur in Litteris Apostolicis Pii Papae XI, diei XXX Aprilis an. MDCCCCXXIV, quibus Ordinariis, Sacerdotibus et christifidelibus dioecesium ac ditionum Americae Latinae privilegia ac facultates ad decennium conceduntur (2), et quae hisce exprimitur verbis:

« ...Ordinarii locorum deputare possunt ad Sacramentum Confirmationis administrandum Sacerdotes, quantum fieri po-

(1) Pius X, motu propr. *Inter multiplices,* 21 febr. 1905; Pius XI, const. *Ad incrementum,* 15 aug. 1934.

(2) *Acta Ap. Sedis,* a. XXI, p. 554.

test, in aliqua dignitate ecclesiastica constitutos, vel munere Vicarii Foranei fungentes; nunquam vero simplices Sacerdotes, commorantes illis in locis, in quibus praedictum Sacramentum administrandum erit: servata nova S. Congregationis de disciplina Sacramentorum *Instructione* pro simplici sacerdote ex Sedis Apostolicae delegatione Sacramentum Confirmationis administrante ».

Consonat praxis S. Congregationis.

Huc etiam redit praxis ab hac S. Congregatione servata in Apostolicis indultis concedendis Sacerdotibus simplicibus, ut Confirmationem conferre valeant quibusdam in casibus reapse singularibus: semper enim eadem S. Congregatio cavit, prout adiuncta ipsa sinebant, ut hi vel Protonotarii Apostolici dignitate praefulgerent, vel ut ad huiusmodi munus dignius explendum tales renuntiarentur.

Ac privilegii Americae latinae extensio petita, fuit negata 25 26 ian. 1934.

Suae tuendae praxi tum quoad extraordinarii ministri requisitam dignitatem, tum quoad memorata loca Americae Meridionalis (Latinae), quibus veluti privative indulta Apostolica ad rem largiebatur, omnem ad haec usque tempora adhibuit curam S. Congregatio de Sacramentis. Attamen aliquot abhinc annis pluries RR. locorum Ordinarii requisierunt an praefatae praxi derogare opportunum censeret, etiam ad Europae regiones nonnullas idem extendendo privilegium Americae Meridionali concessum sub similibus adiunctis; et haec eadem S. Congregatio in una *Namurcen. et aliarum* diei 25 Ianuarii 1924, sequens proposuit Plenario EE. PP. Conventui dubium diluendum: « An praxis deputandi sacerdotes episcopali charactere carentes ad Sacramentum Confirmationis administrandum, etiam in posterum servanda sit intra limites hactenus praefinitos, vel potius, instantibus gravibus et urgentibus causis, extendenda sit ad alias regiones etiam in Europa in casibus particularibus », et responsio prodiit: « *affirmative* ad I partem, *negative* ad II et ad mentem ». Mens vero EE. PP. fuit « quod nihil esset immutandum in disciplina Ecclesiae, quam hactenus servavit et vetuit immutari H. S. C., factis tantummodo nonnullis exceptionibus pro aliquibus regionibus in America Meridionali, ubi servari non potest ius commune ob extraordinaria rerum et personarum adiuncta. Equidem simplex sacerdos est minister extraordinarius Sacramenti Confirmationis per deputationem Sedis Apostolicae. Quodsi ex aliis regionibus exhibeantur huiusmodi petitiones, S. Congregatio suadeat Episcopis oratoribus ut recurrant ad S. Sedem pro obtinendo Episcopo Auxiliari seu Coadiutore, vel opem petant, pro huiusmodi Sacramento administrando, ab Episcopis finitimarum dioecesium ». Quod

Episcopi potius petant Coadiutorem vel recurrant ad vicinos Episcopos.

quidem responsum a Ss.mo in Audientia diei 26 Ian. 1924 fuit confirmatum.

De aetate confirmandorum,

3. Duplex altera quaestio post Codicis promulgationem proposita, respiciebat mensuram aetatis confirmandorum, atque utraque fuit nuper per competentia S. Sedis organa resoluta.

can. 788;

Haec enim praecipit canon 788 in subiecta materia: « Licet Sacramenti Confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latina differatur ad septimum circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis

authent. eius interpretatio;

periculo sit constitutus, vel ministro id expedire, ob iustas et graves causas, videatur ». Hinc quaesitum fuit a Pont. Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos utrum relatus canon constituat tantum normam directivam, an potius vere praeceptivam: et EE. PP. eiusdem Pontif. Commissionis, in Plenario Coetu diei 7 Iunii 1931, proposito dubio: « An canon 788 ita intelligendus sit ut Sacramentum Confirmationis in Ecclesia Latina ante septimum circiter aetatis annum conferri non possit nisi in casibus, de quibus in eodem canone », responderi mandarunt: *Affirmative.*

consuetudo benignior antiquissima Hispaniae et Americae Meridionalis

Quoniam vero in Hispania et alicubi, praesertim in America Meridionali, viget consuetudo administrandi Sacramentum Confirmationis pueris ante usum rationis, etiam immediate post collatum baptismum, a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum, edita supradicta responsione, quaesitum fuit an talis consuetudo adhuc servari possit.

In Plenario itaque Coetu E.morum Patrum huius Sacrae Congregationis, habito die 27 Februarii 1932, re mature discussa, proposito sequenti dubio: « An consuetudo antiquissima in Hispania et alicubi vigens ministrandi Sacramentum Confirmationis infantibus ante usum rationis servari possit, E.mi Patres responderunt: *Affirmative et ad mentem* ». « Mens est ut,

servari potest et ad mentem.

ubi Sacramenti Confirmationis administratio differri potest ad septimum circiter aetatis annum, quin obstent graves et iustae causae ad normam can. 788, contrariam consuetudinem inducentes, fideles sedulo edocendi sunt (1) de lege communi Ecclesiae Latinae, praemissa Sacrae Confirmationis administrationi illa catechesis instructione, quae tantum iuvat ad animos puerorum excolendos et in doctrina catholica solidandos, prout experientia docet ».

Approbatio responsi a S. Pontefice.

In Audientia diei 2 Martii eiusdem anni, referente Secretario eiusdem S. C., Ss.mus D.nus Noster Pius Papa XI responsionem ratam habere et confirmare dignatus est.

(1) Sic in A. A. S. fortasse pro *sint.*

Ne autem ex hac resolutione aliquis error irrepat aut non recta intelligentia de sacrorum canonum intentione et praecepto circa aetatem admittendorum ad primam Communionem Eucharisticam, declaravit eadem S. Congregatio, equidem opportunum esse et conformius naturae et effectibus Sacramenti Confirmationis, pueros ad sacram mensam prima vice non accedere nisi post receptum Confirmationis Sacramentum, quod est velut complementum baptismatis, et in quo datur plenitudo Spiritus Sancti (S. Thomas, p. III, quaest. 72, art. 2); non tamen iidem censendi sunt prohiberi quominus ad eandem mensam prius admittantur, si ad annos discretionis pervenerint, quamvis Confirmationis Sacramentum antea accipere non potuerunt (1).

Declaratio S. Congr. de postponenda prima communione post confirmationem, nec tamen ideo differenda prima communione.

Si agitur proinde de puero, qui gravi morbo laboret, adeo ut constitutus dicatur in mortis periculo, non solum prohibitum non est illi ante septennium Sacrum Chrisma administrare, sed expedit, ut id fiat, unde ex hac vita demigrans maiorem gloriam, iuxta S. Thomae doctrinam (p. III, quaest. 73, art. 8 ad 4), in caelis consequatur. Aliae insuper iuxta probatam plurium Theologorum sententiam (2) esse possunt legitimae causae, praeter consuetudinem iam memoratam, antevertendi septennium in collatione huius Sacramenti, et praesertim cum praevidetur futura diutina absentia Episcopi vel Presbyteri cui facta sit facultas illud administrandi, vel alia urget necessitas seu iusta et gravis causa.

Puerum in periculo morti expedit confirmare.

Sunt aliae causae antevertendi septennium.

II

Disciplina per Codicem I. C. inducta quoad Confirmationis administrationem a simplici Sacerdote peragendam.

1. Sacerdos igitur, cui facultas haec concessa fuerit, probe sciat Sacramentum Confirmationis conferri debere per manus impositionem cum unctione Chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta (can. 780).

Doctrina de administratione confirmationis.

Essentiale.

2. Hoc Sacramentum, quod characterem imprimit, iterari nequit; si vero prudens dubium exsistat, num revera vel num valide collatum fuerit, sub conditione iterum conferatur (can. 732).

Non iteratur absolute.

Continuaremos firmemente la obra emprendida, seguros de que nuestro pueblo no permitirá el triunfo de los intereses conservadores, que añoran un régimen de peonaje, de tiendas

Continuabimus opus incoeptum, per-

suasi populum non permissurum ut triumphet conservatismus qui laederet profunde oeconomiam nationalem et dignitatem humanam.

de raya, de comercio de esclavos y de fueros protectores de impunidades, que lesionaron profundamente la economía nacional y la dignidad humana.

México, D. F., a 7 de enero de 1935.

El Secretario, IGNACIO GARCÍA TÉLLEZ

ANNOTATIONES

I. Hic supra exscripsimus 1. Instructionem quam Eccl. Delegatus apostolicus misit ad omnes episcopos et diffundere curavit in ipsa republica; 2. Instructionem practicam archiepiscopi Mexicani Diaz, ubi brevibus formulis solvit casus conscientiae ad usum catholicorum istius regionis. 3. Responsum quod palam scripsit contra instructionem Delegati Apostolici secretarius educationis publicae. Ex isto documento, maxime ex ultimis paragraphis manifestum fiet attentatum directum contra fidem catholicam, si cogitemus scholas aperiri non posse in quibus institutio socialistica non tradatur.

II. Etenim in hac hora tragica Mexicanae rei publicae, arbitrati sumus votis lectorum nostrorum consentaneum esse ut directe e fontibus maxime authenticis res Mexicanas cognoscant, et simul doceantur quid caritas catholica postulet a nobis ut fratribus catholicis per orationem, per subsidia nostra simus auxilio.

Faxit Deus imploratus per Beatam Virginem a Guadalupe, ut consilia tenebrarum dissipentur et triumphet Evangelica lux.

III. Acta damus sicut exstant, ne aliquo infidelitatis genere in versione peccemus. Notae ceterum marginales intellectum iuvabunt eorum quibus lingua hispanica est minus familiaris.

Observes denique Delegatum Apostolicum versari extra territorium Mexicanum, dum archiepiscopus Diaz manet in Mexicana civitate.

9. — SS. D. N. Pius PP. XI

Epistola 3 maii 1934

AD R. P. AUGUSTINUM BEA, E SOC. IESU, PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI RECTOREM, QUINTO AC VICESIMO EXEUNTE ANNO AB INSTITUTO CONDITO.

(A. A. S., 1 feb. 1935, XXVII, 48)

PIUS PP. XI

Laetus de XXV anno a condito Instituto Biblico,

SS.us numerat bina merita Instituti.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — **Quinto ac vicesimo** exeunte anno, ex quo Pontificium Institutum Biblicum per Decessorem Nostrum Pium X sanctae memoriae in hac alma Urbe conditum est, temperare Nobis non possumus, quin illud paterna Nostra laetitia et gratulatione prosequamur. Concepta enim spes laetissimorum fructuum, qui in ipso Athenaei exordio profecturi inde exspectabantur, Apostolicam hanc Sedem Ecclesiamque universam minime fefellit. Et sane, splendidum hoc divini verbi convivium plus quam nongenti ex utroque clero variisque ex gentibus selecti adulescentes hucusque concelebrarunt, quorum alii in Scripturam Sacram tradendam nunc sedulo incumbunt, alii ad alia magisteria vel etiam graviora Ecclesiae munera provecti sunt. Copiosa autem ac mirifica librorum scriptorumque seges, quae ex eodem Instituto orta est, non modo genuinam solidamque doctrinam biblicam, contra erroneas sententias propugnaculum, prae se fert, sed novas quoque scientiae biblicae investigationes luculenter ostendit efficaciterque fovit. Ad hos vero scientiarum fructus edendos plurimum contulerunt Athenaei ipsius praesidia, quae, initio eidem conlata, multo sunt labentibus annis adaucta; inter haec autem praestat thesaurus ille librorum in bibliotheca studiosis omnibus patens, qui semper nova accipit incrementa, et ipsius Terrae Sanctae cognitio, quae tam magistris quam discipulis accurate et per longa quoque itinera exhibetur, nec non frequentiora in dies et subtiliora monumentorum veterum studia atque explorationes. Optimo ergo iure dicere possumus Nostrum istud ac dilectum Institutum Biblicum, hoc haud brevi temporis intervallo, et feliciter respondisse Sanctae huius Sedis propositis ac votis, et de religione deque scientiarum profectu egregie meruisse. Quare praeclari Athenaei moderatoribus et

Gratulatur moderatoribus et alumnis, ominans ut pergant naviter in incepto.

alumnis ex animo vehementerque gratulamur, simulque iisdem ominamur, ut, divino afflante Spiritu, in incepto tam felici omni cura et sedulitate pergant, et uberiores quotidie fructus in bonum cuiusque suum, in proximorum utilitatem, in Ecclesiae decorem et gloriam ex electo munere suo percipiant. Quorum quidem caelestium donorum auspicium ac summae Nostrae voluntatis pignus apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili, cunctisque Instituti istius professoribus et alumnis peramanter in Domino impertimus.

Benedictio Ap.ca professoribus et alumnis.

Dies (3 maii 1934, in inventione S. Crucis).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die III mensis Maii, in Inventione S. Crucis, anno MDCCCCXXXIV, Pontificatus Nostri decimo tertio.

PIUS PP. XI

---

10. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola 10 maii 1934

AD E.MUM P. D. GULIELMUM TIT. S. CLEMENTIS S. R. E. CARD. O' CONNELL, ARCHIEPISCOPUM BOSTONIENSEM, ANNUM A SUSCEPTO SACERDOTIO QUINQUAGESIMUM CELEBRATURUM.

(A. A. S., 1 febr. 1935, XXVII, 49)

PIUS PP. XI

Gratulatur SS. iubilaeum sacerdotale; memorans indefessum laborem Em. Card. in variis officiis.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — **Gratum profecto** nuper accepimus nuntium, te proxime memoriam suavissimam renovaturum illius diei, quo ante annos quinquaginta Sacrum Deo primum perlitasti. Etenim tam diuturnum sacerdotale ministerium, episcopali auctum honore et splendore romanae purpurae decoratum, magnum est divinae in te benignitatis argumentum. Sed laetamur quoque haud te sivisse otio delitescere quod est tam insigni partum munere; immo usque ab exordiis sacerdotii te studia viresque ad Ecclesiae incrementum adhibuisse, primum in civitate Medfordiensi, ubi primitias Sacri muneris in ecclesia Sancti Ioseph delibasti; deinde in hac ipsa alma Urbe, quum Septemtrionalis Americae Conlegio praefuisti, sedulam curam impendens, ut candidati ad sanctuarium, numero et virtute aucti, spem frugiferi apostolatus portenderent. Postquam vero, triginta tres abhinc annos, Portlandensis dioecesis gubernacula tibi tradita

sunt, pastorali officio indesinenter fere incubuisti; quumque legationis pontificiae munere apud Iaponiae Imperatorem, ut missionalibus catholicis faveretur, perfunctus fueris, prius archidioecesi isti Bostoniensi, tamquam Archiepiscopi coadiutor, operam tuam navasti, dein, paullo post, regimen ipsius suscepisti; quam quidem praeclaram archidioecesim, tanta catholicorum fidelium frequentia et pietate florentem, ipse, in amplissimum Purpuratorum Patrum ordinem cooptatus, tam diu sollerterque tenes. Hisce autem postremis annis, in tanto rerum oeconomicarum discrimine, tibi maximae curae fuit, ut grex tibi commissus minorem temporum iacturam pateretur. Merito igitur, proxima tua faustitate, tum sedulus iste clerus, Episcopo Auxiliari tuo egregie permovente ac praeeunte, populusque fidelis, tum ipsi rerum civilium publicarumque Moderatores singulares obsequii gratique animi significationes apparare contendunt. Quam quidem tuam tuorumque laetitiam Nos imprimis participare exoptamus, eo vel magis quia constantem tuam erga Apostolicam Sedem observantiam novimus et praeclarum studium, quo Basilicam Sancti Clementis, tibi in Nostra Urbe commissam, instaurandam et exornandam curasti. Quare tibi, dilecte fili Noster, de iucundi eventus faustitate libenter gratulamur, et impense a Deo efflagitamus, ut boni isti fideles, te duce ac pastore, in perficienda christianae vitae ratione omnia studia et curas impendant, ut uberiores in dies salutis fructus percipere possint. Quo autem laetior dies festus evadat, tibi ultro potestatem damus, sollemni die, post Sacrum peractum, nomine Nostro Nostraque auctoritate adstantibus benedicendi, plenamque admissorum veniam, ad Ecclesiae praescripta, eisdem tribuendi. Tibi denique omnia bona ac prospera ominantes, in auspicium caelestium donorum inque Nostrae caritatis pignus, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili Noster, tuoque Episcopo Auxiliari, cunctoque clero et populo tuae vigilantiae concredito peramanter in Domino impertimus.

Merito se coniungit laetitiae communi eo vel magis quod observantissimus fuit Ap. Sedi et instaurandam curavit Basilicam S. Clementis.

Gratulatio, vota Pontificis.

Facultas alargiendi Ap. sten. cum indulgentia plenaria

Benedictio Apca.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XX mensis Maii, in festo Pentecostes, anno MDCCCCXXXIV, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Dies (20 maii 1934 in festo Pentecostes).

PIUS PP. XI

11. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Motu proprio

INSTITUITUR COETUS SUPER CONSULTATIONIBUS TECHNICIS
(A. A. S., 24 ian. 1935, XXVII, 8)

PIUS PP. XI.

Finito munere finis imponitur Commissioni de operibus publicis constituta anno 1929.

Avendo la Commissione per i Pubblici Lavori, da Noi istituita nell'anno 1929, esaurito, con pari sollecitudine che competenza e merito, i compiti affidati alla medesima, la dichiariamo cessata.

Instituitur consilium technicum consultativum et vigilantiae in re aedilicia.

Istituiamo una Consulta Tecnica, attribuendo alla medesima funzioni consultive e di sorveglianza in materia edilizia. Essa si compone di un Presidente e di quattro membri, da nominarsi da Noi. Il Segretario sarà eletto dalla Consulta fuori del suo seno.

Compositio et Provincia.

Deve essere sentito il parere della Consulta Tecnica su tutti i lavori, sia di costruzione, sia di straordinaria manutenzione, relativi agli immobili di proprietà della Santa Sede, situati nella Città del Vaticano o fuori dello Stato, ed in particolare agli immobili indicati negli articoli 13, 14, 15 e 16 del Trattato del Laterano.

La Consulta Tecnica è tenuta, inoltre, a dare il suo parere su tutte le questioni che possono essere sottoposte alla medesima da Noi o dal Governatore dello Stato della Città del Vaticano.

Partes directionis generalis servitiorum Technicorum Gubernatoris civitatis Vaticanae.

L'assetto e la manutenzione degli immobili di proprietà della Santa Sede, situati nella Città del Vaticano o fuori dello Stato, sono affidati alla Direzione Generale dei Servizi Tecnici del Governatorato della Città del Vaticano.

Ordinatio praeparanda

La Consulta Tecnica preparerà un Regolamento per l'esecuzione del presente Motu Proprio, da sottoporre alla Nostra approvazione.

Consultatio praevia Directionis generalis monumentorum civitatis Vaticanae.

Per la sistemazione, restauro e manutenzione delle opere d'arte, di proprietà della Santa Sede, situate nella Città del Vaticano o fuori dello Stato, in particolare delle opere d'arte situate negli immobili indicati negli articoli 13, 14, 15 e 16 del Trattato del Laterano, occorre il previo parere della Direzione Generale dei Monumenti, Musei e Gallerie Pontificie del Governatorato della Città del Vaticano.

I pareri della Consulta Tecnica, e quelli della Direzione Generale dei Monumenti, Musei e Gallerie Pontificie devono esserCi sottoposti.

Necessaria approbatio Pontificia.

Qualsiasi disposizione contraria al presente Nostro Motu Proprio è abrogata.

Clausula.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico Vaticano, addì ventidue del mese di dicembre, l'anno millenovecentotrentaquattro, tredicesimo del Nostro Pontificato.

Die (22 dec. 1934).

PIUS PP. XI

---

12. — S. Congr. Rituum

Instructio 15 ian. 1935.

DE POSTULATORIIS LITTERIS CONFICIENDIS

(A. A. S., 1 febr. 1935, XXVII, 58)

Ratio mittendi hanc Instructionem.

Quum non unus Sacrorum Antistes apud hanc Sacram Congregationem dubia aut etiam querimonias recenter moverit circa postulatorias litteras quas Causarum actores pro Servis Dei Beatificandis, passim ad Ordinarios locorum signandas mittunt iam ex integro confectas, et saepe etiam typis impressas, ne quis irrepat abusus atque ut omnis amoveatur anxietatis causa, opportunum visum est Sacrae huic Congregationi in mentem eorum omnium, quorum interest, canonica hac super re praescripta revocare, quemadmodum et de postulatoriis litteris circa Missarum et Officiorum extensionem sive ad universam Ecclesiam sive ad particularia loca.

§ 1. — *De postulatoriis litteris pro Servorum Dei Causis introducendis.*

Memorato textu Codicis.

Canon 2077 Codicis iuris canonici statuit: « Litterae Postulatoriae, quibus personae insigniores in dignitate sive ecclesiastica sive civili constitutae, vel personae morales expostulant a Summo Pontifice ut Causae Beatificationis alicuius Servi Dei manus apponatur, utiliter exhibentur, dummodo sponte et ex propria scientia datae sint ».

Iam indicantur insigniores personae physicae

Porro insigniores personae habendae sunt Emi ac Revmi DD. Cardinales, Exmi ac RR. Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates *nullius* dioecesis, Ordinum seu Congregationum Supremi Moderatores, ceterique Praelati seu e saeculari clero

et morales.

seu regulari: Supremi nationum Moderatores aut Administri, civitatibus aut Provinciis Praepositi, similique auctoritate praediti. Personae autem morales praecipue sunt: Episcoporum Concilia, Capitula seu Clericorum Collegia, Ordines seu Religiosae Congregationes utriusque sexus, Confraternitates, pia Sodalitia, et cetera huiusmodi: item Nationum legiferi coetus, Provinciarum aut Civitatum administrativa consilia, Studiorum Universitates, Advocatorum, Medicorum, etc. Associationes similesque spectabiles coetus.

Horum postulationes utiliter exhibentur si sponte et ex propria scientia datae sunt.

Horum postulationes « utiliter exhibentur, dummodo, ait Codex, sponte et ex propria scientia datae sint ».

Minus pr batus modus col ligendi subscriptiones.

His autem praescriptis ut minus consentaneus declaratur invalescens usus ut postulatoriae litterae ab ipsis actoribus ex integro exaratae ac saepe typis impressae large diribeantur ad subsignationes colligendas, nulla addita solida rei informatione. Actores itaque, si tales postulatorias litteras obtinere velint,

Quid praestandum sit auctoribus

opportune Servi Dei vitam a probato auctore conscriptam, aut alia apta documenta exhibeant, modeste rogantes Episcopos aliasque idoneas personas, ut certa sibi rei notitia comparata, si id sibi visum fuerit, postulatorias litteras Summo Pontifici aut Sacrae Rituum Congregationi transmittant propriis quantum fieri potest verbis sententiisque concinnatas.

§ 2. — *De postulatoriis litteris pro obtinendo Officio cum Missa alicuius Sancti vel Beati pro particulari dioecesi vel ecclesiastica provincia.*

Repetuntur sanctiones 13 iul. 1896

In his litteris Sanctae Sedi exhibendis prae oculis est habendum Sacrae Rituum Congregationis, decretum, Leone XIII probante, die 13 Iulii anno 1896 latum, quo sancitur:

de quibusnam petitio fieri p test.

1. Exhibitae nobis positiones Sanctos Beatosve tantummodo spectare debent in Romano Martyrologio conscriptos, aut publico cultu a Sancta Sede decreto vel confirmato iam diu fruentes. At vero semper speciali proprii Episcopi commendatione opus est; qui etiam, si exquiratur, sui Capituli Cathedralis consensum alligabit.

Accedat specialis commendatio Episcopi, qui consensum sui capituli alligabit.

De ceteris etiam lon o cultu honoratis.

2. Ad ceteros Sanctos Beatosve quod attinet, etsi longo iam tempore publico fuerint cultu honorati, cum Officio et Missa propria, necesse est ut iuxta communes regulas eorum cultus ab Ecclesia comprobatus et confirmatus sit, antequam Officium ipsum ac Missa permittatur.

§ 3. — *De postulatoriis litteris pro obtinenda alicuius festi ad universam Ecclesiam extensione.*

Norma pro extensione ad universam Ecclesiam.

Normae eaedem, quae in prima et secunda paragrapho descriptae sunt, pro postulatoriis litteris quibus Romanus Pontifex ut aliquod festum ad universam Ecclesiam extendat rogatur, sunt quoque servandae.

Ordinarii, cum consensu capituli mittant ad S. R. C. petitionem.

Quapropter, descriptis casibus occurrentibus, Rev.mi Ordinarii, sponte et ex propria scientia postulatorias litteras, si sibi visum fuerit exarent, habitoque sui Capituli consensu, si de Officio et Missa obtinendis agatur, ad Sacram Rituum Congregationem has mittant.

Romae, ex Secretaria S. Rituum Congregationis, die 15 Ianuarii 1935.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. ✠ S. A. CARINCI, *Secretarius.*

---

13. — S. Paenitentiaria Apostolica *(off. de indulg.).*

DE VISITATIONE VULGO DICTA « SEPTEM ECCLESIARUM » PECULIARIBUS INDULGENTIIS DITATA.

Decretum 15 iun. 1935

(A. A. S., 1 febr. 1935, XXVII, 60)

DECRETUM

Pium exercitium visitationis VII ecclesiarum,

Inter pietatis exercitia, quae praeteritis praesertim temporibus peragebantur, unum e vetustioribus atque peculiaris notae ac propriae Almae Urbis est visitatio vulgo dicta « septem ecclesiarum », videlicet quatuor Maiorum Basilicarum S. Petri in Templo Vaticano, S. Pauli extra moenia, S. Ioannis in Laterano, S. Mariae Maioris ac trium Basilicarum Minorum, nempe S. Sebastiani, S. Laurentii in agro Verano et S. Crucis in Hierusalem. Haec pia peregrinatio, quam haud raro fideles singulatim quoque peragere soliti fuerant, saepe saepius, sacra ducta pompa, ac precibus etiam alta voce fusis canticisque spiritualibus comitata, explebatur.

exemplo sanctorum commendatum,

S. Iosephus Calasanctius, uti narratur, pium istud exercitium quotidie, S. vero Philippus Nerius frequentissime pera-

[13].

gebant; quin immo huiusmodi spiritualium atque tam simplicium canticorum, quae etiam hodie, quum piae peregrinationis pompa agitur, decantantur, idem Philippus Nerius auctor fuisse traditur.

variis indulgentiis honestatum,

Praestantissimum hoc exercitium summopere aptum ad fidelium pietatem fovendam, atque in ipsorum memoriam tot insignia facta revocans in iis Basilicis peracta, iure meritoque magnam Romanorum Pontificum benevolentiam excitare ac impellere debuit ut, in ipsorum favorem thesaurum Ecclesiae aperiendo, variis indulgentiis illud locupletarent, quemadmodum in more semper fuit Apostolicae Sedis talibus beneficiis spiritualibus alia quoque eiusdem generis pia opera fovere atque augere.

sed amissis documentis plura incerta.

Verum ob temporum praesertim iniuriam atque varias vicissitudines, obvenientes post diuturnum tempus, ex quo tale exercitium frequentari coepit, plura authentica documenta, in quibus pontificiae elargitiones absque dubio designabantur, misere perierunt; et pauca ea, quae de tanta Summorum Pontificum liberalitate supersunt, parum vel re certa nihil de eadem tradunt.

Quare SS. D. volens omnia clare definire.

Quae omnia mature pro Sua apostolica sollicitudine Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI perpendens, ac consilium Suum ad indulgentias quod attinet persequens, de ipsis scilicet semper fidelibus proponendis modo claro et indubio, quo iidem scientes quaenam spiritualia beneficia huic vel illi pietatis operi sint adnexa, efficacius alliciantur ad ea non modo exercenda sed et maiore etiam caritatis fervore persolvenda, statuit praesenti hoc decreto id ipsum faciendum esse et quoad visitationem Septem Basilicarum Urbis, ut fideles ad amussim agnoscentes spiritualia beneficia illis obventura, qui eam ut par est peregerint, stimulentur vel ad illam resumendam, si aut dereliquerant aut neglexerant, vel ad eam maiore cum pietate ac religione explendam, quamvis ob mutatas praesertim topographicas Urbis conditiones haud semper facile sit atque expeditum piam hanc peregrinationem ea forma exteriore ac singulari nota peragere, qua prius sollemne erat.

in audientia 12 ian. Condiciones indulg.

Itaque in audientia infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori sub die 12 vertentis mensis concessa, Sanctitas Sua haec decrevit: christifideles, qui, rite confessi ac sacra Synaxi refecti, unica die ad normam can. 923 C. I. C. pie peregerint visitationem septem Urbis Basilicarum, recitantes in qualibet Basilica coram altari Ss.mi Sacramenti quinque *Pater, Ave* et *Gloria* et unum *Pater, Ave* et *Gloria* iuxta mentem Summi

Pontificis, addita aliqua prece ad libitum ad beatissimam Virginem Mariam atque ad Titularem ecclesiae visitatae, ac substituendo in memoriam Passionis D. N. I. C. in Basilica S. Crucis in Hierusalem orationem ad Titularem cum « Credo » et versiculo « Adoramus Te, Christe.. », *indulgentiam plenariam* acquirere posse pro visitatione singularum Basilicarum, ita tamen ut si propter aliquod impedimentum, durante pia peregrinatione superveniens a propria voluntate independenter et prohibens quominus tota et integra peregrinatio, ut in proposito erat, compleri possit, haec interruptio nequaquam privet fidelem iis indulgentiis, quas ratione visitationum absolutarum lucratus iam fuerit.

Quid si superveniens impedimentum occurrat.

Animum vero ad illos quoque benigne convertens idem Beatissimus Pater, qui lucrari exoptant in locis ubi commorantur nonnullas indulgentias ad instar illarum, quae Romae acquiri possunt visitando septem supra memoratas Basilicas, decrevit ut hi consequi valeant *decem annorum partialem indulgentiam*, si eadem ratione qua visitationes Romanarum Basilicarum explentur, pia mente ac saltem corde contrito visitaverint septem ecclesias vel publica oratoria, quae in supradictis locis reperiantur et in relativo Apostolico Indulto designata fuerint; *indulgentiam* vero *plenariam*, si rite confessi ac sacra Synaxi refecti, totam piam peregrinationem ex integro absolverint.

Indulgentiae visitantibus alibi septem ecclesias vel publica oratoria designata in relativo Apostolico Indulto.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione et contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Clausula.

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 15 lanuarii 1935.

Die (15 ian. 1935).

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. TEODORI, *Secretarius.*

ANNOTATIO

Observes Apostolicum indultum postulandum esse quo designentur septem ecclesiae quae pro indulgentia, extra Urbem visitandae sint.

---

14. — S. Paenitentiaria Ap.ca

Monitum

DE SECRETO MITTENDIS LITTERIS

(A. A. S., 1 febr. 1935, XXVII, 62)

Abusus commissus.

Quamvis ipsa naturalis prudentia doceat casus occultus ad forum conscientiae pertinentes litteris clausis et reticitis partium nominibus Sacrae Paenitentiariae vel E.mo Cardinali Paenitentiario Maiori directe esse proponendos; non desunt tamen conscientiarum moderatores qui per litteras apertas, procuratorum (vulgo « agenti ») manu tradendas, eos exponere non vereantur.

Monitum ut via secreta mittantur litterae.

Ad tam grave inconveniens omnino e medio tollendum Sacra Paenitentiaria omnes et singulos ad quos spectat, expressis verbis, monitos vult ne quid simile in posterum audeant; sed ut huiusmodi litteras ceterasque omnes quae pro opportunis declarationibus vel supplementaribus informationibus exhibendis postea sint addendae, directe ad Sacram ipsam Paenitentiariam vel ad E.mum Cardinalem Paenitentiarium Maiorem aut per publica epistolarum diribitoria (vulgo « posta ») aut, si procuratorum ope uti eis placeat, sub peculiari involucro bene clauso mittere velint.

ACTA SUMMATIM RELATA

15. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Nova erigitur praelatura « nullius ».

A. Bulla *Ad maius Christifidelium bonum*, 9 dec. 1933, a territorio Lagensis et de Ponta Grossa dioecesium, in Brasiliana Republica, pars separatur atque in praelaturam *nullius*, a *Palmas* urbe « Palmensis » nuncupanda erigitur, (*A. A. S.*, XXVII, 33).

Praefectura ap.ca evehitur in Vicariatum.

B. Bulla *Lacus Alberti*, 11 dec. 1933, Lacus Alberti in Africa Centrali praefectura apostolica, iisdem limitibus, quibus in praesenti circumscripta est, et sub eodem nomine in vicariatum apostolicum erigitur et constituitur ; (*A. A. S.*, XXVII, 36).

Erigitur Vicariatus de Shanghai.

C. Bulla *Iampridem Apostolica Sedes*, 13 dec. 1934, latissimum vicariatus apostolici de *Nanking* territorium, uti modo exstat, in duas dividitur partes, quarum una, 16 civiles subprefecturas complectens, vicariatum ipsum Nanchinensem constituet, qui saecularis cleri sinensis curis committitur ; altera vero pars novum ac distinctum vicariatum ap. cum constituet, de Shanghai nuncupandum, Societatis Iesu sodalium curis ut antea concreditum (*A. A. S.*, XXVII, 37).

Erigitur praefect. ap.ca « de Yangku ».

D. Bulla, *Ad melius ac facilius*, 13 dec. 1934, ex territorio vicariatus ap.ci de Yenchowfu, in Sinis, civiles sex subpraefecturae seiunguntur ac separantur ; earumque territorium in novam ac distinctam erigitur praefecturam ap.cam, de *Yangku* nomine appellandam et curis saecularis cleri sinensis committenda (*A. A. S.*, XXVII, 39).

E. *Litterae de ecclesiis :*

Templum Mutinense honoribus Basilicae minoris augetur.

Brevi, *Mutinae in Aemilia*, 20 iul. 1934, percelebre templum cathedrale Mutinense S. Geminiani Episcopi in honorem Deo dicatum, titulo ac dignitate Basilicae minoris cum omnibus et singulis privilegiis atque honoribus adnexis perpetuum in modum condecoratur (*A. A. S.* XXVII, 45).

16. — S. C. Consistorialis.

Designatio Ordinarii pro appellatione :

Designatio pro appellatione.

Appellabitur ad tribunal Ordinarii Menevensis a tribunali Archiepiscopi Cardiffensis (rescr. 26 nov. 1934; *A. A. S.* XXVII, 11).

Mutatio nominis Vicariatus.

Decreto 10 dec. 1934, vicariatus apostolicus hucusque vocatus de Shenchow, vocatur Yüanling (*A. A. S.*, XXVII, 22).

17. — S. C. Rituum

A. *Causae canonizationis et beatificationis :*

S. D. Franciscus de Paula Tarin, S. I.

1. *Hispalen.* Decretum 14 nov. 1934, introductionis causae S. D. Francisci de Paula Tarin, sacerdotis professi e Societate Iesu (*A. A. S.*, XXVII, 51).

S. D. Franciscus Rivat.

2. *Lugdunen.* Decretum 14 nov. 1934, introductionis causae S. D. Fratris Francisci Rivat, Superioris generalis Instituti parvulorum Fratrum Mariae (*A. A. S.*, XXVII, 54).

B. Ioanna Bichier des Ages.

3. *Pictavien.* Decretum reassumptionis causae Canonizationis B. Ioannae Elisabeth Bichier des Ages, confundatricis Instituti Filiarum Crucis vulgo Sororum S. Andreae (*A. A. S.*, XXVII, 57).

18. — Provisio Ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt :

Lodz (Polonia).

30 nov. 1934, R. P. D. Vlodimirus Bronislaus Jasinski, cathedrali ecclesiae Lodzensi.

Tortona (Italia)

5 dec. 1934, R. P. D. Aegysthus Melchiori, cathedrali ecclesiae Derthonensi.

Fossano (Italia).

12 dec. 1934, R. D. Angelus Soracco, cathedrali ecclesiae Fossanensi.

Salisburgo (Austria).

17 dec. 1934, R. P. D. Sigismundus Waitz, metropolitanae ecclesiae Salisburgensi.

Toronto (Canada).

22 dec. 1934, R. P. D. Iacobus Carolus Mac Guigan, metropolitanae ecclesiae Torontinae.

Trois Rivières (Canada)

22 dec. 1934, R. P. D. Alaphridus O. Comtois, cathedrali ecclesiae Trifluvianensi in Canada.

Dromore (Irlanda).

22 dec. 1934, D. D. Raphaël Hubertus Dignan, cathedrali ecclesiae S. Mariae Dromorensi.

Acqui (Italia).

24 dec. 1934, R. P. D. Aemilius Roques, metropolitanae ecclesiae Aquensi.

Bourges (Francia).

24 dec. 1934, R. P. D. Ludovicus Fillon, metropolitanae ecclesiae Bituricensi.

Auch (Francia).

24 dec. 1934, R. P. D. Virgilius Béguin, metropolitanae ecclesiae Auxitanae.

Bayonne (Francia).

24 dec. 1934, R. D. Henricus Houbant, cathedrali ecclesiae Baionensi.

24 dec. 1934, R. D. Marcellus Fleury, cathedrali ecclesiae Nanceiensi. *Nancy (Francia).*

21 ian. 1935, R. P. D. Ferdinandus Bernardi, metropolitanae ecclesiae Tarentinae. *Taranto (Italia).*

B. *Decretis S. Congr. de Prop. Fide nominati sunt:*

9 apr. 1934, R. P. Anscharius Sevrin S. I., cathedrali ecclesiae de Ranchi. *Ranchi (India).*

28 maii 1934, R. P. Nicolaus Laudadio S. I., cathedrali ecclesiae Gallensi. *Galle (Ceylan).*

9 iul. 1934, R. D. Stephanus Ferrando, e Pia S. S., cathedrali ecclesiae Krishnagarensi. *Krishnagar (India).*

9 iul. 1934, R. D. Aloisius Mathias, e Pia S. S., cathedrali ecclesiae de Shillong (olim praefecturae apostolicae Assam). *Shillong (India).*

10 dec. 1934, R. D. Normannus Gilroy, cathedrali ecclesiae Portus Augustae. *Port Augusta (Oceania).*

19. — Nominationes

Decretis S. Congr. de Prop. Fide nominati sunt:

20 apr. 1934, R. P. Joannes Forest Hogan, O. F. M., Superior eccles. missionis sui iuris de Bellary. *Bellari (India).*

28 maii 1934, R. P. Caietanus Pasotti, e Pia Soc. Sal., primus praefectus ap.cus de Rajaburi. *Rajaburi (Pen. Malacca)*

22 iun. R. P. Henricus Piérard, e Pia Soc. Presbyt. ab Assumptione, Superior ecclesiast. missionis de Beni. *Beni (India).*

22 iun. 1934, R. P. Gulielmus Lumley, e Soc. Lugdunensi Miss. ad Afros, Praefectus ap.cus de Jos. *Jos (Africa Centr.)*

14 iul. 1934, R. D. Aloisius Santa, ex Inst. Miss. a Consolata, Praefectus ap.cus de Kaffa. *Kaffa (Etiopia).*

14 iul. 1934, R. P. Philippus Winterle, e Congr. a Spiritu Sancto, Praefectus ap.cus de Benue. *Benue (Nigeria. Africa).*

26 oct. 1934, R. D. Marcellus Paternot, e Soc. Miss. Africae, Praefectus ap.cus de Bobodjoulasso. *Bobo-Dioulasso (Alta volta, Africa).*

26 oct. 1934, R. D. Iacobus Moynagh, e Soc. S. Patricii, Praefectus ap.cus de Calabar. *Calabar (Nigeria. Africa).*

9 nov. 1934, R. D. Paulus Hugentobler, e Sem. helv. Bethleemensi pro miss. ad ext., Praefectus ap.cus de Tsits. *Tsits (Manciùcuo).*

10 dec. 1934, R. D. Bernardus Franciscus Mayer e Soc. de Maryknoll, primus Praefectus ap.cus de Wuchow in Sinis. *Wuchow (Cina).*

20. — Necrologium

New Orléans (S. U. A.).

Melfi, Rapolla e Venosa (Italia).

Oviedo (Spagna)

Segna e Modrussa (Jugoslavia).

Macerata e Tolentino (Italia).

Ermopoli Magg. (Minieh) dei Copti (Egitto).

Madras (India).

Shrewsbury (Inghilterra).

Fargo (S. U. A.).

Westminster (Inghilterra).

Wellington (Oceania).

Chillán (Chile).

S. Angelo in Vado e Urbania (Italia).

Fagaras e Alba Giulia (Romania).

2 nov. 1934, D. Ioannes Gulielmus Shaw, Archiepiscopus Novae Aureliae.

6 nov. 1934, D. Aloysius Dell'Aversana, Episcopus Melphiensis, Rapollensis et Venusinus.

6. nov. 1934, D. Ioannes Baptista Aloysius Perez, Episcopus Ovetensis.

24 nov. 1934, D. Ioannes M. Starcevic, Episcopus Seniensis et Modrussensis.

26 nov. 1934, D. Aloysius Ferretti, Episcopus Maceratensis et Tolentinus.

30 nov. 1934, D. Franciscus Aemilius Bistauros, Episcopus Hermopolitanus Coptorum.

12 dec. 1934, D. Eugenius Méderlet, Archiepiscopus Mandraspolitanus.

17 dec. 1934, D. Hugus Singleton, Episcopus Salopiensis.

19 dec. 1934, D. Iacobus O'Reilly, Episcopus Fargensis.

1 ian. 1935, E.mus D. Card. Franciscus Bourne, Archiepiscopus Westmonasteriensis.

3 ian. 1935, D. Franciscus M. Redwood, Archiepiscopus Wellingtonensis.

6 ian. 1935, D. Martinus Rücker, Episcopus de Chillan.

16 ian. 1935, D. Aloysius Iacobus Baccini, Episcopus S. Angeli in Vado et Urbaniensis.

25 ian. 1935, D. Basilius Suciu, Archiepiscopus Fagarasiensis et Albae Iuliensis.

PARS ALTERA

MONUMENTA

21. — S. Congr. Rituum

Decretum 3 Martii 1935.

DE « TUTO » IN CANONIZATIONE BB. MARTYRUM FISHER ET MORE.
(*Ex actis authenticis*)

Westmonasterien. Canonizationis Beatorum Martyrum IOANNIS Cardinalis FISHER, Episcopi Roffen. et THOMAE MORE magni Angliae Cancellarii.

Super dubio. *An stante evidentia martyrii tum materialiter cum formaliter spectati, et ideo obtenta a Sanctissimo dispensatione a signis seu miraculis,* TUTO *procedi possit ad solemnem eorumdem Martyrum Canonizationem.*

Quantum deploranda sit discissio gentis Anglorum ab unitate fidei.

Maximas inter aerumnas, quae, in tot aestuantibus per saeculorum decursum procellis, Ecclesiam Dei afflixerunt, accensenda profecto est lacrimabilis illa discissio, quae nobilem Anglorum gentem ab unitatis apostolicae centro per vim avulsit. Equidem si gens illa, quae proximis hisce saeculis terra marique tam late protulit imperium, genuinam, quam a Gregorio acceperat, fidem Christi una secum in suis commigrationibus adduxisset, facile est coniicere quanto ampliora incrementa Christi regnum per orbem cepisset.

Compensatio quaedam ex fortissimis martyribus.

Verum occulta nimis et *inscrutabilia sunt iudicia* Dei *et investigabiles viae eius.* Attamen et in tanta iactura non defuit Ecclesiae suae benignissimus Deus, neque omnem resurrecturae fidei in ea inclita natione spem succidit. Suscitavit quippe Spiritus Eius ea temporum acerbitate in Anglia fortissimos Martyres, qui sanguinis testimonio non solum Ecclesiam nobilitarent, sed et Angliae, dilectissimae patriae suae, sollemne

inter quos eminent B. Ioannes Fisher et Thomas More.

monitum in aevum transmitterent de pristina vera fide misere amissa, deque ea generoso animo recuperanda. Altius prae ceteris hoc inclamare nunc videtur Beatorum IOANNIS FISHER et THOMAE MORE non pressa mortis silentio vox, qui, quarto propediem recurrente saeculo a peracto martyrio, effusi sui sanguinis, non equidem ultionem, sed, ut Christus in Cruce, propitiationis fructum a Patre exquirunt. Huc spectat, provido Dei consilio, utriusque herois gloria, quam haec ipsa nostra acta proclamant.

De B. Ioanne;

Nobiliori ac veriori sanguinis sui purpura mox decorandus Beatus Cardinalis IOANNES FISHER, innocens pro Romani Pontificis primatu asserendo victima, divino Magistro quasi suggerente, in Eius incidit ex evangelio verba: *Ego te clarificavi super terram.... et nunc clarifica me tu, Pater.* (Io., 17, 4-5).

De B. Thoma.

Beatus THOMAS MORE, et ipse hanc claritatem sibi obventuram praesentiens, Regi et carnifici gratos sui animi sensus deprompsit, quod martyrii palma insignem se eadem de causa faceret; quasi uterque iam tum prospiceret quo alto praeconio ex suo patibulo, quasi ex edita cathedra, romanam fidem suis civibus essent per saecula praedicaturi. Gloriam vero quae,

Gloria postuma usque crescens.

vix consummato martyrio, ambos totum per orbem, Deo dante, subsequuta est, non solum aetas non abolevit, sed ea, labentibus saeculis, vividiori luce refulsit, Romanis praesertim Pontificibus, Christi in terra Vicariis, vicem, pro meritis, rependentibus. Quos enim Paulus III sollemni elogio honestavit, quorum reliquias Gregorius XIII colendas permisit, quos Benedictus XIV amplissimis laudibus extulit, quos Leo XIII Beatorum numero accensuit, modo nutu tuo, Beatissime Pater, ad supremos Canonizationis honores, primi inter Anglos post luctuosum saeculi XVI discidium, plaudente orbe, properare videntur.

Erunt primi ex Anglia canonizati post discidium saec. XVI.

Universale Angliae gaudium.

Iure autem merito prae ceteris gaudio gestit generosa Anglorum gens prope universa, quae tantos filios, animi magnitudine, divina humanaque scientia, vitae sanctitate eius aetatis clarissima prae ceteris lumina, exaltari in Ecclesiae firmamento conspicit. Re quidem vera, non catholici tantum, sed et acatholici plures, scientia et dignitate praeclari, uti innumera documenta testantur, una nobiscum exultant, tantam utriusque pugilis virtutem demirantes. Faxit Deus, ut hi ceterique omnes, quos fraterna dilectione complectimur, et ipsi, avitam gloriam instaurantes, ad matris Ecclesiae redeant unitatem.

Votum ut ad matris Ecclesiae redeant unitatem.

Avita gloria catholica Angliae.

Avitam inquimus gloriam, maxima enim Anglicae Ecclesiae tribuenda gloria, quod catholicam fidem a Romana Eccle-

sia tam largiter hauserit, ut, fere vix a suscepto Evangelio, non pauca constituerentur monasteria, pietatis atque doctrinae domicilia, quae paulo post, non intra tantum Angliae fines, sed et ad alias Europae regiones, lectissimos fructus attulerunt. Porro insignis Ecclesiae Docotr S. Beda, Alcuinus, S. Bonifatius, S. Willibrordus, S. Burchardus, plurimique alii natione Angli, doctrina, vitae sanctitate, apostolicis muniis, martyrio, cum Romana Sede arctissimo vinculo devincti, catholicam fidem illustrarunt et propagarunt. Hanc susceperunt Beati nostri nobilem hereditatem, qui Romanae fidei docti, invicti, fortissimi assertores, mortem oppetentes, ne turpiter foedifragi Regis placitis obsequerentur, paternarum traditionum gloriam intemeratam servarunt: Iudae Machabaei exemplum sequuti, qui gloriosam mortem, prae turpi fuga suadens inclamabat: *moriamur in virtute propter fratres nostros et non inferamus crimen gloriae nostrae.* (I Mach. IX, 10).

Martyres imitati sunt Iudam Machabaeum.

Sicut vero Christus de seipso dixit, ut in hodierna liturgia legimus, *tradetur gentibus.... et occident eum et tertia die resurget,* ita et nostri athletae, *conformes* facti *imaginis* Christi, passi quidem et mortui sunt, sed iam ad gloriam et in terris veluti resurrexerunt, et ad ampliorem mox assequendam festinant. Etenim utriusque herois probata martyrii undequaque spectati evidentia, et a Ss.mo D. N. concessa a signis seu miraculis omnique alia opportuna et necessaria dispensatione, quod nuper decretum est, ut ad ulteriora procedi quivisset, discutiendum a S. C. erat dubium: *An, stante evidentia martyrii et causa martyrii tum materialiter cum formaliter spectati, et ideo obtenta a Sanctissimo dispensatione a signis seu miraculis,* TUTO *procedi possit ad solemnem eorumdem Beatorum Martyrum Canonizationem.* Dubium hoc in Generali Sacrorum Rituum Congregatione, coram Ss.mo D. N. Pio Papa XI, die 19 nuper elapsi mensis habita, R.mus Cardinalis Raphaël Carolus Rossi, Causae Ponens seu Relator, proposuit. Cui R.mi Cardinales, Officiales Praelati et PP. Consultores unanimi affirmativo suffragio responderunt: Beatissimus vero Pater suffragia haec summo animi gaudio excepit quidem, iudicium tamen Suum aperire ad hanc diem 3 Martii mensis anno 1935, Dominicam in Quinquagesima distulit, preces interim ad Deum luminum Patrem effusurus. Quapropter R.mos Cardinales Camillum Laurenti, S. R. C. Praefectum et Raphaëlem Carolum Rossi, Causae Relatorem, necnon R. P. Salvatorem Natucci Fidei generalem Promotorem meque infrascriptum Secretarium acciri mandavit, sacroque Eucharistico sacrificio pientissime litato, edixit:

Passi et mortui, iam resurrexerunt ad gloriam et in terris.

Dubium de « Tuto » 19 ianuarii propositum in S. Congr. Rituum obtinuit unanime suffragium.

SS. iudicium suum aperire ad 3 Martii mensis distulit,

Nunc edixit « Tuto » procedi posse ad BB. Martyrum canonizationem.

TUTO *procedi posse ad Beatorum Martyrum* IOANNIS *Cardinalis* FISHER, *Episcopi Roffensis, et* THOMAE MORE, *Magni Angliae Cancellarii Canonizationem.*

Mandatum SS.i.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta S. R. C. referri mandavit.

Dies (3 mart. 1935).

Datum Romae, die 3 Martii a. D. 1935.

CAMILLUS Card. LAURENTI, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

ALFONSUS CARINCI, *S. R. C. Secretarius.*

22. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Allocutio in Consistorio secreto 1 april. 1935

DE CANONIZATIONE ET DE PRAESENTIBUS ADIUNCTIS

(Ex *Osservatore Rom.* 1-2 april. 1935)

Venerabiles Fratres,

Speciale rerum momentum peculiariter SS. D. gratum efficiunt consistorium.

Pergratus Nobis nullo non tempore accidit frequens hoc in amplissimo loco conspectus vester, quo totius orbis terrarum studium expectatioque quodammodo vos comitantur. At in praesens commune eiusmodi studium expectationemque eventa adaugent tam magni equidem momenti, ob dissimiles sane causas diversaque rerum adiuncta, ut immerens personae Nostrae humilitas praepedire nequeat, quominus eadem in Ecclesiae universaeque hominum consortionis annalibus inscribantur.

Praecipua causa convocandi fuit ut sententia Patrum rogetur de canonizandis BB. Martyribus Card. Fisher et Thoma More. Quod non soli Anglorum genti sed universae Ecclesiae catholicae faustum ac felix fore confidit.

Quod primum Nostro obversatur animo, quodque una Nobiscum ubique gentium christifideles omnes praestolantur, praecipua causa est, quare vos hodierno die coram convocavimus; ut scilicet sententiam vestram, ex Apostolicae Sedis more institutoque, rogemus de beatis martyribus Ioanne S. R. E. Card. Fishero Episcopo Roffensi, ac Thoma Moro Magno Angliae Cancellario, sanctitudinis palma decorandis. Laetum id sane faustum ac felix non modo dilectissimae Nobis Anglorum genti, verum etiam Catholicae Ecclesiae universae futurum omnino confidimus. Alter enim sacrorum administrorum, alter laicorum hominum praeclarum decus est atque ornamentum. Quam ob rem si eorum virtutum laudes, si martyrium ob sanctissimas Dei Ecclesiaeque leges et praesertim ob supremam Romani

Pontificis in spiritualibus auctoritatem, ab iisdem tam strenue factum in sua luce collocentur, exemplum habent utriusque ordinis fideles, quod summopere admirentur sibique ad imitandum proponant. At iis potissimum hanc faustitatem fore frugiferam speramus, qui horum beatorum martyrum et patriam et sermonem et gloriam peculiari titulo participant. Novimus siquidem legitimam hanc honoris amplificationem, suis civibus tribuendam, Anglos praesertim efflagitare incensoque animo opperiri; novimus eosdem acriore quodam studio, Nostra hac aetate, ad avitam fidem ferri ac revocari, inque Apostolicam hanc Sedem, quae christiana praecepta christianumque cultum in Britanniam primum invexit, quaeque, dum acatholicae sectae in discidium quotidie magis disgregantur, unum extat columen ac firmamentum veritatis; novimus denique — atque gratissima adhuc subit recordatio animum — flagrans eiusmodi unius Ovilis desiderium luculenter ipsos esse testatos, cum, sacro humanae Redemptioni anno vertente, frequentissimi ex Anglia ad Almam hanc Urbem singulatim turmatim confluxissent. Impetrent igitur a Deo — quod enixe precamur optamusque — beati hi Caelites suorum civium menti voluntatique lumen ac gratiam, ut sollemnis, quae in Vaticanae Basilicae maiestate proxime agetur, consecrationis eventus quam plurimis stimulos adiiciat ut — exploratis satius Catholicae Ecclesiae doctrinis — ad eam sanctorum altricem ac matrem admirationis studio moveantur. Aliud praeterea est, Venerabiles Fratres, quod heic silentio praeterire nolumus; beatos scilicet hos martyres, quarto exeunte saeculo a gloriosa ipsorum morte, ad Coelitum honores evectum iri, cum maximum extra ordinem lubilaeum ad omnes catholici orbis gentes productum in eo sit ut feliciter expleatur; ita ut Sanctorum ordini, quos recens militanti Ecclesiae imitandos proposuimus, videantur ipsi veluti coronam imponere. Quandoquidem vero sempiterna coeli beatitudo patriae caritatem nedum minuat adauget, haud dubium est eos auctiora in dies prosperitatis incrementa genti suae conciliare, hac praesertim faustitate cum per amplissimas anglici imperii regiones quintum summis laetitiis faustisque ominibus celebretur lustrum, ex quo supremus Britannicae ditionis Moderator regium atque imperatorium diadema suscepit.

Uterque utriusque ordinis fideles exemplo suo alliciunt, sed maxime Anglis sperat SS. D. faustitatem fore frugiferam. Angli maximo ardore cupiunt suis civibus hanc honoris amplificationem, ac magis ad avitam fidem feruntur. Hoc significarunt cum frequentissimi Urbem per annum sanctum confluxerunt.

Votum et precatio Pontificis pro Anglia.

Cum beatitudo caeli non minuat sed patriae caritatem adaugeat, ipsi sancti genti suae auctiora in dies prosperitatis incrementa in hoc quinto lustro ex quo regium et imperatorium diadema supremus moderator suscepit.

Quodsi haec quae adhuc, etsi breviter, attigimus, gaudio perfundunt animos, quod praeclariore luce ea commonstrant, quae hominum mentes maxime recreant, nobilitant et ad egregia facinora excitant; at cum ad teterrimum illud convertimus oculos rerum omnium discrimen — oeconomicarum dicimus,

Simul cum gaudio isto discrimen rerum et quae formidantur in posterum summo afficit moerore.

politicarum, ac potissimum in genere morum — quo universus paene terrarum orbis in praesens conflictatur, et ad ea vel funestiora, quae in posterum formidantur, est profecto cur summo moerore afficiamur. Etenim, dum detrimenta ac damma, quae ex saevissimo Europae bello paucis ante annis composito eruperunt, nondum resarcire licuit, iam tetra caelum offunditur nube, iamque subiti ignes formidolose coruscant caliginemque secant; quae quidem omnia suspensos ac trepidos hominum animos tenent. Ita profecto ut divina illa Iesu Christi verba menti Nostrae obiiciantur: « Audieritis praelia et seditiones... Et pestilentiae et fames, terroresque de caelo et signa magna erunt... Arescentibus hominibus prae timore et expectatione quae supervenient universo orbi » (*Luc. XXI, 9 sq.*). Haud miramur igitur si undique populi, in tot rerum angustiis tantaque « pressura gentium » (Ibid.), ad communem Patrem oculos intendant, lucis, solacii speique aliquid impetraturi. Cui Nos filiorum expectationi cum, pro facultate, respondere cupiamus, paternum animum Nostrum, trepidum equidem, sed miserentissimi Dei auxilio fidenter innixum aperire volumus. Iamvero, si nullo non tempore homines christianae spei virtute indigent, at ad eam, hac praesertim tempestate, acriore studio se convertant oportet; pro certo habentes se suaque omnia divino nutu gubernari. Animorum igitur anxietudo hac virtute conquiescat; eamque excipiat ac sequatur sedula ad misericordiarum Patrem supplicatio, ut tandem aliquando humanae genti meliora tempora arrideant. Quemadmodum Apostoli, feris fluctibus iactati ac paene mersi, Christum complorantes supplicarunt, ita nos omnes eorum precem geminemus: « Domine, salva nos, perimus » (*Mat. VIII, 25*), ut nobis etiam quandoque fiat « tranquillitas magna ». Cum vero qui ubique serpit, futuri belli rumor omnes potissimum commoveat et pavore summo percellat, rei consentaneum ducimus aliquid etiam adicere, quod apostolicum, quo fungimur, munus a Nobis postulare videtur. Iterum inter se digladiari populos, fraternum iterum cruorem effundi, ac terra marique coeloque ad caedem denuo vastitatemque omnia detrudi, hoc tam immane scelus esset vesanaeque mentis furor, ut fieri non posse omnino putemus, secundum effatum illud « Quae contra ius fiunt, nec fieri posse credenda sunt ». Nobis enim persuadere non possumus, quibus populorum prosperitas atque fortuna cordi esse debeant, eos sibi creditam gentem non modo, sed universam fere hominum consortionem ad excidium, ad ruinam, ad interitum esse compulsuros. Atsi aliquis — quod Deus avertat, quodque nun-

Nondum resarcire licuit damma recentis belli, cum novae minae suspensos et trepidos hominum animos tenent.

Undique populi ad Patrem communem oculos intendunt. Ut eorum exspectationi respondeat, animum suum aperire vult:

Virtute spei animorum anxietudo conquiescat, eam sequatur sedula supplicatio ad Patrem misericordiarum; sicut apostoli nos geminemus istud, « Domine salva nos, perimus », ut fiat tranquillitas magna.

Atque adiciens ex apostolico munere, notat immanis sceleris qui auderent armis confligere.

Siquis infandum flagitium

quam eventurum confidimus — infandum eiusmodi flagitium moliri atque efficere sibi sumpserit, tum Nos contineri non possumus quin Omnipotentem Deum, precem illam iterando, moerenti animo rogemus: « Dissipa gentes quae bella volunt » (*Ps. LXVII, 31*). Quae quidem de morali novi cuiusque belli impossibilitate dicta sint; sed et ipsa ad physicas res quod attinet impossibilitas in asperrimis huius aetatis adjunctis et Nobis et multis manifesta apparet.

moliri et efficere sibi sumpserit, non posset Pontifex continere se ab iteranda prece: Dissipa gentes quae bella volunt.

Ceterum ad moralem novi belli impossibilitatem additur materialis.

In tanta hac tristitia temporum — quae deteriorum etiam timorem inicit — ut benignissimus Deus eorum praesertim mentes superna sua luce collustret, quorum in manibus est populorum temperatio atque fortuna, iam Nos, uti nostis, Veverabiles Fratres, superiore mense lanuario, publicas in triduum supplicationes indiximus Lapurdi habendas, quibus iussimus etiam ut christifidelium omnium preces, vel ex dissitis terrarum regionibus, coniungantur. Cui celebritati et Nos ipsi pro Nostra in Immaculatam Virginem pietate proque grato Nostro in Deum animo ob cumulatissime partum Anni Sancti decursu coelestium fructuum thesaurum, per Legatum Nostrum quodammodo praesentes esse volumus. Namque nullo prorsus aptiore modo sacrum Divinae Redemptionis annum concludendum putavimus, quam si ad prodigiale Massabiellense specus eucharisticum sacrificium per continentes dies noctesque tres summa pietate celebretur. Etenim sacri eiusmodi ritus immolationem illam incruento modo renovant, quam Redemptor noster e cruce pendens Aeterno Patri pro nobis obtulit. Idque ad Deiparae illius Virginis aram eveniet, cui perdolenter adstanti Unigenitus Filius humanam Familiam veluti matri concredidit. Faustissimis igitur diebus illis admirantium multitudini Calvariae spectaculum quasi conspiciendum dabitur; eidemque multitudini Lapurdense specus novum Golgotha videbitur divino cruore irroratum. Fore propterea confidimus ut uberibus eis salutis fructibus, quos per sacri huius temporis spatium colligere datum est, vel copiosiores adiiciantur, ac pacis iris, Immaculata Virgine deprecante, tandem aliquando laboranti humano generi affulgeat.

Commendat iterum sollemnes supplicationes Lapurdi habendas. Non putavit esse modum meliorem concludendi sacrum Divinae Redemptionis annum, quam per tres dies et noctes celebratum sacrificium. Specus novum Golgotha videbitur divino cruore irroratum.

Fore confidit ut tandem aliquando laboranti generi humano pacis iris affulgeat.

ANNOTATIONES

Praeclara allocutio S. Pontificis simul tractat argumenta quae raro coniunguntur. Laetus de fausto eventu proximae canonizationis praeclarorum marty-

rum Angliae, gravis et paterne commotus malis quae mundo timenda sunt haec avertere ut Pontifex et Pater communis conatur.

I. De priore argumento notanda est hortatio, plena spe, ut Anglia redeat ad commune ovile Christi.

II. De altero observes quae Pontifex agit qua apostolico munere insignitus et quae humana coniectura subiungit.

Ut Pontifex, maxima sollemnitate damnat quemlibet qui infando flagitio novi belli in praesentibus adiunctis se reum efficeret, moerenti animo, si id eveniret, iterando precem: « Dissipa gentes quae bella volunt ». Statim addit coniecturam qua ut homo pronuntiat sibi ut multis apparere bellum materialiter impossibile.

---

23. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Motu proprio 21 dec. 1934

DE COMMISSIONE PRO RUSSIA DEQUE LITURGICIS RITUS SLAVICI LIBRIS EDENDIS

(A. A. S., 1 mart. 1935, XXVII, 65)

PIUS PP. XI

Sollicitudo SS. D. de angustiis terrenis maxime autem de morali calamitate Russiae.

Quam sollicita animi benevolentia in Russiarum populos feramur, ea non modo declarant, quae vel loquendo, vel scribendo protulimus, sed ea potissimum etiam quae in afflictae illius gentis bonum, occasione data, gessimus. Quodsi illae tantopere terrenarum rerum angustiae Nos habuere anxios, at tristi, qua eadem premitur, in genere morum calamitate multo quidem acrius affecti sumus; atque adeo eiusmodi detrimentis vel impensiore usque studio — pro facultate Nostra — solacium ac remedium afferre contendimus. Quam ad rem Nobiscum peculiari modo allaboravit Nostra, quam abhinc decem fere annos constituimus « *Commissio pro Russia* »; cui quidem per Litteras motu proprio datas negotia et causas demandavi-

Utilis opera in id collata Commissionis pro Russia.

mus « quae ad Russos pertinent, sive ad eos qui in patrio solo degunt, sive ad eos qui extorres procul domo versantur » (1). Uberes sane fructus ex actuosa istiusmodi apostolatus opera, opitulante Deo, colligi potuisse, per hoc haud mediocre temporis intervallum experti sumus, quandoquidem e Russis non pauci esuriunt et sitiunt iustitiam. Ad quod sanctissimum inceptum provehendum non parum contulit dociliis ea magnaeque utilitatis alacritas venerabilis fratris Michaelis d'Herbigny, Episcopi titulo Iliensis, cuius hac in re singularis peritia, pastoralis industria, generosumque enituere studium. Attamen, cum adiutrix huius Praesulis desierit tamque utilis opera, itemque aliorum, quorum navitate iure meritoque nitebamur, cumque in dies augescat labor, novaque poscat proposita atque incepta, opportunum duximus ita huius operis ordinationem aptare, ut satius succrescentibus usque necessitatibus respondeat, utque omnia providentia sua ne careant.

Egregiae partes susceptae ab Ep. Mich. d'Herbigny.

Cessante hac opera et augescente labore nova ordinatio facienda est.

Itaque, re mature perpensa, motu proprio ac certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine statuimus ac decernimus ea tantummodo negotia et causas, quae ad Russos pertinent, qui in patrio solo degunt, « Commissioni pro Russia » reservare ac concredere, incolumi tamen Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali auctoritate ac iure ad normam canonis 257. Ut vero hoc tanti ponderis tantaeque gravitatis opus invigilantibus ac moderantibus immediate Nobis, prouti fieri potest, peragatur, statuimus ut « Commissio » eadem Sacrae Congregationi a negotiis ecclesiasticis extraordinariis adhaereat; cuius proinde qui a secretis est, « Commissionis » huius una simul praeses esto.

Solae res Russorum in patrio solo reservantur Commissioni pro Russia, salva auctoritate S. C. pro Ecclesia Orientali: commissio adhaerebit S. Congr. a negotiis extraordinariis secretariis cuius secretarius erat simul praeses Commissionis.

Decernimus itidem ut apud Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali peculiaris constituatur « Sectio », iis quidem omnibus addicta, qui, ubicumque terrarum degentes, ritum slavicum (quem slavicum-byzantinum vocant) profiteantur, atque ideo iis quoque e Russiarum gente, qui extorres procul domo versentur, quique adhuc usque « Commissioni pro Russia » subiiciebantur. In hanc porro *Sectionem* adlegi poterunt, si res ferat, Consultorum munus obituri, nonnulli ex earum dioecesium Episcopi, in quorum dicione memoratus ritus usurpatur. Quae profecto omnia idcirco efficienda iubemus, quod sollicite vigilanterque servatam volumus gloriosam Catholicae Ecclesiae *traditionem*, cuius in veritatis luce miro quodam modo rituum varietas renidet, quasi modulatae unius concentus voces, quae

Peculiaris sectio apud S. C. pro Eccl. Orient addicta erit omnibus qui ritum slavum profitentur et etiam Russis extorribus.

Servanda est traditio de incolumi servando ritu proprio.

(1) Cfr *Acta Ap. Sed.*, 1930, p. 153.

Id advertant filii longe adhuc aberrantes paterna domo.

ad caelum ex terris efferuntur. Ii igitur filii Nostri, qui longe adhuc, proh dolor, e paterna domo aberrant, animadvertant iterum atque perpendant integram iisdem, si ad Nos redeant, facultatem fore sui cuiusque ritus splendorem incolumem prorsus asservandi, qui profecto ob aviti sermonis caeremoniarumque vetustatem felicissima ea tempora in mentem redigit, cum una fide, uno ovili unoque Pastore universus laetabatur christianus orbis. Ac tantopere Nobis cordi est ut ritus slavicus-byzantinus servetur sospes, ut etiam — cum in comperto habeamus eos e filiis Nostris, qui hoc ritu utuntur, liturgicis indigere libris — Nobis decretum sit hoc genus libros, nulla interposita mora, esse in lucem edendos. Id igitur efficiendum concredimus Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali, quae in rei huiusmodi praeparatione curationeque illos accipiat consilii laborisque socios, qui praecipua, in re tanti momenti, doctrina polleant, studiosaque praestent voluntate.

Sine mora S. C. pro Eccl. Orientali curabit editionem librorum liturgicorum.

Benevolentia etiam seiunctis filiis.

Quae porro decernentibus Nobis in animo est, ut iterum indidem non modo filiis Nostris, qui ad ovilis unitatem rediere, sed iis etiam qui seiuncti a Nobis sunt, actuosa eniteat Catholicae Ecclesiae benevolentia, paternaque pateat sollicitudo Nostra.

Clausula.

Quaecumque vero a Nobis, hisce Litteris motu proprio datis, statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Dies (21 dec. 1934).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXI mensis Decembris, anno MDCCCCXXXIV, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XI

---

24. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

De actione catholica

EXCERPTA EX VERBIS QUAE 14 MART. 1935 DIREXIT AD ALUMNOS SEMINARIORUM ET COLLEGIORUM EXTERORUM URBIS.

Officium centrale actionis catholicae italicae, promovit in Pont. Universitate Gregoriana speciales lectiones de actione catholica. Lectiones participarunt circa 400 alumni, quorum plures erant iam sacerdotio aucti. Praeterea circa 90 alumni Collegii Pii Latini Americani audierunt in proprio Instituto lectiones de eodem argumento.

Hos omnes una cum pluribus Praelatis et magistris S. Pontifex excepit die 14 martii huius anni eosque post humanissimam introductionem sic fere allocutus est.

Ex textu italico quem sumpsit ephemeris l'Avvenire d'Italia *16 martii, haec latine conversa damus lectoribus nostris.*

Laus scholae de actione catholica habitae.

Pontifex significaverat lectiones de actione catholica, magnificatos et bene explicatos a tam bonis et illustribus magistris, praelatis quae artem sapienter dirigendi possederunt et possident, qui tam prope Papae adstant, tam prope non tantum vicino loco sed etiam paterna dilectione ex parte ipsius. Lectiones describebant puncta ista quae ipse potuit gustare in libello quo indicabatur ordo praelectionum; et modica meditatio sufficiebat ad declarandum magnum, acquisitum, amplum pretium visitandi istam scholam; praelectionum enim series valebat pro vero thesauro veritatum, doctrinae traditae, distributo modo tam praeclaro et cum tanta capacitate magisterii, et seminato in terra optime praeparata et ampla ad eum recipiendum. SS. Pater volebat bene in luce ponere istam peculiarissimam bonam dispositionem ad recipiendas istas lectiones, istam magnificam terram, idoneam recipiendo semini verbi tam benefici et illuminati sicut Praelatorum istorum, vere optimorum magistrorum. Ante tam mirabile spectaculum, notandum erat illos dilectissimos iuvenes potuisse esse obiectum sanctae invidiae; sed magis poterant invidere magistris ipsis quia raro contingit ut professores insignes habeant auditores, alumnos tam bene praeparatos et dispositos.

Laudat audi tores; laudat magistros.

De lectionibus pauca addenda.

Ita satis se prodibat quibus affectibus paternis SS. suos filios videbat et salutabat; simul significabat pauca admodum addi posse ad ea quae audita et excepta fuerunt in lectionibus de actione catholica et reducta in forte et virile compendium ex ipsa magnifica audientia; nihilominus Sanctitas Sua putabat se posse utile quidpiam memorare et suggerere.

Utile existimabat repetere ipsam definitionem actionis catholicae, atque inde colligere corollaria.

Inter res maxime utiles est referre animum ad fontes. Cum agatur de actione catholica, SS. D. monebat, proponebat velle se referre ad conceptum primitivum et fundamentale. Ponamus nos, dicebat subridens, in iisdem adiunctis S. Ioannis, qui in gloriosa sua longinqua aetate, suis iunioribus discipulis indesinenter repetebat, assiduitate quae fortasse nimia videbatur, memoriam divina praecepti caritatis. Iam etiam Papa, quod ad actionem catholicam utile putat ut repetatur primus conceptus, ipsa definitio Actionis catholicae. Est ipsa cooperatio laicorum ad apostolatum hierarchicum; et haec ipsa defi-

nitio, haec ipsa prima notio offert deductiones quae, quia proprie radicem attingunt, sunt verissimae, utilissimae, maxime necessariae, et semper praesentes servandae sunt.

Haec duplicis sunt generis.

Aliae deductiones respiciunt subito proprie dictam Actionem catholicam; aliae deductiones, peculiari modo ad istud attinent quod cari iuvenes esse promittunt in tam amplo gradu et cum fervore tam alto.

Admissi ut sint optimi assistentes,

Se praeparant ut sint elementa directiva primi ordinis, boni assistentes, assistentes conscii et eruditi. Iam prima deductio quae spectat ipsam essentiam Actionis catholicae, indicatur ipsa ratione cur sit ius essendi Actionis catholicae, in perfecta coordinatione et in perfecta subordinatione laicatus sub hierarchia. Admittitur laicatus ad apostolatum hierarchicum, ad istum apostolatum quem Divinus Redemptor divinitus instituit et collocavit in sua Ecclesia: ecce veritas manifesta, maxime pro eo qui, in acquisitione sacrae scientiae mentem exercere solet. Alia deductio, quae ad ipsam essentiam Actionis catholicae recognoscitur, fit de necessitate, de principio essentiali, conformatione apostolica eorum qui volunt esse elementa operantia et zelantia Actionis catholicae. Manifestum est ipsos habere debere praeparationem apostolicam. Quaenam autem erat nisi quam Salvator indicavit, in primis vita sua, annis quibus se praeparavit ad apostolatum evangelicum; nisi quam ipse divinus Redemptor indicavit Apostolis, antequam ipsos mitteret ad spargendum bonum nuntium per universum orbem?

opus habent praeparatione apostolica.

Apostolus fide et caritate nutriendus est, proinde vitam agere debet precum, orationis assiduae.

Apostolus esse debet homo fidei, homo ardentis caritatis, vere « amicus » Domini Nostri, amicus istius Domini cuius ibit diffundendo nomen et zelando gloriam et honorem ut semper magis dilatetur, ut ubique regnum propagetur. Ipse Dominus istud significabat quando cum dulci appellatione amici vocabat: « Vos autem dixi amicos ». Apostolus debet nutriri fide et amore; fidei autem et amoris est alimentum commune, necessarium, indispensabile in vita pietatis, orationis quam Dominus Noster se demonstrat tam sollicitum ut suis ipsis Apostolis ostenderet: ista assiduitas in precibus, oratione, quae dat vitam interiorem: quid est haec nisi vita nutrita pietate et oratione? Hoc SS. Pater numquam non repetit et indicat inter ipsa fundamenta Actionis catholicae, apostolatus, quia est ipsa basis omnis vitae apostolicae. Actio catholica est actio apostolica, propositum habet ducendi animas ad Deum et ferendi Deum animis.

Actio catholica est aliena a partibus politicis,

Actio catholica igitur et « politica » intellecta de partibus, de politica partium, coexsistere nequeunt, quia politica partium est necessario stans ab aliqua parte, necessario limitata, neces-

sario divisa inter partes. Dum nota fundamentalis apostolatus hierarchici, voluta et creata a Domino, est ut superet pede sereno omnes res terrestres, omnes curas et considerationes terrestres, ut declaret, sicut facit Apostolus, se esse « debitorem omnibus » neque esse unam distinctionem « inter graecos et barbaros », sed omnes animas esse aequales coram Deo, et Deum esse inter animas. Consulto Beat.mus Pater dixerat, politicam partium, minime, i. e. nullatenus politicam partium; sed cum agitur non de politica partium sed de politica secundum sensum etymologicum vocis; quando agitur de « polis »; quando agitur de dicendo, procurando bono omnium, de bono communi, tunc ista cura non est aliena ab Actione catholica sed est obligata, sicut est ipsa caritas quae obiectum habet multos, omnes.

sed minime a politica quae intendit, procurat bonum commune.

Volebat quoque B. Pater indicare aliam deductionem quod ad specificos respectus istorum iuvenum, speciatim pro tempore quo militabunt in acie Actionis catholicae occupando functiones ad quas ab episcopis vocabuntur. Voluere bene praeparare se ad istam vocationem, et ideo merentur propter eorum zelum ad penetrandum semper magis, semper melius cognitionem et essentiam Actionis catholicae, elogium et laudem paternam, sicut merentur propensam voluntatem Cordis divini: et inde clarum est omnes qui copiam habent ipsos imitatum esse, quia in omnibus vocationibus habetur ardens desiderium apostolatus quo divinum Redemptionis opus ubique propagetur.

Alterum corollarium est ut apostolatum colant usque ad sacrificia semper maiora.

Manifestum et necessarium est ut tam laudanda participatio Actionis catholicae a voluntariis qui ei adhaerent iam hodie et magis in futurum, postulet contributionem semper crescentis devotionis, actionis, operositatis, usque ad sacrificia non levia, sicut ceterum iam nunc factae lectiones demonstrarunt: hae requisiverunt applicationes additas applicationibus, studia specialia addita studiis communibus normalibus. Agedum maior etiam erit applicatio et abnegatio, crastina die, quando disciplina superiorum iuvenes hodiernos in amplis locis laboris et ministerii collocabit. Tunc etiam necessaria erit maior attentio, maior spiritus sacrificii; quia ultra laborem cotidianum postulabuntur alia sacrificia, non solum difficiliora, ingentia, sed ea vitae cotidianae, quae vocari possunt omnis horae, omnis momenti.

In primis exerceant apostolatum exempli vitae vere sacerdotalis.

Isti conceptus plus quam omnis alius exigebant alteram basim fundamentalem ut labor in Actione catholica sit efficax: id est oportet ut ad merenda ineffabilia praemia divina in isto campo, omnium primum exerceatur apostolatus exempli, ac proin, in nostro casu specifico, apostolatus sanctitatis sacerdotalis. Haec forma apostolatus certo a nulla alia superatur, quia

sub oculis omnium praebet spectaculum semper apertum fidei verae, sanctitatis aedificantis: cum his obtineri possunt successus superiores omni alii formae actionis.

Haec necessitas aedificationis sacerdotalis, vitae sacerdotalis exemplaris, - sic insistebat S. Pater, - erit semper elementum essentiale et fundamentale, opportunum. Liquet ex natura ipsa actionis quam sunt vocati ad exercendam ut assistentes, directores, postulari contactus continuos ex parte sacerdotum in variis dominiis, in variis sectionibus quibus ipsa Actio catholica componitur. « Non datur actio in distans », et ibi est proprie beneficum secretum quo laicatus cum ministerio sacerdotali, cum Hierarchia fervide coniungitur. Verum iste continuus contactus postulat semper maiorem, intimiorem virtutem et sanctitatem sacerdotalem: et proprie in ista consuetudine quae dici potest cotidiana, detegitur et notatur ista exemplaris oratio vitae eorum qui eam participant.

Cum animi satisfactione memorabat testimonia de bonis meritis laicorum qui se dant actioni catholicae.

Placebat Sanctitati suae memorare, hoc dicto, testimonia quae undique ad ipsum perveniunt quibus sacerdotes atque etiam Episcopi testantur ipsos saepe manere aedificatos, et quasi modo exspectationem superant, proprie ex parte fidelium, ex parte laicorum, in quibus zelus, abnegatio spiritus orationis attingunt gradus qui obiectum admirationis efficiunt praecise sacerdotis et Episcopi. Res pulcherrima: significat et aperit novam visionem immensam boni quod verificatur praecise ex benefica efficientia Actionis catholicae, ex benefica efficientia ministerii sacerdotalis, exempli sanctitatis sacerdotalis, quae novit et potest efficere praecise effectus tam altos et beneficos.

Brevis summa dictorum.

Ecce, subiungebat S. Pater, meditationes quae non sunt academicae sed excellenter practicae et vere pretiosae ut modo peculiari commendentur. Ideo placebat ipsi ea spiritui et cordi eorum dilectorum filiorum memorare, recogitando praecise eorum voluntariam assiduitatem, lectiones de Actione catholica, quae cordi suo paterno tantam laetitiam procuraverant. Meditationes istae semper utiliter et cum consolatione identidem revocantur, quia revera verum thesaurum constituunt, stationem boni, sani, deliciosi alimenti spiritualis. Ideo Augustus Pontifex amabat renovare praesentibus propriam laudationem et augurium ut cum labore praestito et actione proposita in futurum, futuri semper sint obiectum specialium gratiarum, immo efficient delicias divini Cordis.

Benedictio Apostolica.

In fine Sanctitas Sua dabat praesentibus Benedictionem Apostolicam non tantum eorum personis sed etiam eorum formationi Romanae Sanctitatis, vitae interioris et scientiae, etiam

si est scientiae sacrae, Volebat SS. Pater benedictionem specialem singulis turmis impertire: uniuscuiusque familiis, cognationibus, et patriis, quae quo magis distantes eo cariores sunt, singulis dioecesibus, amatis pastoribus, Episcopis, et, ne multa, omni rei quam cogitatio et cor uniuscuiusque complectebantur et cupiebant benedicta esse manu ex corde paterno.

ANNOTATIO

Verba ista SS. Patris hoc speciale habent quod non tam in explicanda actione catholica versantur, sed potissimum urgent conformationem supernaturalem eorum qui in vita sacerdotali dirigenda habebunt agmina laicorum quibus participatio offertur apostolatus hierarchici. Habemus igitur hic documentum pretiosum pro moderatoribus Actionis catholicae.

Ac virtutes quae commendantur etiam praeservant assistentes sacerdotes a periculis quae ex familiari contactu cum laicis facile oriuntur.

---

25. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola 18 oct. 1934.

AD R. P. AUGUSTINUM GEMELLI, O. F. M., CATHOLICAE STUDIORUM UNIVERSITATIS A SACRO CORDE IESU RECTOREM MAGNIFICUM EUNDEMQUE MODERATOREM COMMENTARII « RIVISTA DI FILOSOFIA NEO-SCOLASTICA ».

(A. A. S., 1 mart. 1935, XXVII, 76)

PIUS PP. XI

Progressus commentarii « Rivista di Filosofia Neoscolastica ».

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — **Summa animi** delectatione litteras excepimus, kalendis huius mensis a te datas, una cum volumine, quod inscribitur: « Indirizzi e conquiste della Filosofia Neoscolastica ». In comperto enim est, uti praeclaris hisce documentis confirmatur, quantum perfecerit itineris, quantaque fructuum ubertate ditatum sit istud, cui diligenter praees, commentarium, « Rivista di Filosofia Neo-

scolastica » nuncupatum, cui ipse fel. record. Leo XIII viam quodammodo straverat, primo abhinc quinque et viginti annos in vulgus editum, et benevolentia favoreque Pii X sanctae memoriae exornatum commendatumque. Et sane: quum eiusmodi commentarium exortum est, ut philosophiam Neoscholasticam excoleret, novas profecto vires novumque addidit incrementum Scholasticae ipsi philosophiae, quae tunc in publicis Italiae scholis et institutis vel superioribus neglecta iacebat, haud raro contempta et despecta, atque in privatis paene scholis et academiis catholicis abdita latebat. Nunc vero luce et palam loquitur, infirma adversariorum argumenta refellit, et admirationem saepe excitando, complurium philosophorum, in publicis quoque coetibus, oculos et mentes ad se convertit. Quare, dum recentiora philosophorum commenta, quae permagni antea habebantur, hodie labefactari videntur, haec sana et perantiqua philosophia, ad novas etiam quaestiones solvendas peridonea, perpetua florens viriditate, magis magisque in dies vim ac robur nanciscitur. Neque mirum; haec enim tot tantorumque sapientium ac doctorum scientia, mediam profecto tenens viam inter extremas, quae ad sinceram hominis naturam integre spectat, quaeque eximiam veterem doctrinam cum cognitionibus rerum divinitus revelatis mira ratione coniungit, et mentes hominum illustrando animos pariter movet ad bonum recte persequendum, haec, inquimus, philosophia perennis, ceterarum scientiarum, altrix atque moderatrix, civilisque omnis cultus admodum fecunda, hoc unum gestit, sicut ipsa Christi religio, ne ignorata damnetur. Maxima itaque laus commentario isti tribuenda est, quod tantam veritatis lucem et splendorem inter sapientiae cultores propagaverit, et, Catholicae istius Universitatis primum germen exsistens, tot adulescentium animos impulerit, ut ex uberrimis doctrinae fontibus, praecipueque ex Angelico Doctore, solidissima argumenta haurirent, sive ad supernarum rerum notitiam altius perdiscendam, sive ad fallaces adversariorum sententias efficaciter redarguendas. Quapropter commentarii istius scriptores, imprimisque eius moderator, non modo de scientiarum profectu deque civili cultu, sed de ipsa quoque vera religione deque universa Christi Ecclesia praeclare omnino meriti sunt. Libenti igitur laetoque animo, haec omnia memorantes, tibi, dilecte fili, ceterisque commentarii scriptoribus animum Nostrum admodum gratum paterne profitemur, atque exoptatam gratulationem meritamque laudem publice planeque significamus. Incepto igitur nobilissimo instate, et alacriores effecti ulterius pergite. Ipsa autem tot fruc-

Iacenti philosophiae scholasticae incrementum dedit.

Mediam tenens viam, eximiam veterem doctrinam cum cognitionibus rerum divinitus revelatis coniungit.

Laus commentario tribuitur.

Scriptores etiam de vera religione et universa Ecclesia praeclare meriti sunt.

Gratus congratulatur SS. D. hortatur ut perseverent et optat ut Deus ipsis magis magisque adsit.

tuum, quos hactenus percepistis, suavis recordatio, Nostra quoque erga vos benevolentia et favor, maximeque vero Dei honor eiusque Ecclesiae incrementum novas vobis addant vires et stimulos, ut cuncta vestra studia, labores et vigilias magno animo persequamini. Deus, omnium scientiarum Dominus, caelesti semper lumine vobis praesentissimus adsit, ut labores vestri etiam in posterum fecundentur et largiore etiam successu augeantur. Hunc vobis ominamur amplissimum; cuius quidem auspex sit apostolica benedictio, quam peculiaris dilectionis Nostrae testem tibi, dilecte fili, commentarii scriptoribus eiusdemque sociis atque studiosis universis peramanter in Domino impertimus.

Benedictio Ap.ca.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis Octobris, in festo S. Lucae evangelistae, anno MDCCCCXXXIV, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Dies (18 oct 1934).

PIUS PP. XI

26. — Sacra Congregatio Rituum

Decretum 19 ian. 1935

VARIATIONES FACIENDAE IN RUBRICIS BREVIARII AC MISSALIS ROMANI

(A. A. S., 1 mart. 1935, XXVII, 3)

I. — IN BREVIARIO ROMANO

1. Post Duplicia I classis primaria ponatur:

« *Duplex I classis secundarium.*

Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. »

Addendum in Brev. Rom.

2. Inter Duplicia II classis secundaria expungatur idem Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., et in fine addatur « Festum Maternitatis B. Mariae Virg. ».

Mutatio inter Duplicia II cl.

3. Die 30 Iunii, post Nonam Commemorationis S. Pauli Ap., ponatur: « Vesperae de sequenti, sine ulla Commemoratione ».

Die 30 iun.

4. Die 1 Iulii, post Orationem de I Vesperis Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., expungantur omnes Commemorationes.

Die 1 iul.

Eadem die, post Orationem de Laudibus, dicatur: « Ad Laudes tantum fit Commemoratio diei Octavae S. Ioannis... ».

Eadem die, post Nonam, ponatur:

« In II Vesperis.

Omnia ut in I Vesperis, sed loco ultimi Psalmi, dicitur Psalmus 147 *Lauda, Ierusalem, Dominum.*

℣ *Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni.*

℟ *Quos pretioso Sanguine redemisti.*

Ad Magnif. Ant. *Habebitis autem... sempiterno.*

Et fit Commemoratio tantum sequentis, ut infra.

Completorium de Dominica, et conclusio Hymni ut in Communi Festorum B. Mariae Virg. ».

Die 2 iul.

5. Die 2 Iulii, in festo Visitationis B. Mariae Virg., post verba: « In I Vesperis » ponatur:

« Quando dicendae sint integrae, Antiphonae de Laudibus, Versus et reliqua ut infra.

Ant. *Beata es... alleluia.*

℣. *Benedicta tu in mulieribus.*

℟. *Et benedictus fructus ventris tui.*

Oratio *Famulis tuis... Per Dominum* ».

Et post hanc Orationem expungantur omnes Commemorationes.

II. — IN MISSALI ROMANO

Mutanda in Missali Rom.

Die 1 Iulii, in Oratione Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. expungantur signa parenthesis quoad verba « solemni cultu ». Post rubricam « In Missis votivis... » ponatur: « Et in Missis privatis tantum, fit Commemoratio diei Octavae S. Ioannis ».

URBIS ET ORBIS

Decretum ex facultatibus specialibus.

Aucto ritu festi Pretiosissimi Sanguinis D. N. Iesu Christi, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XI tributarum, suprascriptas variationes approbavit, illasque in futuris editionibus Breviarii et Missalis Romani inserendas mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Ianuarii 1935.

Clausula. Dies (19 ian. 1935).

C. Card. Laurenti, *Praefectus*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius*

27. — Pont. Commissio. Interpr. Codici

Responsa ad varia dubia, 12 febr. 1935

(A. A. S., XXVII, 92, 1 mart. 1935)

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I - DE COLLATIONIBUS MORALIBUS

De collationibus moralibus.

D. An inter *curam animarum habentes*, de quibus in canone 131 § 3, recensendi sint religiosi sacerdotes, qui munere funguntur catechistae, vel vicarii cooperatoris, vel cappellani a parocho dependentis in nosocomiis aliisque piis domibus.

Responsum.

R. Negative quoad religiosos catechistas; affirmative quoad religiosos vicarios cooperatores vel cappellanos, si ad normam canonis 476 § 6 Codicis I. C., vicem parochi suppleant eumque adiuvent in universo paroeciali ministerio.

II - DE CONFESSIONE RELIGIOSARUM

De loco legitime designato ad confessiones religiosarum.

D. Utrum verba: *loco legitime destinato*, de quibus in interpretatione diei 24 novembris 1920 ad canonem 522, intelligenda sint tantum de loco habitualiter designato, an etiam de loco per modum actus designato vel ad normam canonis 910 § 1 electo.

Responsum.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III - DE ANNO NOVITIATUS

De anno noviciatus. Requiriturne indultum ut sit secundus.

D. I. An indultum apostolicum requiratur ut annus canonicus novitiatus de quo in canone 555 § 1 n. 2, transferri possit in secundum novitiatus annum iuxta § 2 eiusdem canonis.

II. An loci Ordinarius dispensare possit super secundo novitiatus anno, si hic in constitutionibus ad professionis validitatem non requiratur ad normam canonis 555 § 2.

Resp. Affirmative.

R. Ad I. Affirmative.

Dispensatio secundi anni noviciatus. Responsa ad I, ad II. Dies (12 febr. 1935)

Ad II. Affirmative, dummodo agatur de Religionibus iuris dioecesani.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 12 mensis Februarii anno 1935.

† A. Card. SINCERO, Episcopus Praenestinus, *Praeses.*
L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Canon 131 § 3, ad participandas collationes ordinatas ab Ordinario loci obligat religiosos etiam exemptos, qui *curam animarum habent*, immo etiam omnes approbatos ad confessiones audiendas, si collatio casuum in eorum domibus non habentur.

Inde dubium exortum est quinam *curam animarum habere* censeantur.

De ipsis parochis dubitatio esse nequit. Sed distinguendo parochos et Vicarios parochorum, a Vicariis parochorum, seu missionum, hanc qualitatem abiudicavimus. Cfr *Theol. mor.* III, 47, VERMEERSCH-CREUSEN, *Epit. iur. can.* I, 250. Consideremus enim diversam rationem qua Codex de utrisque loquitur. Can. 451 expresse affirmat curam animarum, in parocho, dum de Vicario cooperatore, can. 476, § 6 dicit eum, ratione officii vicem parochi supplere; et § 7 monetur parochus ut vicarium paterne instruat et dirigat « in curis animarum ». Qui pro alio agit titulum alius habere non censetur. Praeterea, can. 615, Regulares... ab Ordinario iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis ». Quaestio igitur esse potest, estne hic etiam exemptio late interpretanda an potius obligatio c. 131, § 3.

Ac Pont. Commissio, cedens, ni fallimur, instantiis Ordinariorum Anglorum, pro lata interpretatione obligationis respondit. Quocirca, ad quaestionem « an inter *curam animarum habentes,* de quibus in can. 131 § 3 recensendi sint religiosi sacerdotes, qui munere

funguntur catechistae, vel vicarii cooperatoris, vel cappellani a parocho dependentis in nosocomiis aliisque piis domibus »; Pont. Commissio respondit: « Negative quoad religiosos catechistas, affirmative quoad religiosos cooperatores vel cappellanos, si ad normam can. 476 § 6 Codicis I. C. vicem parochi suppleant eumque adiuvent in universo paroeciali ministerio ».

Catechistas non esse intellegendos, satis manifestum est: ipsi enim mere doctrinam explicant ac nihil commune habent cum directione animarum.

Ratio maioris concordiae et uniformitatis in directione fortasse Pont. Commissionem impulit ut vicarios comprehensos censeret.

Quocirca debebunt etiam vicarii cooperatores assistere collationibus communibus cleri dioecesani, nisi tamen « a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint ».

II. Canon 522 ita a Pont. Commissione intellectus est « ut confessiones ...licitae et validae sint, dummodo fiant in ecclesia vel oratorio etiam semi-publico aut in loco ad audiendas confessiones mulierum legitime designato ».

Iam quaesitum est utrum locus qui per modum actus tantum sit designatus vel ad normam can. 910 § 1 electus, etiam hic intellegendus sit.

Responsum affirmativum prorsus respondet menti S. Sedis, quae est ut religiosis monialibus quoque accessus ad confessarium facilior reddatur. Norma autem can. 910 haec est, ut confessiones feminarum extra sedem confessionalem ne audiantur, « nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit ». Postulatur igitur vera necessitas, et ut observentur cautelae ab Ordinario praescriptae, si quaenam sint.

III. Ex modo quo Codex, art. II, c. 2, P. II agit de noviciatus institutione et regimine, satis clare indi-

cat eum modum esse regularem ut ab initio noviciatus novicii probentur, variaque exercitia peragant quibus secundum vocationem suam bene procedere addiscant. Quare ut aliquid absonum existimaretur ut regulariter ab altero anno tantum instituerentur et minus probati ad ea applicarentur quae priorem educationem praesupponant.

Succedunt tamen casus quibus rationabili exceptioni datur locus. Sit v. g. novicius qui in medio anno suae primae probationis morbo vel alia causa involuntaria cogatur ultra triginta dies extra noviciatum manere, estne secundum aequitatem ut redux omnino tractetur ut is qui nihil vitam religiosam expertus sit? Nonne tunc is modus rationabilis videtur, ut post reditum peragat noviciatum, menses autem iam antea transacti in spatio duorum annorum supputentur? Ac nullus textus Codicis imponit sub nullitate ut prior annus sit canonicus. Attamen aliae rationes praeter iustas impellere possunt Superiores ut praemittant secundum annum, ad complenda quaedam studia; et necessitas cito habendi religiosos promptos ac paratos ipsis suadent ut, neglecta perfectiore formatione, ordinem duorum annorum praevertant. Quare bene intellegitur voluntas S. Congregationis ut possit ipsa iudicare de causis ita agendi. Quare responsum est opus esse indulto ut possit in secundum annum transferri quod regulariter in primo praestandum est. Non vetatur inversio sed postulatur prudentia practica in ea permittenda. Indultum autem requiri videtur ad valorem: sine indulto enim dicitur non posse fieri istam mutationem.

2. Petitur dein utrum Ordinarius dispensare possit super secundo noviciatus anno, si hic in Constitutionibus ad professionis validitatem non requiratur ad normam can. 555 § 2.

Responsum est distinguendo religiones iuris dioe-

cesani et religiones iuris Pontificii. Atque admissum est id ab ipso fieri posse, si agitur de Religionibus iuris dioecesani. Cum non agatur de derogando iure Codicis et ipsae Constitutiones non exigant duos professionis annos ad valorem, recte intellegitur dispensationem istam non excedere potestatem eius qui habet auctoritatem principalem in Instituta iuris sui dioecesani.

IV. *Observanda*. Quod ad tertium responsum, cum hic saltem dissipetur obscuritas et contra dicatur sententiae probabili, responsum istud non habet effectum retroactivum. Quare nulla ratione inquietandi sunt qui fecerint professionem simplicem transferendo sine indulto annum canonicum in secundum annum (cfr can. 17 § 2). Verum applicatur iam noviciis qui adhuc probantur. Hi enim nullum ius acquisitum habent. Ergo pro ipsis erit indultum postulandum.

Quod ad primum responsum, definitur ius cappellani dependentis a parocho. Quid autem de cappellano qui a parocho non dependeat?

Si suppleat Superiorem regularem qui habeat curam animarum quamvis non sit parochus, videtur exemptus si collationes habeantur in domo regulari.

ACTA SUMMATIM RELATA

28. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Praefectura in Vicariatum ap.cum erigitur.

A. Bulla, *Magno perfundimur*, 1 febr. 1934, praefectura apostolica de Celebes, in Malesia, in vicariatum ap.cum provehitur, erigitur ac constituitur, eodem illius nomine finibusque servatis (*A. A. S.*, XXVII, 67).

Erectio Capituli cathedralis.

B. Bulla, *Inter ceteras*, 10 febr. 1934, in cathedrali Ecclesia Maramuresensi Rumenorum, Presbyterium seu Capitulum tenore praesentium erigitur ac constituitur (*A. A. S.*, XXVII, 68).

Praefectura in vicariatum ap.cum erigitur.

C. Bulla, *Quae ad latius*, 26 febr. 1934, praefectura ap.ca de Navrongo in Africa, ob magnum in ea et fidelium numero et fidei fervore augmentum atque ob eiusdem peculiaria territorii adiuncta, in vicariatum ap.cum erigitur (*A. A. S.*, XXVII, 70).

Novi vicariatus ap.ci erectio.

D. Bulla, *Maiori catholicae*, 26 febr 1934, e vicariatu ap.co de Leopoldville, in Congo Belgico, de Majumbe regio seiungitur ac separatur, eaque in novum vicariatum ap.cum, *de Boma* nuncupandum, curisque Missionariorum de Scheut committendum, erigitur ac constituitur (*A. A. S.*, XXVII, 72).

E. *Litterae de patrono:*

B. M. V. patrona oppidi « Ibi » declaratur.

Brevi, *Dioecesis Valentinae*, 26 mart. 1932, Caelestis Patrona oppidi « Ibi », intra fines dioecesis Valentinae Hisp., declaratur B. M. V. sub titulo Desertorum Matris (*A. A. S.*, XXVI, 649).

F. *Litterae de ecclesia:*

Templum Basilicae minoris insignis decoratur.

Brevi, *Refert ad Nos*, 26 mart. 1932, templum S. Marthae, in civitate episcopali eiusdem tituli, Basilicae minoris insigniis decoratur (*A. A. S.*, XXVI, 650).

G. *Litterae de vicariatu ap.co:*

Mutatio finium.

Brevi, *Vicariatus Apostolicus*, 26 mart. 1932, fines immutantur inter vicariatum apostolicum de Jehol et praefecturam ap.cam de Szepingkai. (*A. A. S.*, XXVI, 651).

29. — S. C. Consistorialis.

Tolosana ecclesia aliquot titulis condecoratur.

Decreto, 19 ian. 1935, Tolosana archiepiscopalis ecclesia titulis quoque ecclesiarum episcopalium S. Bertrandi de Comminges et Rivenae condecoratur (*A. A. S.*, XXVII, 78).

30. — S. C. Pro Eccl. Orient.

Decreto 10 febr. 1934, ex novem decanatibus una cum eorundem paroeciis, a dioecesi Presmiliensi Ruthenorum, *Lemkowszczyzna* avulsis, Administratio ap.ca erigitur, *Lemkowszczyzna* nuncupanda (*A. A. S.*, XXVII, 80).

Novae administrationis ap.cae erectio.

31. — S. C. Rituum.

Causae canonizationis et beatificationis:

Policastren. Decretum 27 ian. 1935, super virtutibus in causa Ven. Servi Dei Dominici Lentini, sacerdotis saecularis (*A. A. S.*, XXV I, 82).

Ven. S. D. Dominicus Lentini.

32. — Provisio Ecclesiarum.

Ex Consistorio secreto die 1 aprilis 1935 habito:

R. D. Arthurus Hinsley, metropolitanae ecclesiae Westmonasteriensi. — *Westminster (Inghilterra).*

R. D. Marius Toccabelli, metropolitanae ecclesiae Senensi. — *Siena (Italia).*

R. D. Ioannes Capobianco, cathedralibus ecclesiis S. Angeli in Vado et Urbaniensi. — *S. Angelo in Vado e Urbania (Italia).*

R. D. Iosephus Americus Orzali, metropolitanae ecclesiae S. Ioannis de Cuyo. — *S. Giovanni di Cuyo (Argentina).*

R. D. Firminus Lafitte, metropolitanae ecclesiae Cordubensi in America. — *Cordoba (Argentina).*

R. D. Nicolaus Fasolino, metropolitanae ecclesiae S. Fidei in Am. Sept. — *S. Fè (Argentina).*

R D. Gabriel Reyes, metropolitanae ecclesiae Nominis Iesu vel Caebuanae. — *Nome di Gesù o Cebù (Is. Filippine).*

R. D. Iosephus Franciscus Rummel, metropolitanae ecclesiae Novae Aureliae. — *New Orléans (U. S. A.).*

R. D. Aloysius Mathias, metropolitanae ecclesiae Madraspolitanae. — *Madras (India).*

R. D. Franciscus Cléret de Langavant, cathedrali ecclesiae S. Dionysii. — *La Reunion (Africa).*

R. D. Raphaël Ubertus Dignan, cathedrali ecclesiae S. Mariae Ormensis. — *Sault S.te Marie (U. S. A.).*

R. D. Enricus Pla y Deniel cathedrali ecclesiae Salmantinae. — *Salamanca (Spagna).*

R. D. Michaël De Sanctis Diaz y Gomara, cathedrali ecclesiae Carthaginensi in Hispania. — *Cartagena (Spagna).*

Lerida (Spagna). R. D. Salvius Huix Miralpeix, cathedrali ecclesiae Illerdensi.

Plasencia (Spagna). R. D. Felicianus Rocha Pizarro, cathedrali ecclesiae Placentinae Hisp.

Huesca (Spagna). R. D. Linus Rodericus Ruesca, cathedrali ecclesiae Oscensi.

Oviedo (Spagna). R. D. Iustus Antoninus Echeguren y Aldama, cathedrali ecclesiae Ovetensi.

Linares (Chile). R. D. Ioannes Supercaseux Errazuriz, cathedrali ecclesiae de Linares.

Vera Paz (Guatemala). R. D. Aloysius Montenero y Flores, cathedrali ecclesiae de Vera Paz.

Temuco (Chile). R. D. Alphridus Silva Santiago, cathedrali ecclesiae de Temuco.

33. — Nominatio.

Ex decreto S. C. pro Eccl. Orient.

Administrator Ap.cus. 11 dec. 1934, R. D. Basilius Masciuk, Administrator Ap.cus pro fidelibus ritus graeco-rutheni, in *Lemkowszczyzna* (Polonia) renunciatus est.

BIBLIOGRAPHIA

I. - *Ex Libris*

Tummolo-Jorio. (S. I.) — *Compendium Theologiae moralis* iuxta methodum Ioannis Petri Gury S. I. ad normam C. I. C. redactum a Raphaële Tummolo S. I. Editio quinta quam recognovit, emendavit et auxit Thomas A. Iorio S. I. Vol. II. Pars prima. Vol. (17×25), XI-278 pag. M. D'Auria, Neapoli, 1935.

Tract. X. De Statibus particularibus - XI. De Sacramentis in genere et sacramentalibus - XII. De Baptismo. XIII. De Confirmatione. XIV. De Eucharistia.

Carlos Hamilton D., (D. I. C.) — Lecciones breves de Pedagogia Catequística. A. D. MCMXXXV. Santiago de Chile.

Vol. 67 p. Imprenta de San José. Av. Condell, 50. 1935.

Introducción: importancia; el Catequista: Los niños. Organización y disciplina. Didáctica catéquistica. Metodología. Los procedimientos. - Plan de una clase. - La memoria. - La Historia. - La liturgia y el canto sagrado. - Catequesis y vida cristiana. - Realidad y Perseverancia.

J. Busquet - J. Garcia. - Bayon (e C. F. I. C. B. M. V.) — *Thesaurus Confessarii* seu brevis et accurata summula totius doctrinae moralis. Editio nona, secunda post codicem. Vol. (10,5×16,5) 942-XVI pag. Colaboración Cultural, S. A. (Coculsa), Madrid, 1934.

I. De principiis generalibus: De actibus humanis. De conscientia. De legibus. De peccatis. — II. De virtutibus theologalibus: De fide. De spe. De caritate. — III. De praeceptis decalogi et Ecclesiae: De primo praecepto. De secundo praecepto etc. De sexto et nono praeceptis. De septimo et decimo praeceptis. De octavo praecepto. De praeceptis Ecclesiae. — IV. De praeceptis statuum vitae: De statu religioso. De statu clericali. De officiis quorumdam saecularium. — V. De sacramentis: De Sacramentis in genere. De Baptismo. De Confirmatione. De Eucharistia. De Paenitentia. De Extrema-Unctione. De Ordine. De Matrimonio. — VI. De delictis et poenis. Appendix I: De Bulla S. Cruciatae. Appendix II: Facultates. Appendix III: Privilegia ac facultates Americae Latinae.

Emmanuel Gisquière (O. Praemonstr.). *Tu autem o homo Dei....* Introductiones de Sacerdotio. Ad diaconos in sacro secessu ordinationi presbyterali praevio constitutos. In usum quoque sacerdotum exercitia spiritualia annua aut quotidiana instituentium. Vol. (17 × 24), 346 pag. Ex typis abbatiae Averbodii in Belgio, 1934.

Proemium - Exercitium praevium - Exercitia sex dierum - Appendix.

Anscar Vonier (O. S B.). *The Victorie of Christ.* Vol. (11, 5 × 19) VIII-180 pag. Burns Oates & Washbourne Ltd., London, 1934.

The Mystery of Christ's Glorification - An Historical Survey - The Fact of Christ's Victory - The Meaning of Christ's Victory - The Enemies - The Destruction of Sin - The Victory over Death - The Triumph over Satan - The Answer to the Main Objection - The Standard of Victory - Christ's Superiority - Christ's Certainty - Christ's Glorification through the Holy Ghost - Christ's Victory and the Church - Christ's Sovereignty over All Flesh - Christ's Victory and the Church's Persecutions - The Eucharist, the Monument of Christ's Victory - The Behaviour of the Believer in Christ's Victory - The Religion of Victory - The Victory of the Christian - Epilogue.

*** *Semaines Sociales de France. Nice XXVIe session 1934 : Ordre social et éducation.* Compte rendu *in extenso* des Cours et Conférences. Vol. (14, 5 × 23) 550 pag. Gabalda et Cie, Lyon.

Lettre de S. Ém. le Card. Pacelli. Cours: Par l'Éducation, vers l'Ordre social chrétien - L'Éducation au service des faux dieux - L'ignorance religieuse contemporaine - La Personne, fin de l'Éducation - La Charité, âme de l'Éducation - Les collaborations nécessaires sur le terrain de l'Éducation: Famille, Église, État, Profession - Une formule équivoque: la Sélection des Élites - Chez les Jeunes: formation religieuse et vie sociale - Chez les Adultes: développement de la culture religieuse et vie sociale - Une pédagogie sociale: l'Action catholique spécialisée - Comment préparer au ministère familial - Comment former l'esprit public - Les oppositions des professionnels à une morale professionnelle. Comment les écarter? Rôle éducatif de la Profession - Rôle social de l'École - La Presse (journal filmé et T. S. F.), responsabilités educatives - Les Ministères conquérants et l'Ordre Social Chretien - Conclusion de la Semaine. — Conférences: La Vocation chrétienne et l'Ordre social - Le problème des Humanités - De la Semaine Sociale de Grenoble (1923) à la Semaine Sociale de Nice (1934) -

Les élites ouvrières - De la question sociale au Tiers-Ordre - L'éducation sociale requise par l'Évangile. — Annexes: Titre des leçons d'information de la Semaine Sociale de Nice - Commission générale des Semaines Sociales de France - Comptes rendus anterieurs.

Hie onymus Jagen. *Das mystische Gnadenleben.* Dritte, neue bearbeitete Auflage. Vol. (13 × 19) XXXIII - 220 pag. Herausgeber und Selbstverleger. Trier, 1934.

Empfehlungen und Einleitendes - Das mystische Gnadenleben: I. Abschnitt: Allgemeines über Aszese und Mystik - II. Abschnitt: Einzelne mystische Gnaden - III. Abschnitt: Entwicklung des mystischen Gnadenlebens.

Gabriel Bouffier (S. I.). *La Venerable servante de Dieu Anna-Maria Taïgi.* D'après les documents authentiques du procès de sa béatification. Sixième édit. Vol. (12 × 19), XVIII - 282 pag. Téqui, Paris, 1935. 10 fr.

Introduction - Dans la vie d'Anna-Maria Taïgi, Dieu nous instruit - Anna-Maria pratique à un degré héroïque les vertus théologales - La maison de la servante de Dieu - La mission d'Anna-Maria - Le surnaturel dans la vie d'Anna-Maria - Anna-Maria pratique le détachement.

René Duverne. *Quand la tête est droite.* (Collection Vérité) 3e édit. Vol. (12 × 19), 52 pag. Téqui, Paris, 1935. 2 fr. 50.

Celui qui vient du ciel - L'enfance heureuse - Un entraîneur - Droit en avant!

A. M. P. Ingold. *Général et Trappiste. Le P. Marie-Joseph Baron de Géramb (1772-1848).* O virum, fide plenum et amore divino succensum (Greg. XVI). — Quatrième édit. Vol. (12×19), VII - 348 pag. Téqui, Paris, 1935.

Jeanne Moret. — *Par la Croix...* (Le Roman du Sacrifice) - Collection « Je sème », Série « Elite ». Vol. (12×19), 236 pag. Téqui, Paris, 1935. 10 fr.

Prologue: Le Directeur de la Revue Mauve - Henry Daunier - I. Odette et Geneviève Aubertin - Introïbo - L'aveu - Une Mère? Une soirée - L'Ensevelie - Claude Pérand - L'Offrande - La Croix - II. La descente - La Rencontre - L'Impasse - L'Abbé Fleury - Simple geste - En feuilletant - L'Appel - La Montée - La Messe - Credo - L'Aube - Per Crucem ad Lucem.

A. Forget (S. I.) — *Le Père Eudore de Vroye, S. I.* Avant-propos par le R. P. Jansen, S. I. Vol. (13.5 × 18.5), 184 pag. Museum Lessianum (séction ascétique et mystique n. 39) Louvain, 1934.

A. Vermeersch (S. I.) — *Katechismus der christlichen Ehe.* Nach dem Rundschreiben « Casti Connubii ». Deutsch von Iohannes Sternaux S. I. Vol. (13 × 19.5), 108 pag. Bonifacius-Druckerei, Paderbon, 1935.

Die Segensgüter in der Ehe - Der Krieg gegen die Ehe - Die Heilmittel.

Bartholomew T. Timlim (O. F. M.) — *Conditional matrimonial Consent.* An historical synopsis and commentary a dissertation submittet to the Faculty of Canon Law of the Catholic University of America in Partial Fulfillment of the Requirements for the Degree of Doctor of Canon Law by Bartholemew Timlim. Vol. (15 × 23), X-382 pag. The Catholic University of America, Washington, D. C. 1935.

The canonical evolution of the doctrine - Commentary of the present legislation - Appendix - Bibliografy. etc.

Iohannes Messner, (Dr.) — *Dolfuss.* Vol. (16 × 24) 160 pag. Verlagsanstal Tyriola, Innsbruck - Wien - Munchen, 1935.

Werden und Reifen - Vorgegebener Weg - Um die Freiheit im Inneren - Um die Freiheit nach aussen - Vaterland Oesterreich - Gesundende Wirtschaft - Berufsständische Ordnung - Christlicher Staat - Soziale Gerechtigkeit - Staat und Kirche - Oesterreich und Europa - Heldenhaftes Fürhertum - Einsames Sterben - Treue um Treue.

Carlos d'Eschevannes (Dr.) — *Le Merveilleux Corps Humain.* Anatomie et physiologie elementaires suivies de quelques conseils pratiques pour soins d'urgence. (Ouvrage orné d'un grand nombre de planches hors-texte). Vol. (14 × 22,5), XII - 220 pag. Téqui, Paris, 1934, 20 fr.

Principe fondamental qui devrait être inscrit en tête de toute anatomie. Considerations genérales sur le système nerveux périphérique - Organes des sens - Quelques conseils pratiques pour soins d'urgence: des empoisonnement. Des exercices physiques, aujourd'hui dénommés « Sports ». Principes élémentaires du massage. Note importante. Bref résumé.

II. - *Ex Periodicis.*

Apollinaris 1934. COUSSA. — De instructione S. C. Orientalis « De binatione in ritu Byzantino ». — TERZARIOL. An fideles Orientales extra proprium Patriarchatum adstringantur impedimentis matrimonialibus quae C. I. C. abrogavit pro fidelibus latinis. - DALPIAZ. De conceptu erroris communis secundum

c. 209. — *** Schemata relationum quae Congressui Iuridico Internationali proposita sunt. - Congressus Iuridicus Internationalis: Oratio a Summo Pontefice sollemniter habita in aula Beatifica tionum ad Congressum absolvendum. — (MAROTO). I. *Romana*, divisionis fructuum et distributionum choralium. II *Sedunen*, incardinationis.

The Clergy Review 1935. - I. B. Mc. LAUGHLIN (O. S. B.). Usury sub Iudice. — ARNOLD LUNN. The flight from pity. — ANDREW BECK (AA. B. A.). The reformation mind.

Collationes Gandavenses 1935. — O. SCHELFHOUT. De distinctione numerica peccatorum.

Collationes Namurcenses 1935. — A. CHARUE. Vie, Lumière et Gloire chez S. Jean *(a suivre)*. — F. QUESTIAUX. De gratia in corpore mystico. — E. RANWEZ. Error apud contrahentes. — E. VOOSEN. L'article 17 de la Constitution.

Collationes Tornacenses 1935. — A. PASTURE. Les dîmes paroissiales. IV. Les cimetières ruraux. — J. DERMINE. Grandeur et misère de la bourgeoisie. - Une nouvelle morale sexuelle (II). — L. DESCHAMPS. Les tests. — *** La persécution religieuse au Mexique.

Collectanea Mechliniensia 1935. — A. GOUGNARD. Les enseignements de l'Encyclique *Casti Connubii*. — M. DE FURSTENBERG. De Missa exsequiali. — DE WITTE. A propos du divorce de Napoléon.

Gregorianum. 1935. (Anno XVI. Volumen XVI.) — J. ZEIGER De iuris canonici ad Ecclesiae naturam habitudine. — B. SCHUSTER. Das Verbot der staatlichen Zwangs sterilisierung und das Prinzip der Güterabwägung. — SIWEK. La conscience de la liberté. — F. S. MUELLER. Die Unbefleckte Empfängnis der Gottesmutter in der griechischen Ueberlieferung. — S. TROMP. Conspectus chronologicus praelectionum quas habuit S. Rob. Bellarminus in Collegio S. I. Lovaniensi et Collegio Romano. — A. WILLWOLL. Entîwickelungswege zur neuen Psychologie. — P. D'ELIA. Alle origini del Clero indigeno nel Giappone e in Cina (1579-1600). — P. HOENEN. De termino « forma materialis. » — R. BIDAGOR. El Congreso iuridico iniernacional (Roma 12-17 nov. 1933).

Theologisch-praktische Quartalschrift 1935. — OTTO COHAUSZ (S. I.). Einige Randbemerkungen zum Vollkommenheitsstreben. — PHIL SCHMIDT (S. I.). Der moderne Aberglaube in seiner Verbreitung, seinen Wurzeln und Folgen. — P. GERARD OESTERLE (O. S. B). Weitergabe von Messtipendien. — Vier Fälle aus dem Osdensleben. — RUD. FATTINGER. Ist das che-

mische Verfahren nach Möslinger bei Meswein erlaubt? — VINCENZ FUCHS (Prof.). Rückgabe der Mitgift an die ausscheidende Klosterfrau. — *** Binationsvollmacht für den Herz-Jesu Freitag.

Nederlandsche Katholike Stemmen. - 1934. W. MULDER (Dr.) Dispensaties in het ieiunium eucharisticum. — *** Georganiseerde bestrijding der onzedelijke films. — 1935. S. L. JANSEN C. SS. R. Doopnamen. — De Leer van Christus mystiek lichaam toegepast op de Liturgie. I. — H. BEIJERSBERGEN, S. I. Einige vragen over rubrieken van een Hoogmis. II. — Huwelijksgeval in extremis. — *** Paus Pius XI over de Allerheiligste Maagd. — BERN. ALFRINK (Dr.) Quid mihi et tibi est? (Joh. 2, 4). — MULDER (Dr.) Bezitten de dekenaten kerkelijke en burgerlijke rechtspersoonlijkheid?

Život. - 1935. Fiat lux. Sv. Augustin i sv. Grgur Veliki o Primatu.

PARS ALTERA

MONUMENTA

34. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Constitutio Apostolica

DE PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(A. A. S., 25 mart. 1935, XXVII, 99)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Peculiaris sollicitudo de S. Paenitentiaria, cui coniunctae sunt indulgentiae.

Quae divinitus Nobis in Beato Petro Apostolorum Principe delata est summa ligandi solvendique potestas non potuit animum Nostrum, ex quo ad Summi Pontificatus fastigium provecti fuimus, ad Sacrum illud Tribunal non convertere per quod Romanus Pontifex hanc eandem potestatem, quam in Ecclesia obtinet, penitiore quadam ratione eaque ad salutem animarum uberrima, exercet: Sacram Paenitentiariam Apostolicam dicimus, cui commissae sunt hinc, tamquam Paenitentiae Sacramenti consectariae, intimae res et difficillimae quam quae maxime, in conscientiae penetralibus absconditae solique Deo cognitae; illinc indulgentiarum largitiones, quibus fidelibus facultas tribuitur recipiendi a Divina Misericordia paenarum remissionem, quae ob peccata commissa, eaque in confessione sacramentali iam quoad culpam deleta, solvendae remanent.

Amplissima Provincia commissa huic tribunali descripta a Benedicto XIV secreto et gratis peragenda.

Neque immerito. Nam Decessor Noster s. m. Benedictus XIV, cum de dignitate Sacrae Paenitentiariae ageret, haec nobis scripta reliquit: « Ideo praeter alia plura pro variis causarum generibus constituta Romanae Curiae tribunalia, voluerunt (Pontifices) imprimis iam inde a vetustissimis usque temporibus exstare in ea et numquam defecturum perpetuo conservari, instar fontis patentis domui David in ablutionem peccatoris, Apos-

tolicae Paenitentiariae Officium, ad quod universi fideles ex omni christiani orbis regione pro suis quisque spiritualibus morbis quamlibet occultis, sive per se sive per arcanas litteras, propriis etiam suppressis nominibus, tuto confugere possent et convenientem vulneribus medicinam secreta et gratuita curatione (qualis ab omnibus optanda foret) protinus consequerentur (1).

Normas innovare una cum Cardinali Paenit. maiore proponit SS. D.

Quapropter, cum Nos Ipsi, una cum dilecto filio Nostro Laurentio, tit. S. Pancratii, S. R. E. Presbytero Cardinali Lauri Paenitentiario Maiore, experiendo perspectum habuerimus, quali reverentia et quam exquisita cura hoc Nostrum Tribunal prosequendum sit, quasi ad denuo significandum quanta cum gravitate, prudentia mentisque acumine spiritualia fidelium negotia peragenda sint, quos Ecclesia Deo adducere enititur, modum et rationem definire et constituere decrevimus, quibus amplissimae et sanctissimae facultates, Sacrae Paenitentiariae can. 258 Cod. Iuris Canonici datae, sint adhibendae.

Negotiorum multitudo praesertim, ob perpetuam coniunctionem indulgentiarum, id etiam suadet.

Ad quod consilium ineundum eo magis compulsi sumus, quod necessarium id factu iudicavimus ob negotiorum agendorum multitudinem, ortam eam quidem cum e frequenti hominum inter se commercio, quod antiquis temporibus ne suspicari quidem quis potuerit, tum ex eo quod Indulgentiarum Officium a proximo Decessore Nostro s. r. Benedicto XV per Apostolicas Litteras Motu Proprio datas (2), Codice Iuris Canonici dein idem confirmante, perpetuo Sacrae Paenitentiariae adiunctum est; qua quidem adiunctione huius potestas ampliata atque etiam ad causas ad forum externum pertinentes producta est.

Maxime mentem convertit ad Const. « In Apostolicae », 13 apr. 1744, quae consuetudinibus est aliquantum immutata.

Cum autem Decessori Nostro, sanctae item mem. Pio X, in Const. *Sapienti Consilio* ad reformandam Curiam Romanam d. 28 iunii a. 1908 data, expedire visum sit, ad regimen Sacrae Paenitentiarae quod attineret, in memoriam revocare imprimis Constitutionem *In Apostolicae*, d. 13 apr. 1744 a praeclaro illo Pontifice eodemque Magistro Benedicto XIV editam, qua propriâ suâ atque singulari peritiâ, quam sibi usu comparaverat quo tempore Canonistae Sacri Tribunalis munere fungebatur, ipse in animo habuit « In Apostolicae Paenitentiariae Officio... rectissimam undequaque agendi rationem constabilire », (3) Nos quoque ad hoc sollemne documentum mentem convertimus; ab eoque solo principes harum litterarum lineas mutuamur, tam in notis propriis obligationibusque designandis Officialium,

(1) Const. *Pastor bonus*, 13 April. 1744.
(2) *Alloquentes proxime*, 25 Mart. 1917.
(3) Const. *In Apostolicae*.

quibus Sacra Paenitentiaria constat, quam in negotiorum tractatione definienda; in id unum, ob causas ante allatas atque ob alias quas exponere non vacat, intendentes, ut Constitutio *In Apostolicae,* quae iam a duobus fere saeculis exsistit, ad ea quae rerum usus et temporum rationes Nos docuerint magis accommódetur, quemadmodum idem f. r. Pius X animadverterat, attentis praesertim consuetudinibus, sensim sine sensu in hoc Sacrum Officium inductis, quae quidem eandem Constitutionem Benedicti XIV aliquantum immutarunt.

Decet hoc officium propria habere praeter ordinationes generales Cur. Rom.

Et re quidem vera, hoc Officium, quod propriam semper formam prae se tulit, cuique peculiare munus est demandatum, conscientias nempe in foro interno moderandi, id quod nulli alii Apostolicae Sedis Officio datum est, decet profecto etiam instituta et leges omnino propria habere, quamquam quod ad suam Officialiumque disciplinam attinet, et ad eam quidem solam, Sacra Paenitentiaria ordinationibus generalibus, quae pro Curia Romana vigent, obnoxia sit oportet.

Plenaria abrogatio omnium ordinationum, quae in praesentibus Litteris neque explicite neque implicite continentur.

Itaque, sententia eiusdem dilecti Filii Nostri Cardinalis Laurentii Lauri, Paenitentiarii Maioris, praehabita, ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, ac de Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, abrogantes ad normam can. 22 ordinationes omnes, quae his Litteris Apostolicis neque explicite neque implicite contineantur, statuimus et decernimus quae sequuntur:

Praeses est Card. Paenitent. maior.

1. — Sacrae Paenitentiariae, quae ad normam can. 258 Codicis Iuris Canonici duas sectiones habet, « Tribunal scilicet proprie dictum et Officium Indulgentiarum », praesidet eamque regit Cardinalis Paenitentiarius Maior.

Eius dignitas, necessitas. S. Pontifex omnia confirmat;

Non est hic cur de altissima dignitate Cardinalis Paenitentiarii Maioris agamus, qui ne defuncto quidem Summo Pontifice officio decedit et cuius praesentia in Apostolicis Constitutionibus (1) adeo necessaria habetur, ut, si Sede Vacante ipse moriatur, Sacrum Collegium de alio eligendo Cardinali providere debeat, qui Paenitentiarii Maioris potestatem habeat; quas ordinationes his Litteris Nostris plene confirmatas volumus; quemadmodum officia etiam confirmamus, quae ad eumdem pertinent, sive in delegandis Paenitentiariis Minoribus tam Romae pro Basilicis Patriarchalibus quam pro aliis Italiae Basilicis Nostrae iurisdictioni immediate subiectis, (2) sive in concedendis

etiam officia quae ad eumdem pertinet.

(1) Cfr Const. *In Apostolicae* Benedicti XIV et *Vacante Sede Apostolica* Pii X, d. 25 Dec. a. 1904, n. 12.

(2) Cfr Const. *In Apostolicae* et Const. *Quod divina,* d. 3 Maii 1933 et *Iam Annus,* d. 13 Iunii 1933.

Indulgentiis 300 dierum contactu virgae paenitentialis, (1) sive in celebrandis sacris sollemnibus in quibusdam Cappellis Papalibus, sive denique in spirituali ope summo Pontifici morienti pie ferenda: (2) sed illud praesertim in praesenti Constitutione animo proponimus, ut quem locum in Nostro Sacrae Paenitentiariae Apostolicae Tribunali regendo ipse obtineat, statuatur.

Ex quo electus a S. Pontifice et renuntiatus Paenitentiarius Maior, in Basilica Vaticana munus suscepit, ipse omnes facultates Sacro huic tribunali in se complectitur. Quare impeditus morbo vel alia causa, debet annuente S. Pont. deputare Cardin. Pro-Praefectum, qui proprio nomine easdem facultates exercebit. Curandum ut sit inter Cardinales S. Officii.

Electus a Pontifice e Cardinalibus S. R. E. et per Apostolicas Litteras in forma brevi renuntiatus, Paenitentiarius Maior, postquam in Basilica Vaticana peculiaribus peractis caerimoniis summum munus suscepit, amplissimarum facultatum Sacri huius Officii supremus moderator constituitur, et hoc nomine omnes et singulas facultates Sacro huic Tribunali datas ipse in se complectitur. Cardinalis Paenitentiarius Maior, quod quidem Benedictus XIV iam statuerat, « suum munus per seipsum exercere debebit »; (3) quare si quo impedimento ipse detineatur vel per aliquod temporis spatium Roma afuerit nec commode ipse adiri possit, eius erit, de consensu Summi Pontificis, alium Cardinalem deputare, qui, tamquam Pro-Paenitentiarius, ipsius vices gerat. Pro-Paenitentiarius vero iisdem facultatibus, quibus Paenitentiarius, erit instructus, easque « proprio nomine » exercebit. Ob rerum autem affinitatem curandum erit, ut ad hoc munus implendum aliquis eligatur, qui inter Eminentissimos Patres in Supremam Sacram Congregationem Sancti Officii cooptatos recenseatur.

SS. D. confirmat plene, retento nomine officiales maiores qui, excepto Regente, sunt inter se aequales. Theologus pertinet ad Soc. Iesu.

2. — Cardinalis Paenitentiarius Maior, in Sacrae Paenitentiariae regimine et in tractandis negotiis, opera definiti numeri Officialium Maiorum et Officialium Minorum utitur. Ad utramque vero eorum seriem determinandam, Decessoris Nostri Benedicti XIV Constitutionem *In Apostolicae* omnino redintegramus. Volumus igitur ut Officiales Maiores sint et maneant sex numero, vetusta sua quisque appellatione designati, quam ob historicam rationem retinemus, etsi eorum officia, pro nonnullis praesertim, titulo iam non apprime respondent; eosque omnes, uno excepto Regente, ad iura obligationesque quod attinet, hisce litteris in aequo inter se ponimus. Sunt autem: Regens, Theologus (quod quidem Officium ex privilegio reservatur Societati Iesu [4]) Datarius, Corrector, Sigillator, Canonista; qui omnes sunt vere Sacrae Paenitentiariae Apostolicae Praelati. Officiales

(1) Cfr Decr. S. Paenit. 6 Martii 1917.
(2) Cfr Const. *In Apostolicae*.
(3) Cfr Const. cit.
(4) Const. cit.

porro Minores sunt Secretarius, duo Substituti (alter pro Sectione Tribunalis, pro Indulgentiarum Sectione alter), ceteri denique omnes, quibus Protocolli (quod vulgo vocant), Rescriptorum conficiendorum ac Tabularii in alterutra Sectione cura commissa est. Sive ii qui Tabulariis praesunt, sive ii, qui Rescriptis conficiendis destinantur, pari habeantur dignitatis gradu. Atque ille prior, seu senior inter eos habeatur, ad omnes effectus quod attinet, qui antea fuerit Officialis Sacrae Paenitentiariae nominatus, nullo habito discrimine inter unam alteramve Sectionem. Qui quidem ordo ne immutetur, etiamsi aliquis ad aliud officium transierit, cum suae, tum alterius Sectionis. Quodsi nominationis scidulae eodem tempore exaratae fuerint, ille inter eos priorem locum obtineat, qui maior natu fuerit. Officiales quidem Maiores a Summo Pontifice per schedulam Secretariae Status nominantur, ad normam in memorata Constitutione *Sapienti Consilio* definitam; Officiales vero Minores per schedulam Cardinalis Paenitentarii Maioris.

Praeterea numerat officiales minores.

Qui pari habentur dignitatis gradu. Prior inter illos est Senior in officio dein aetate nullo discrimine sectionis.

Maiores nominantur a S. Pontifice per schedam Secr. Status. Minores per schedam Car. Paenit. Maioris.

Nominationis scheda accepta, Officiales Maiores, dum suum quisque munus suscipiunt, praeter fidei professionem, secundum formam a Pio IV et a Pio IX praescriptam, et iuramentum, de quo in Apostolicis Litteris Motu Proprio a Decessore Nostro f. r. Pio X datis (1), — ad normam Decreti S. Officii d. 22 martii 1918 (2) — coram Cardinali Paenitentiario Maiore, adstantibus aliis Officialibus Maioribus omnibusque Officialibus utriusque Sectionis, iusiurandum quoque a Benedicto XIV in Constitutione *In Apostolicae* statutum emittent. Officiales vero Minores Tribunalis tam fidei professionem quam iuramentum in Signatura dabunt. Impositum autem praeceptum iuramenti Sacrae Paenitentiariae proprii in prima cuiusque anni Signatura renovandi tam Maioribus quam Minoribus Officialibus ratum firmumque maneat.

Maiores praestant iuramentum in sollemni conventu. Minores in signatura.

Proprium iuramentum Paenitentiariae renovatur in prima anni Signatura.

3. Sex Officiales Maiores consessum seu consilium Cardinalis Paenitentiarii Maioris efficiunt; ideoque, non solum Regens, sed etiam alii quinque Praelati semper ad nutum Paenitentiarii Maioris praesto esse debent. Verum, praeter hoc consiliariorum Paenitentiarii Maioris munus, omnes et singuli, neque solus Regens, vere Officiales Maiores Sacrae Paenitentiariae habeantur, sicuti revera sunt, qui ipsum Regentem adiuvent, quoties ab illo, de consensu Cardinalis Paenitentiarii Maioris, vocati

Officiales maiores consilium Card. Paenitentiarii efficiunt substituuntque per vices impeditum Regentem.

(1) *Sacrorum Antistitum*, d. 1 Sept. 1910.
(2) Cfr *Acta Ap. Sed.*, vol. X, pag. 136.

fuerint. Immo, congruentem ordinationem Benedicti XIV (1) ab aliquo tempore aliquantulum obsoletam prae oculis habentes, statuimus ad quinque Praelatos supradictos pertinere, ut per vices in Regentis Officium sufficiantur, quando hic absit vel legitime impediatur, cum summi sane momenti res sit, eiusmodi Tribunal semper, ideoque etiam feriarum tempore, gubernari a Praelatis, Officialibus Maioribus, quos olim Benedictus XIV (2) non solum tamquam « vita moribusque integris ornatos », sicut de Officialibus minoribus agens dicebat, sed praeterea ut « eximia doctrina praestantes, casuumque conscientiae peritos » designabat, quosque Nos etiam virtute et doctrina omni exceptione maiores esse volumus. Officialis Maior, quamdiu Regentis vicem gerat, omnibus eiusdem facultatibus utatur.

Oportet itaque Regentem cum aliis quinque Officialibus Maioribus conveniens commercium habere praesertim cum illis ea omnia communicando, quorum notitia necessaria illis sit, sive ad Officii regimen sive etiam ad expedienda negotia, quando in Regentis munus substituendi sint.

Minores auxilium ferunt sine potestate decernendi.

4. — Officiales vero Minores, id est Secretarius, Substituti, aliique omnes — quorum nullus ad hoc Officium regendum et ad causas decernendas potestatem habet — secundum sua cuiusque munera, hac Nostra Constitutione definita et in Litteris nominationis designata, prudens et efficax ad negotia expedienda auxilium ferent; qua in re a suo cuiusque moderatore pendeant.

Regens moderatur Officium habetque facultates congruentes.

5. — Regens primo loco inter sex Officiales Maiores, ut ipse eius titulus significat, sub immediato Cardinalis Paenitentiarii Maioris ductu, Sacrum Officium moderatur, disciplinam Officialium bonamque Officii administrationem tuendo, sicut omnibus Romanae Curiae Officiorum Praesidibus constitutum est.

Is omnes facultates obtinet, quae ad fines assequendos, propter quos Sacra Paenitentiaria instituta est, requiruntur, secundum can. 258 Codicis Iuris Canonici. Excipimus autem ex Regentis potestate, praeter facultates, quas in utraque sectione Cardinalis Paenitentiarius Maior sibi reservare duxerit, nominatim: *in materia Indulgentiarum* eas, quae iam in elencho facultatum Cardinali Paenitentiario Maiori concessarum indicavimus, quem elenchum religiose et inviolabiliter servari volumus; *in materia fori interni*, recursus qui pertinent ad can. 132, iunct.

Excipiuntur in indulgentiis facultates quas sibi reservat Cardinalis, et varii recursus fori interni, in quibus tamen providere poterit in casu urgenti, ili-

(1) Const. cit.
(2) Const. cit.

can. 214; 827; 828 i. c. 1527; 840; 985, 4°; 1060 ss.; 1070; 1075, 2°, 3°; 1138 ss., etiam pro foro tantum interno; 2314; 2320; 2342; 2360; 2363; 2367; 2369; 2471; 2388; 2392. In his recursibus Regens providere poterit, si et quantum opus fuerit, ut confessario potestas fiat absolvendi a censuris et, si res ferat, dispensandi quoque ab irregularitate; attamen, in illis solis casibus, in quibus ipse confessarius providere potuisset per can. 2254 et 990 § 2, siquidem urgeat ut animae in statum gratiae et amicitiae divinae reducantur: ast illico rem totam ad Cardinalem Paenitentiarium Maiorem deferat ut mandata convenientia ab eodem accipiat, quippe quae ei specialiter reservata sint, ut iudicet secundum normas et ordinationes, quas Nosmet Ipsi saepius ei impertivimus, quaeque una cum aliis — quae forte in posterum sive a Nobis Ipsis sive a Successoribus Nostris dabuntur — inviolabiliter et accurate omnibus Officialibus observandae erunt. Postremo Regentis erit in omnibus supradictis recursibus, qui eius potestatem excedunt, pro officio singulas causas ita accurate exponere, ut a Cardinali Paenitentiario Maiore vel ab ipso Summo Pontifice cum plena rei cognitione definitivum iudicium proferri possit.

co rem referendo ad Card. Singulas istas causas clare exponat.

Quod si negotia peragenda, tam in hac quam in illa sectione, ea etiam quae ad ordinariam Regentis potestatem pertinent, obscura vel aliqua difficultate implicita offerantur, Regens ad Paenitentiarium Maiorem ea referet, ut ad Praelatos inquirendi gratia mittantur, facta inter eosdem aequa laboris distributione et ratione habita peculiaris singulorum peritiae, quo solutio magis perfecta et absoluta sit; deinde vero in Signatura de iis causis disputabitur. Propterea, postquam statutum erit rem quandam Praelatorum inquisitioni subiciendam esse, ea Tabulariorum praefectis tradatur, qui documenta cuique Praelato ad certiorem solutionem necessaria ex iisdem Tabulariis promant eiusdemque rei exemplaria pro aliis Praelatis describenda curent. Duplex autem huiusmodi opus, qui Tribunalis Tabulario praeest, Regente duce ac moderatore, perficiat; qui vero Indulgentiarum Tabularium custodit, duce ac moderatore huius Sectionis Substituto, exsequatur.

Quae si negotia obscura vel difficultate implicita offerantur, Regens ea referet ad Paenit. maiorem, ut ad Praelatos inquirendi causa mittantur.

Vacante munere Paenitentiarii Maioris non ideo cessant facultates ordinariae Regentis.

Vacante munere Paenit. maioris, non cessant facultates ordinariae Regentis.

6. — Causae tractantur aliae in Congressu cotidiano, aliae in Signatura Praelatorum seu Officialium Maiorum, aliae denique ad Summum Pontificem afferuntur.

a) Res secretae et urgentes, quae ad Paenitentiariam perveniunt pro foro conscientiae, postulant ut singulis diebus

Conventus cotidianus pro causis urgentibus.

considerentur, examinentur, et si fieri potest perficiantur; quam quidem maxima laude dignam consuetudinem S. Tribunalis semper fuisse novimus. Ex quo necessitas cotidiani Congressus orta est.

Regens duplici cotidie praeest alteri pro rebus fori interni, alteri pro indulgentiis. Uterque cum proprio Secretario habetur.

Iamvero, cum Secretario et Substitutis, secundum ea quae olim Decessor Noster Benedictus XIV, de ipsis Secretariis agens, statuerat « nullius omnino negotii quantumvis ordinarii vel clari expeditionem, sine praevia ipsius Regentis recognitione et approbatione liceat incipere » (1), Regens singulis diebus duplicem Congressum habebit: alterum pro rebus fori interni, alterum pro Indulgentiarum petitionibus. Ipse Regens Congressibus huiusmodi praeerit, unaque semper intererit Secretarius. Congressum vero pro foro interno Substitutus huius Sectionis participet; Congressum autem pro materia Indulgentiarum Substitutus, qui ad hanc rem pertinet. Secretarius et Substituti, ope Officialis cuiusque proprii curabunt imprimis ut causae in regestis fideliter inscribantur atque earum resumptiones, ubi factae fuerint, adnotentur; dein eas inter se aeque distribuant, legant, diligenter cognoscere studeant; atque earum etiam summarium faciant; mox eas ultro citroque secum communicent, ut et singulis relatores eas omnes exploratas habeant, et mutua consilia in rem conferre possunt; postremo de iisdem accurate in Congressu coram Regente referant. Qui quidem, antequam rem plane decernat, quae ad normas redigenda erit, quas pro singulis Sectionibus tradidimus, vel a Nobis et Successoribus Nostris etiam tradentur, ipse per se singulas causas examinare debet, ut de plena veritate relationum sibi factarum certior fiat. Etenim ut Officiales relatores ita Officii Praeses in solidum de consiliis captis respondere debent.

Deliberationis modus.

Relatores et officii praeses in solidum de captis consiliis respondent.

Nihil a Praeside Officii decerni potest nisi adsunt secretarius et substitutus ipsius sectionis; et pariter quidpiam in sectione de indulgentiis. Ternarius numerus completur, si oportet, a seniore Officiali minore.

Nihil igitur, in materia fori interni, ab Officii Praeside decerni potest nisi intersint Secretarius et illius Sectionis Substitutus. Quamobrem si vel Secretarius, vel Substitutus desit, in eius locum senior ex Officialibus Minoribus illius Sectionis sufficiatur, in Officio praesens; seniorem dicimus ad normas, quas supra statuimus. Eadem quoque agendi ratio pro indulgentiarum Sectione decernatur; quapropter si Substitutus in Congressu desit, is a seniore Officialium Minorum illius Sectionis substituatur. Oportet enim Congressus, quoad fieri possit, ex tribus Officialibus constet.

Ordinatio per ferias.

Feriarum aestivarum tempore ita res ordinabuntur ut e Tribunali Secretarius et Substitutus Sectionis una simul ne

(1) Const. cit.

absint; qui idcirco se invicem ita excipient ut alter eorum in Officio de more maneat; pro Indulgentiis Substitutus absens sufficiatur ab Officiali seniore, qui adest.

Nihilominus per ferias aestivas, tam in hac quam in illa Sectione nonnisi ea negotia expediantur quae moram non admittunt quaeque administrationem ordinariam respiciunt.

Paenitentiarius maior postulare potest ut suae approbationi subiiciantur decisa antequam rescripta dimittantur.

Quoniam vero Cardinalis Paenitentiarius Maior, ut mos est, duplici illi Congressui cotidiano non interest, integrum ei erit postulare ut consilia de negotiis, sive fori interni sive indulgentiarum, ex Regentis auctoritate in Congressu capta, sibi afferantur suaeque approbationi subiiciantur, antequam hac de re Rescripta dimittantur.

Quid Signatura. Convocatur a Cardinali ad tractanda graviora, vel ad examinandos Concursus.

b) Coetus Officialium Maiorum, cui praeest Cardinalis Paenitentiarius Maior, nomen Signaturae Sacrae Paenitentiariae Apostolicae retineat. Cardinalis Maior coetum seu conventum convocat, quoties id opportunum ducit ad tractanda negotia, graviora vel negotia, ad alterutram Sectionem pertinentia, quae quomodocumque ulteriore studio indigeant, itemque ad examinandos sive competitores muneris Officialium Minorum, quando ad id assequendum concursus fiat, sive candidatos officii Paenitentiarii Minoris in Basilicis.

Indictio Signaturae.

Quando a Cardinali Paenitentiario Maiore dies Signaturae constitutus est, Regens ei iussa transmittat qui Tabulario Tribunalis praeest, quique dum ad Praelatos varia rerum, sive fori interni sive Indulgentiarum, de quibus agendum est, exemplaria mittit, e mandato Eminentissimi Signaturam Sacrae Paenitentiariae Apostolicae indicet. Atque praeterea, quandoquidem ad eundem Tabularii praefectum ea pertinent, quae Paenitentiarios Minores spectant, idem, ut sibi iussum fuerit, huius muneris candidatos opportuno tempore convocet, hac in re periculum facturos.

Convocatio candidatorum Paenit. Min. pro periculo.

In Signatura solus Card. deliberativam sententiam profert. In examinibus ius habent suffragii secreti.

In Signatura, Officiales Maiores, una cum Regente, ad negotia ex officio tractanda, Consiliariorum munere funguntur, cum ad unum Cardinalem Paenitentiarium Maiorem deliberativam ac decretoriam sententiam ferre pertineat; in examinibus vero ius habent ut secreto suffragium ferant, secundum normas ad id datas. Ipse Paenitentiarius Maior Signaturae praeerit; Secretarii munere fungentur, pro negotiis fori interni, Secretarius Officii, pro rebus autem Indulgentiarum, huius Sectionis Substitutus. Paenitentiarii Maioris est ordinem negotiorum quae tractanda sunt statuere. De unaquaque causa post praelectionem voti ab Officiali Maiore redacti, ab omnibus eisdem Praelatis praesentibus disputabitur, rogatis sententiis a Paenitentiario

Deliberationis modus et ordo.

Maiore, « iuxta sessionis in Signatura ordinem » (1) qui est: Theologus, Datarius, Corrector, Sigillator, Canonista; ultimo demum loco Regens, qui pro cotidiano cum Officio commercio, maioris valoris rationes ad definitivum iudicium afferre poterit.

Quid fiat post conclusionem Cardinalis Paenit.

Postquam a Cardinali Paenitentiario Maiore conclusio facta est, haec statim in causae positione ad eam pertinente a Regente inscribatur, qui antequam ad aliam rem transitus fiat, ipse praeleget, ut appareat an verba statuto decreto respondeant. Qui Secretarii munere in Signatura fungitur, iure sive suffragii ferendi sive sententiae dicendae caret, quippe quod ad sex Officiales Maiores tantummodo pertineat. Eius est imprimis sessionis perscriptionem propriam et accuratam facere. Haec autem prescriptio, ad id facta ut disputatio Congressus litteris tradatur, in Signatura sequenti legenda et approbanda est ac Cardinali Paenitentiario Maiori subscribenda. Tam Secretarius quam Indulgentiarum sectionis Substitutus librum eiusmodi perscriptionum ad se pertinentem, propria manu exaratum religiose conservent.

Relatio de causarum positionibus quae penitiori inquisitioni non subiectae sunt, sed de quibus Paenit. maior sententiam Officialium nosse cupit.

Praeterea qui Secretarii munus obit, semper paratus esse debet ad referendum, in materia quae ad se pertinet, de causarum positionibus, quae penitiori inquisitioni subiectae non fuerunt, sed de quibus Paenitentiarius Maior sententiam Officialium Maiorum nosse desiderat. Conclusiones statim ab Officiali relatore in suis causarum positionibus inscribantur et ab eodem praelegantur, sicut supra constitutum est, cum de rebus ageretur, de quibus Praelati retulissent.

Omnia negotia a Regente afferuntur ad Card. subscribenda. Si non adest, praeest vel Pro Paenitentiarius, vel Regens. Decreta tunc proponi debent vel Paenitentiario maiori vel S. Pontifici.

Omnia porro negotia, de quibus quomodocumque in Signatura actum est, Regens afferet ad Cardinalem Paenitentiarium Maiorem, qui singulis decretis suum ipsius nomen subscribat. Sin autem Cardinalis Paenitentiarius Maior non adest, Regens Signaturae praeerit (excepto, ut patet, casu quo Cardinalis Pro-Paenitentiarius deputatus fuerit, penes quem, quemadmodum supra diximus, omnia iura sunt Paenitentiarii Maioris et omnes eius facultates); sed decreta Signaturae, cui Regens praefuerit, approbationi et subscriptioni Paenitentiarii Maioris proponi debent. Quod si id fieri nequeat, afferantur ad Pontificem in prima Audientia quae post Signaturam habebitur.

Audientiae Paenit. Mai. bis in mense.

c) Cardinalis Paenitentiarius Maior bis in mense Audientiam Summi Pontificis habebit.

Quae tractantur.

Ad Audientiam afferenda erunt omnia negotia, quae in una alterave Sectione facultatem Paenitentiarii Maioris excedunt;

(1) Const. cit.

omnia quae iam in priore Audientia a Pontifice praeoccupata sunt; quaecumque denique Paenitentiarius Maior (qui semper certior fieri debet de omnibus causarum positionibus, quae ad Officium perveniunt) opportunum iudicaverit, ut Summo Pontifici significentur idque tam ut Pontifex ea cognoscat quae magis conducere possunt ad Universalis Ecclesiae hac in re gubernationem, quam ut idem Paenitentiarius Maior in adhibendis amplissimis sanctissimisque Sacrae Paenitentiariae facultatibus, normas et regulas ab Eo accipiat, qui utpote Supremus conscientiarum Moderator, pro Apostolico quo fungitur Officio peculiari divina ope absque dubio donatur. Causarum positiones Audientiae Apostolicae reservatas, sub ductu et custodia Regentis parabit Secretarius, si res conscientiae, Indulgentiarum Substitutus, si indulgentias respiciunt. Ut Secretarius ita Indulgentiarum Sectionis Substitutus, pro suis unicuique concreditis rebus, Cardinalem Paenitentiarium Maiorem adibunt, ut suas eidem relationes afferant; quas tamen antea Regenti examinandas tradiderint.

Quo tempore audientiae intermissae sunt Paenit. Maior. providere potest etiam si sententiae postulent in foro externo exsecutionem.

Volumus autem quo tempore Audientiae intermissae sunt, Cardinalem Paenitentiarium Maiorem casibus urgentioribus providere posse, etiam si agatur de sententiis, quae in foro quoque externo vim exserere suam postulent, cum a Nobis bonum animarum aliis omnibus rebus anteponatur; in proxima tamen Audientia de sententiis a se datis, prout opus erit, referet.

Si vacaverit Officium Paenit. Maior. quando audientiae intermissae sunt Regens non potest nisi in casibus gravissimis et urgentissimis providere.

Quoniam vero, vacante Officio Paenitentiarii Maioris, penes Regentem ordinariae tantum facultates manent, ut supra statutum est, definimus, si huiusmodi vacatio eo tempore accidat, quo Audientiae intermissae sint, Regentem solummodo in casibus gravissimae et urgentissimae necessitatis providere posse.

Annotanda a Secretario et a Substituto de Indulgentiis.

Secretarius et Indulgentiarum sectionis Substitutus, pro sua quisque Sectione, in tabulis propriis perscribant quidquid notatu dignum in Audientia statutum sit, praesertim si agatur de principiis, de regulis vel ordinationibus, quae immutationes in praxim Sacri huius Officii inducendas significent. Quarum adnotationum exemplum Regenti tradendum erit, qui sedulo invigilabit, ut etiam ad quinque Praelatos mittatur. Maxime enim expedit hos Officiales semper ante oculos habere quidquid sibi in negotiorum tractatione adiumento esse possit.

Confectio rescriptorum.

7. — Postquam variis negotiis provisum est, sive in Congressu cotidiano, sive in Signatura, sive denique in Audientia, Rescripta ad ea pertinentia conficienda sunt. Quod munus Substitutis commissum est, qui per proprios Scriptores, peritos di-

ligentesque viros, inter quos causarum positiones aequa ratione distribuantur, accuratam rerum confectionem procurare debent. Ut autem Rescriptorum compositio, quae ad forum internum pertinent, uniformi ratione fiat, singuli exsecutores exemplar formularum secum habeant, quas olim adhibitas et a Decessore Nostro Benedicto XIV (1) praescriptas, Nos post diligens examen et inquisitionem, in Signatura a sex Officialibus Maioribus facta, ad normam Codicis conformari iussimus. A quibus formulis nemini discedere licebit, nisi gravibus de causis, singulis vicibus a Cardinali Paenitentiario Maiore approbatis.

De minutis conscribendis rerum quae formulam usitatam excedunt.

Ad Secretarium, pro rebus fori interni, itemque ad Substitutum Indulgentiarum Sectionis, pro sua scilicet sectione, pertinet, adversaria seu « minutas » conscribere earum rerum, quae in forma litterarum vel Rescripti, formulam communem atque usitatam excedunt, ut dein per ordinem Scriptoribus pro exsecutione transmittantur. Verum, ut iterum ea revocemus, quae Benedictus XIV statuit, cum de ipsis « procuratoribus » ageret (2), antequam huiusmodi « minutas » a se paratas, Scriptoribus tradant, eas Secretarius et Substitutus approbationi Cardinalis Paenitentiarii Maioris vel Regentis subiiciant oportet.

Publicatio in Acta Ap. Sedis.

8. — Omnia acta Sacrae Paenitentiariae, quae in commentario « Acta Apostolicae Sedis » edentur, subscriptionem Cardinalis Paenitentiarii Maioris referre debent; eaque Regenti vel Officiali Maiori eius vicem gerenti subsignanda erunt. Itemque eidem Regenti vel Officiali Maiori subsignanda praecipimus quaevis alia acta, quae a Cardinali Paenitentiario Maiore subscripta fuerint.

Variae subscriptiones.

Rescripta negotiorum, quae vel Nos ipsi per praesentem Constitutionem e Regentis potestate excepimus, vel in Audientia Pontificis decreta sunt, vel Cardinalis Paenitentiarius Maior sibi reservaverit, vel denique in Signatura tractata sunt, si ab ipso Cardinali Paenitentiario Maiore non subscribuntur, a Regente signantur « de mandato Eminentissimi ».

In rebus autem, quae ad ordinariam potestatem Regentis pertinent, ipse Regens Rescripta subscribit, nihil aliud addens.

Officialis vero Maior, qui Regentis vices gerit, Rescripta, quibus verba anteponenda sunt « de mandato Eminentissimi », signare debet proprio nomine, cognomine, qualitate, nihil aliud adiiciens; alia Rescripta, quae subscriptionem Regentis ferrent, signabit « pro Regente ».

---

(1) Cfr Const. cit.
(2) Cfr Const. cit.

Variae subscriptiones.

9. — Si Regens vel alius Officialis Maior subscribunt, altera subsignatio pertinet ad Secretarium vel ad Substitutos; ita tamen ut Secretarius omnia Rescripta subsignare possit utriusque Sectionis, Substituti vero tantum Rescripta Sectionis suae. Absentibus Substitutis, Officialis Minor Rescripta subsignet, qui hinc inde ius habet Congressum participandi, quemadmodum supra statuimus.

Gratuitas rescriptorum fori interni.

10. — Agentes de Rescriptis Sacri Tribunalis, id est de Rescriptis quae pertinent ad forum conscientiae, Nos quoque Benedicti XIV verba geminamus: « Sacrosanctum hoc esse volumus et inviolabile ut nihil penitus, quod per Officiales Paenitentiariae Nostrae Apostolicae faciendum est, aliter quam gratis fiat » (1).

Officiales percipiunt largitiones Sectionis de indulgentiis.

Officiales vero, quibus id munus commissum est, debitas largitiones percipiant, quae pro Rescriptis offeruntur alterius Sectionis; easdemque in regestum referant.

Ascriptio finalis.

11. — Postquam vero Rescripta ab Officiali, qui eius rei curam habet, dimissa sunt, singulae causarum positiones Tabulario tradantur, ut secundum consuetudinem, debito modo in album adscribantur et religiose ab Officialibus conserventur, qui vel secretissimi Sacri Tribunalis Tabularii, vel indulgentiarum Tabularii — alterius ab altero prorsus separati — curam et custodiam habent.

Quid vacante Sede Ap.ca.

12. — Haec quidem valere statuimus vivente Summo Pontifice. Apostolica vero Sede vacante, Regenti nullae erunt peculiares facultates, sed iis tantum fruetur, quae ad ipsum, Romano Pontifice vivente, pertinent. Quoniam tamen animarum saluti, quae omni tempore periclitatur, nulla interiecta mora provide consulendum est, volumus ac mandamus ut Cardinalis Paenitentiarius Maior, Sede Apostolica vacante, omnia facere et expedire valeat, quae ad forum conscientiae quomodolibet spectant (2), iis non exceptis, quae alias, vivente Summo Pontifice, ab ordinaria eiusdem potestate subtrahuntur, sed solum pro casibus gravis urgentisque necessitatis. Quapropter liberum atque expeditum erit litterarum commercium inter Officium Sacrae Paenitentiariae et Cardinalem Paenitentiarium Maiorem etiam in Conclavi degentem; eaeque litterae, sigillo Officii munitae, nulli examini et inspectioni erunt obnoxiae. Quam ad

Derogatio Const. Vacante Sede.

(1) Cfr Const. cit.

(2) Cfr Const. *Pastor Bonus;* et Const. *Vacante Sede Apostolica,* n. 16.

Relatio ad futurum Pontificem.

rem expresse ordinationi in Const. *Vacante Sede Apostolica* (n. 50) contentae derogamus. De eiusmodi autem urgentioribus casibus, quibus Cardinalis Paenitentiarius Maior providendum censuerit, is futurum Pontificem in proxima Audientia certiorem faciet.

Quod ad indulgentias confirmatur Const. Vacante Sede.

Ad usum et concessionem indulgentiarum quod attinet, Romano Pontifice vita functo, normis in memorata Pii X Constitutione *Vacante Sede Apostolica* (n. 23 et 24) praefinitis standum esse decernimus.

Initium obligationis.

Decernimus denique ac iubemus ut haec omnia eo die vigere incipiant, quo Constitutio haec per commentarium « Acta Apostolicae Sedis » in lucem edetur.

Clausulae.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, non obstantibus, quatenus opus sit, constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quamvis alia firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus ceterisque contrariis quibuslibet, etiam specialissima mentione dignis, quibus omnibus per praesentes Litteras auctoritate Apostolica derogamus.

Eorum vero exemplis aut excerptis, etiam typis mandatis, notarii publici cuiusvis manu subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eamdem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Nemini igitur liceat hanc paginam Nostrae voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Dies (25 mart. in festo Annunt. B. M. V. (1935).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesima quinta mensis martii, in festo Annutiationis B. M. V., anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo quinto, Pontificatus Nostri decimo quarto.

Fr. Th. Pius, O. P., Card. Boggiani
Cancellarius S. R. E.

E. Card. Pacelli
a Secretis Status

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*
Vincentius Bianchi Cagliesi, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LII, n. 40. — Al. Trussardi.

ANNOTATIONES

I. Praeter thesauros gratiae multiplicis generis quibus infinita Dei munificentia nos munivit in societate visibili Ecclesiae, et qui nobis actione sua fori exterioris per Ecclesiam dispensantur, habetur quoque vita intima cum Deo, quae per usum istarum gratiarum singulis fit propria. Isti vitae subsidia etiam confert Ecclesia per ministros quibus communicat doctrinam veritatis, accessum parat sacramentorum, fideles dirigit variis monitis, praeceptis et consiliis in via virtutis et perfectionis. Actio sic explicatur fori interni, tota versus benignitatem inclinans.

Consilium fuit paternae caritatis institutio tribunalis superioris quod nomen a paenitentiaria mutuatur, cui provincia benignitatis et misericordiae committitur. Iuvat singulos fideles in recta gerenda conscientia, attemperat ad singulorum vires observationem legum et praeceptorum, magis immediate bonum singulorum procurat, singulos, quantum in se est disponit ad gratiam supernaturalem possidendam ut vita singulorum in portu salutis terminetur. Hic si umquam, apparet tamquam suprema norma illud effatum « salus animarum ». Nihil plus quam exsistentia istius tribunalis ostendit quo pacto Ecclesia brachiis extensis cunctos fideles amplecti et salvare conetur. Ac caelestis ista intentio exhibetur etiam lege omnimodae gratuitatis qua terrena contemnere videtur et pauperrimo non minus quam opulentissimo offert sua servitia. Materna ista benignitas ipso sigillo monstratur. In eo conspicitur imago B. Virginis cum divino infante: Matris Dei et Matris Nostrae.

II. Gratissimo igitur animo accipere debemus splendidum monumentum quod modo erexit S. Ponfex, ut universo orbi magis innotesceret exsistere in

Ecclesia, apertum omnibus, tribunal gratiae et misericordiae. Ac dum Pontifex describit eius constitutionem, actionem, nonne descriptio converti videtur in orationem apologeticam qua omnes allicit ad fiducialiter confugiendum in sinum maternum Ecclesiae Dei?

III. *Historica.* Iam ad finem vergente saeculo XII, occurrit nobis Cardinalis Paenitentiarius, qui, nomine Papae a certis peccatis absolvit; quod munus saeculo XIII honestavit S. RAYMUNDUS a PENNAFORTE.

A medio saec. XIII munus istud aestimatur cardinalicium, atque ab ineunte saec. XIV fuit constanter a Cardinali impletum.

Mox ex Cardinali et necessariis adiutoribus suis constitutum est tribunal S. Paenitentiariae, quod BENEDICTUS XII primus ordinavit Const. « *In agro dominico*, 8 april. 1338. De eius ordinatione solliciti etiam fuere PIUS IV; S. PIUS V, qui anno 1569 foro interno competentiam circumscripsit; URBANUS VIII; donec BENEDICTUS XIV, per Const. 13 april. 1744, « *In Apostolicae* Paenitentiariae officii... rectissimam rationem constabilivit »: quod proposuerat sic revera exsecutus est. In saec. XVIII recuperavit quandam iurisdictionem in matrimoniales causas pauperum vel fere talium, sed eam amisit anno 1908, in reformatione curiae facta a PIO Pp. X.

Hanc quidem minime abrogare sed potius confirmare intendit SS. D. PIUS Pp. XI, et quibusdam incrementis adauctam, vel leviter immutatam denuo completam promulgare propter maiorem Dei Gloriam, honorem Ecclesiae et abundantiorem animarum salutem voluit.

Potissimum augmentum, introductum a BENEDICTO XV, fuit additio materiae indulgentiarum. Haec nuntiata in Allocutione « *Amplissimum Collegium* », 22 mart. 1917, promulgata est Motu Proprio « *Alloquentes* », 25 mart. 1917, § IV et V.

IV. Miro modo est ipsa ordinatio facta. Servatur lex unitatis. Quod a principio valuit nunc omnino firmatur. Omnis Paenitentiaria continetur in Cardinali Maiori Paenitentiario. Sine ipso nihil definitive concluditur. Sed ne temere agat iuvatur consilio virorum selectorum, Officialium maiorum sex, qui student casibus difficilioribus et dein communiter deliberant. Hi aequali loco assistunt Cardinali Maiori. Habetur tamen unus praefectus, *Regens*, qui res minus implexas solvit et laborem difficiliorem aliis distribuit. Celeritati consulitur: cotidie, praeside Regenti, habetur conventus utriusque sectionis cum proprio secretario seu substituto. Sine ulla mora secretarius redigit solutionem, quae tamen non expeditur nisi recognita et probata Cardinali. Sunt res graviores quae postulant interventum S. Pontificis. Quare bis in mense reservatur audientia Cardinali Maiori Paenitentiario. Conscribitur quoque minutum bene ordinatum ut studia iam facta inserviant similibus casibus. Haec uterque Secretarius sibi colligit et servat, ut sit semper paratus de causis actis referre ad Cardinalem vel ad officialem Maiorem.

Sic etiam cernitur spiritus traditionalis et progressivus.

Ambae sectiones sunt plane distinctae: altera, de rebus fori interni est secretissima; ac praeter iuramenta et professiones Fidei consuetas, habetur iuramentum proprium Paenitentiariae quod quotannis renovatur; altera sectio de indulgentiis tali secreto non ligatur. Et praeter coniunctionem rerum, quae naturalis est inter indulgentias et solutiones pro foro conscientiae, hae apud alteram quaerunt subsidia vitae. Nam que in hac sectione, cum omnia dentur gratis, sustentatio necessaria officialium petitur partim ex oblationibus quae fiunt per occasionem indulgentiarum. Harmonica ista dispositio non est ingrata oblatoribus: norunt ad salutem animarum destinari eorum largitiones.

35. — S. Cong. Pro Ecclesia Orientali

Decretum 30 ian. 1935

ERECTIONIS COLLEGII MISSIONARII S. BASILII MAGNI PRO ORIENTE

(A. A. S., 5 apr. 1935, XXVII, 144)

Opportunitas decreti.

Cum, Deo auxiliante, inclitum Cryptoferratense Sanctae Mariae Coenobium, quod Romani Pontifices tamquam pulcherrimam sui diadematis margaritam semper habuerunt, hodie antiquam aemuletur laudem, ibique vocationes floreant ad Ordinem Sancti Basilii Magni, cuius monachi, auctore iam et duce beato Nilo Abbate, ritum byzantinum semper sequuti, nunc etiam religiose servant ac fovent, opportunum visum est domum, quam Basiliani Romae tenuerunt ab initio saeculi XVII usque ad a. 1870, denuo, ad instar Conlegii Missionarii, restituere. Basiliani, enim, e Coenobio Cryptoferratensi, exemplorum quae sibi maiores indesinenter tradidere haud immemores, Orientem aspiciunt quasi electam dominicae vineae portionem, ubi fructus uberrimos, Virgine « Theotoko » protegente, pro reditu fratrum dissidentium in sinum Ecclesiae habituros confidunt.

Nobilis aspiratio Basilianorum.

Eorum spes de Oriente.

Annuens precibus Rev.mi Superioris Coenobii,

SS. D. approbat erectionem « Collegii Missionariorum S. Basilii Magni pro Oriente » mandato dato de decreto conficiendo.

Itaque, Ss.mus Dominus Noster Pius, divina Providentia Pp. XI, benigne annuens precibus Rev.mi Superioris Coenobii Cryptoferratensis, in Audientia E.mo D. Cardinali a secretis S. C. pro Ecclesia Orientali die 5 Ianuarii anno 1935 concessa, dignatus est adprobare erectionem, Romae ad Sancti Basilii, novi Instituti, cui sit nomen « Conlegium Missionarium Sancti Basilii Magni pro Oriente »; simulque mandavit ut hac de re decretum per S. C. pro Ecclesia Orientali conficeretur.

Derogatio contrariorum.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Dies (30 ian. 1935).

Datum Romae, ex Aedibus S. C. pro Ecclesia Orientali, die 30 Ianuarii anno 1935, in festo trium Ss. Oecumenicorum Doctorum Basilii Magni, Gregorii Theologi et Ioannis Chrysostomi, iuxta Kalendarium ritus byzantini.

A. Card. SINCERO, Episcopus Praenestinus, *a Secretis.*

L. ✠ S. I. CESARINI, *Adsessor.*

36. — S. Cong. pro Ecclesia Orientali

Notificatio 25 martii 1935

DE SCAPULARI METALLICO PRO ORIENTALIBUS

(A. A. S., 5 april. 1935; XXVII, p. 145)

Ss.mus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XI preces benigne excipiens, Nicolai Czarechij, Episcopi titularis Labediensis, Visitatoris Apostolici ritus Byzantini-slavici in Polonia, annuere dignatus est ut indultum, per decretum S. C. Sancti Officii diei 16 Decembris a. 1910 (Acta Apostolicae Sedis, vol. III, pag. 22) quo omnibus Christi fidelibus conceditur usus metallici numismatis loco Scapularium ex panno, quae tertiorum Ordinum non sunt propria, extendatur, pro fidelibus rituum orientalium, *etiam ad actum impositionis*, ita ut huiusmodi impositio per sacrum numisma, loco scapularium ex panno peracta, ad omnes effectus valida et licita sit, servato tamen in ceteris tenore decreti supramentovati. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Litterarum Apostolicarum in forma brevi expeditione et contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Orator.

Gratia concessa.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. pro Ecclesia Orientali, die 25 martii a. 1935.

Dies (25 mart. 1935

IOSEPH CESARINI, *assessor.*

37. — S. Congr. Concilii.

Decretum 12 ian. 1935.

DE CATECHETICA INSTITUTIONE IMPENSIUS CURANDA ET PROVEHENDA

(A. A. S., 5 april. 1935, XXVII, 145)

Provido sane consilio catholica Ecclesia, veritatis divinitus revelatae custos et magistra, officio et munere suo sanctissimo perfunctura, inde ab initio, illud, inter cetera, sibi faciendum censuit, ut initiandis Christo Domino et in eius disciplina instituendis hominibus, praesertim pueris et rudioribus, caele-

Summum momentum ab initio perceptum catecheticae institutionis.

stis sapientia, ad salutem aeternam necessaria, doctoris legitimi opera ac ministerio, catechetice traderetur.

Et prudenter id quidem. Cum enim omnis christiani hominis scientia comprehendatur divini Redemptoris sententia: *haec est vita aeterna ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Iesum Christum*, ea scientia, recte et apposite, catechetica institutione continetur, per quam de Deo ipso, de Iesu Christo eiusque doctrina ac disciplina, audientibus, pro sua cuiusque aetate, ingenio, conditione, proponitur et explanatur summa; qua profecto tradita atque illustrata, nihil fere fidelibus aptius ad recte credendi recteque agendi certam firmamque normam assequendam desiderari potest.

Quare fit, ut catechetica institutio in catholica Ecclesia habita sit et habeatur veluti vox illa, qua divina Sapientia clamitat in plateis: *si quis est parvulus veniat ad me;* sicut lucerna illa *lucens in caliginoso loco donec lucifer oriatur;* tamquam *semen* et *fermentum* illud *evangelicum*, unde tota germinat et confovetur christiana vita: ex ea nempe fidelis quisque, lucem divinae veritatis, normam divinae legis, subsidia divinae gratiae feliciter mutuatus, potest quae agenda sunt videre, et ad implenda quae viderit, convalescere. Quae quidem religiosa institutio, cum omnibus magnam afferat utilitatem, tum certe puerilem atque adolescentem maxime iuvat aetatem, utpote quae spem posteri aevi contineat. Puerorum igitur atque adolescentium in primis curanda atque urgenda est catechetica institutio, praesertim si incidat aetas, in qua ob latius diffusum sciendi studium, ob multiplicatam discendi facultatem, ob aptiorem rerum addiscendarum rationem, puerorum atque adolescentium civilis anticipetur et provehatur educatio; absonum quippe est, in tanto apparatu doctrinarum et ardore discendi, negligere vel praetermittere scientiam Dei et maximarum rerum quae religione continentur.

Maxime curanda apud pueros et adolescentes, qui hodie tam multa discunt.

Institutione vero ac doctrina puerorum atque adolescentium catholica salutem quoque contineri reipublicae, planum est. Plurimum enim interest civitatis aeque ac religionis, si cives cum mere humanae doctrinae et civilis educationis praeceptis simul christianos hauriant spiritus.

Plurimum refert ad salutem ipsius rei publicae.

Ex quo plane intelligitur, quam amanter non minus quam sapienter, Ecclesia, catholicae veritatis et disciplinae magistra, personam Christi suscipiens, vehementer clamet: *Sinite parvulos venire ad me et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Dei.*

Perenne studium SS. Pontificum.

Quae omnia cum probe animadverterent ac sentirent Romani Pontifices, catholicae fidei summi magistri ac duces, nullo tempore siverunt, ut ipsorum vigilantia et diligentia in hac parte deesset.

Specie litt. «Acerbo nimis», Pii X.

Ut antiquiora mittamus, huius rei testimonium luculentissimum, postremis hisce temporibus, exstat in litteris encyclicis f. r. Pii Pp. X *Acerbo nimis*, diei 15 Aprilis 1905, in quibus Pontifex vigilantissimus, catechesis descriptis utilitatibus, ipsi plane propriis, iure colligit non alia de causa elanguescere atque esse paene intermortuam nostrae aetatis fidem, nisi quia doctrinae christianae tradendae, vel persolvatur negligenter, vel praetermittatur officium. Quapropter leges fert, quibus doctrina ipsa cum pueris puellisque tum adolescentibus, tum denique aetate provectis tradatur.

Codicis.

Quas quidem leges in canones redactas fere exhibet Codex iuris canonici, in quo (lib. III, tit. XX, cap. I) tota de institutione catechetica, in universa Ecclesia servanda, proposita et ordinata est disciplina.

Pii Pp. XI, « Orbem catholicum » 29 Iun. 1923, instituentis Officium catechisticum.

Latis vero a Codice legibus advigilandis iisdemque pro opportunitate urgendis, Pius Pp. XI, Motu proprio *Orbem catholicum* diei 29 Iunii 1923, *Officium catechisticum* penes hanc Sacram Congregationem Concilii instituit, cuius est universam in Ecclesia catholica actionem catechisticam moderari et provehere.

Concinuerunt Episcoporum sollicitudines.

Summorum Pontificum iussis et adhortationibus concinuerunt Episcoporum sollicitudines, qui vel in plenariis aut provincialibus Conciliis, vel in Synodis dioecesanis, vel in Congressibus catechisticis, sive dioecesanis sive nationalibus, institutionem catechisticam pressius ordinare studuerunt.

Multa obstacula,

At, his non obstantibus feliciter ubique coeptis, ex eorumdem Episcoporum relatis multa adhuc superesse constat, quae doctrinae christianae tradendae vim et effectum impediunt. Et in primis lugenda sane est parentum incuria, quorum plures, res divinas ipsi ignorantes, religiosam liberorum institutionem parvi vel nihili faciunt. Quod grave profecto est, cum, parentibus negligentibus vel adversis, nulla fere spes sit fore ut filii religiose erudiantur.

ex parentum incuriis:

praesertim ubi partium certamina,

Quae quidem res gravior evadit ubi, ut in nonnullis nationibus fit, ob partium certamina ius Ecclesiae in christianam puerorum institutionem vel in discrimen adducitur, vel denegatur. Nam parentes, ignavia detenti, vel mobilitate animi, vel rebus ipsis pressi, neque iniquis legibus obsistunt, neque filiis catechizandis ullam curam sollicitudinemque impendunt.

ubi catholici miscentur acatholicis;

In regionibus vero ubi catholici cum acatholicis simul vitam degunt, neque cum iis mixta inire matrimonia dubitant, ex communi coniugum consuetudine plerumque id fit ut in rerum divinarum contemptum ipsi liberique prolabantur, vel a fide recedant.

ex desidia puerorum et adolescentium, qui profanis spectaculis alliciuntur.

Accedit ipsa puerorum adolescentiumque desidia, qui aliis distenti curis, atque ludis et corporum exercitationibus allecti, vel ad profana spectacula, in quibus non raro mores relaxantur, diebus praesertim festis adducti, catechisticam institutionem paroecialem frequentare negligunt, adeo ut a prima iam aetate incipiat et in dies ingravescat illa, quam maxime conquerimur, rerum divinarum oblivio et neglectus.

Quod magis nocivum propter pseudo-doctores,

Quae oblivio, qui neglectus, eo maius fidei detrimentum inferunt, quod exierunt in mundum lupi rapaces, non parcentes gregi, subintroierunt pseudo-doctores, qui vel atheismo vel neo-ethnicismo addicti, humanisque commentis et deliramentis indulgentes, scriptis et opera, callide catholicam fidem in Deum, in Iesum Christum, in ministerium Ecclesiae evertere conantur; quibus ii omnes accedunt, qui infausti protestantismi propagandi studio incensi, doctrinae pietatisque christianae speciem praeseferentes, incredibile est quam facile catholicae doctrinae nescios et indigos, ipsosque fideles simplices et incautos decipiant.

vel propagatores protestantismi.

Quae quidem incommoda, quamvis iis obsistant curis iam plurimis Episcopi aliique animarum curatores, non exinde tamen et hanc Sacram Congregationem levant onere eorum diligentiam iterato excitandi, nec eos ipsos eximunt, quin semper maiores conferant sollicitudines in id unde ovium sibi commissarum sempiterna salus pendere dignoscitur.

Quare novis stimulis omnes urgendi sunt.

Quam ob rem huic Sacrae Congregationi opportunum visum est omnes, ad quos spectat, novis urgere stimulis, eisdemque quaedam praescribere, quaedam vero indigitare, quibus servatis, spes est fore ut catechetica institutio in melius provehatur.

Excitantur Episcopi; perpendant quid faciendum supersit, etiam per poenas et praemia.

Primo, igitur, Episcopi, pro iure et officio gravissimo sibi commisso, ad curam et diligentiam quam antehac in rem catecheticam conferre consueverunt, maiorem, in eiusdem incrementum, addant operam industriamque suam: quare, ad normam canonis 336 § 2, « curent... ut fidelibus, praecipue pueris ac rudibus, pabulum doctrinae christianae praebeatur, ut in scholis puerorum ac iuvenum institutio secundum catholicae religionis principia tradatur »; cumque ex praescripto canonis 1336, « Ordinarii loci sit omnia in sua dioecesi edicere quae

ad populum in christiana doctrina instituendum spectent », Ordinarius quisque perpendat in Domino quid providendum, quid praescribendum supersit pro opere hoc sanctissimo et maxime necessario, quove pacto id quod vult facilius consequi et efficere possit, animadversurus, si casus ferat, in negligentes vel renuentes paenis ecclesiasticis ad normam canonum 1333 § 2, 2182; delaturus vero diligentibus praemia, quatenus denunciet, in paroeciis aliisque beneficiis conferendis, plurimum apud se ponderis et momenti habiturum studium et diligentiam in opus catechismi tradendi collatam.

Parochi summopere sint diligentes, secundum can. 1330, 1331, 1332.

Parochi deinde ceterique curam habentes animarum meminerint semper institutionem catecheticam fundamentum esse totius vitae christianae, ad eamque rite tradendam omnia eorum consilia, studia, labores esse referenda. Integre, igitur, servent et ad effectum deducant quae in canonibus 1330, 1331, 1332 praescripta sunt, et omnia, maxime hac in re, omnibus efficiantur, ut et omnes Christo lucrifaciant, et seipsos fideles ministros et dispensatores mysteriorum Dei probare possint, probe considerantes quibus lacte, quibus solidiore cibo opus sit; ac singulis ea doctrinae alimenta praebeant, quae spiritum augeant, ita ut christianus homo, ea quae ad religionem pertinent, non ignoret modo, nec ea veluti hereditario more transmissa tantum teneat, sed ita habeat cognita atque perspecta, ut sibi et ceteris fructificare possint.

Operam adhibeant clericorum atque etiam plorum laicorum.

Quo in ministerio sanctissimo, ad normam canonis 1333 § 1, « parochi operam adhibeant clericorum, in paroeciae territorio degentium, aut etiam, si necesse sit, piorum laicorum, potissimum illorum qui in pium *sodalitium doctrinae christianae* aliudve simile in paroecia erectum adscripti sunt ». Qui omnes, sive vocati, sive iussi, libenter, imo laetissimo animo, operam suam adiutricem in rem conferant, ut hilares datores quos diligit Dominus.

Religiosorum ope utantur si ab Ordinario loci sint requisiti.

Nec vero operi tam salutari, tam Deo grato, tam animarum bono necessario desit, ad normam canonis 1334, religiosorum auxilium, si ab Ordinario loci sit illud requisitum; iidemque religiosi, vocati, laetentur, imo vocari se cupiant, ut etiam in hac parte dominici agri, ubi messis multa, operarii autem pauci, de animarum salute bene mereantur.

Parentes suum officium expleant.

Postremo parentes et qui parentum loco sunt, a quibus in re de qua agitur efficax auxilium et praesidium est exspectandum et expetendum, meminerint se ex canone 1113 « gravissima obligatione teneri prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi », cui

quidem obligationi ex canone 1335 satisfacere debent efficiendo ut liberi catechetica institutione erudiantur, et ex canone 1372 § 2 curando christianam eorumdem educationem.

Haec repetita iuvant.

Haec omnia quae summatim complexi sumus, sunt ea quidem iam nota atque perspecta, at e mente ne excidat sententia: *repetita iuvant*, maxime cum de re agatur, de qua numquam satis.

Haec probante SS. D. exsequenda praescribuntur.

Quo vero eadem ipsa facilius in toto Orbe terrarum in effectum deducantur, haec Sacra Congregatio, probante Ss.mo D. N. Pio Pp. XI, in omnibus dioecesibus exsequenda mandat quae sequuntur:

I. Institutio sodalicii doctrinae Christi,

I. In singulis paroeciis, praeter confraternitatem sanctissimi Sacramenti, *sodalitium doctrinae christianae*, idque ceterorum princeps, ad normam canonis 711 § 2, instituatur, omnes quot sunt idonei catechismo edocendo et fovendo complectens, ludimagistros in primis, puerorum erudiendorum disciplinam callentes.

II. scholae catechisticae paroeciales

II. Item in singulis paroeciis, ad normam litterarum circularium huius S. Congregationis ad Ordinarios Italiae diei 23 aprilis 1924, *scholae catechisticae paroeciales*, si nondum exstent, constituantur, in quibus, parochis ipsis praesidibus, statuta methodo, pueri adolescentesque divinae legis ac fidei rudimenta addiscant. Qua in re, ut gravis, quam antea memoravimus, excutiatur desidia parentum existimantium catechismo paroeciali frequentando liberos suos non teneri, eo quod domi vel in publicis scholis religiosa institutio tradatur, haec diligenter servanda erunt:

a) ad sacramenta parochi pueros ne admittant qui congruam institutionem catechisticam, ad normam decreti 8 aug. 1910, S. Cong. de Sacramentis non sint assecuti ac post primam communionem diligentius excolant;

a) ad Sacramenta paenitentiae et confirmationis rite suscipienda parochi pueros ne admittant, ad praescriptum canonis 1330, qui congruam institutionem catechisticam non sint assequuti ad normam decreti S. Congregationis de Sacramentis diei 8 Augusti 1910; eosque, cum primam Communionem receperint, perfectius ac uberius catechismo excolere satagant;

b) parentes moneantur gravissimi sui officii;

b) iidem parochi, concionatores, confessarii et ecclesiarum rectores, in hoc toti incumbant ut parentes praesertim moneant de gravi qua tenentur obligatione curandi « ut omnes sibi subiecti vel commendati catechetica institutione erudiantur » (can. 1335). In rem Benedictus XIV in litteris encyclicis *Etsi minime*, diei 7 februarii 1742 § 7: « Constat etiam ipsum Episcopum posse ac debere sacris oratoribus quam diligentissime commendare, ut pro concione in parentum aures animosque ingerant, sua interesse mysteriis nostrae religionis susceptam prolem imbuere; et si ad id minus idonei fuerint,

filios in ecclesiam adduci oportere, in qua divinae legis praecepta explicantur »;

c) item totis viribus parochi curionesque contendant ut pueri ad catechismum paroecialem frequentandum alacri animo alliciantur iis mediis quae aptiora videantur, v. g., pro pueris Missam singulis diebus festis de praecepto celebrando, certamina catechistica, propositis praemiis, indicendo, atque moderata honestaque obiectamenta et industrias adhibendo;

c) alacri animo pueri alliciantur ad catechismum frequentandum.

d) postremo, parochi sedulo curent ut, tempore visitationum pastoralium, pueri ad periculum subeundum scientiae suae coram Episcopo se praeparent, qui, hanc occasionem nactus, iis quae in institutione religiosa paroeciali corrigenda, vel emendanda, vel laudanda viderit, opportune consulat.

d) Tempore visitationis pastoralis, pueri ad periculum subeundum praeparentur.

III. Ne autem institutio religiosa, pueris tradita, aetate progrediente, oblivioni detur, et « quia compertum est non solum adolescentulos, illosque qui confirmata sunt iam aetate, in divinarum rerum ignoratione versari, sed etiam viros, ipsosque senes salutaris doctrinae esse omnino expertes, vel quia numquam illam perceperunt, vel iamdiu perceptam paulatim delevit oblivio » (Bened. XIV, *l. c.*, § 8), locorum Ordinarii sedulo vigilent ut praescriptum canonis 1332 a parochis sancte servetur, quo isti tenentur « diebus dominicis aliisque festis de praecepto... catechismum fidelibus adultis, sermone ad eorum captum accommodato, explicare » — « Qua in re », ut Pius X mandavit in memoratis litteris encyclicis *Acerbo nimis*, « catechismo Tridentino utentur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quae de symbolo est, de sacramentis, de decalogo, de oratione, et de praeceptis Ecclesiae », itemque de consiliis evangelicis, de gratia, de virtutibus, de peccatis et de novissimis.

III. Pro viris inculcetur praescriptum can. 1332.

Praeter haec, ab omnibus servanda, eadem S. Congregatio nonnulla media locorum Ordinariis indigitare opportunum censet, quae, experientia teste, ad optatum finem apta visa sunt, ut eadem vel saltem aliqua in sua quisque dioecesi iidem Ordinarii, pro rerum locorumque adiunctis, adhibenda curent. Quapropter:

Suggeruntur alia media opportuna:

1. Quemadmodum iam in Italia provisum est per litteras huius S. Congregationis diei 12 Decembris 1929, *Officium catechisticum dioecesanum*, si fieri poterit, locorum Ordinarii instituant, quod, ipsis praesidibus, totam rem catechisticam in dioecesi moderetur. Huius Officii praecipua munia erunt curare:

1. Institutio officii catechistici dioecesani.

Huius munia describuntur.

a) ut in paroeciis, in scholis et in collegiis doctrina christiana iuxta formam ab Ecclesia traditam, et ab iis qui sunt idonei recte doceatur;

b) ut, statis temporibus, habeantur *coetus catechistici* aliique pro scholis de religione conventus, de quibus in decreto

huius S. Congregationis diei 12 Aprilis 1924, ad perquirenda media institutioni catechisticae provehendae aptiora;

c) ut peculiares *series lectionum de religione* quotannis indicantur ad eos plenius perfectiusque excolendos, qui doctrinam christianam et in paroecialibus et in publicis scholis doceant.

2. Electio sacerdotum visitatorum;

2. Idoneos quoque singulis annis *Sacerdotes visitatores* eligere Ordinarii ne omittant, omnes in dioecesi scholas de religione inspecturos, qui de religiosae institutionis in iisdem traditae exitu, incrementis vel defectibus accurate referant. Ad rem Benedictus XIV (*loc. cit., § 16*): « Plurimum quoque ad christiani populi institutionem conferre poterit, si Visitatores eligantur, quorum alii civitatem, alii dioecesim lustrantes, omnia sedulo inquirant, ut certior factus Episcopus, pro meritis cuiusque pastoris, aut praemia decernat, aut poenas ».

3. Dies catechistica instituatur.

3. Ut autem in religiosam institutionem populus christianus interdum animum praecipue convertat, *dies catechistica*, si nondum in usu sit, in singulis paroeciis instituenda curetur, in qua *festum doctrinae christianae*, maiore qua fieri potest solemnitate, celebretur. Hac occasione:

a) fideles in ecclesiam paroecialem convocentur, ut S. Eucharistia refecti, preces effundant ad uberiores impetrandos divinae doctrinae fructus;

b) peculiaris sermo populo habeatur de catecheticae institutionis necessitate, quo parentes praesertim moneantur ut filios eandem edoceant, atque ad catechismum paroecialem mittant, divinum praeceptum memorantes: *eruntque verba haec quae ego praecipio tibi hodie in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis* (Deut. VI, 6);

c) in vulgus distribuantur libri, libelli, folia, aliaque id genus, ad rem apta;

d) collecta fiat ad opera catechistica provehenda.

4. Idoneos catechistas provideant, utentes actione catholica.

4. In locis praesertim ubi ob penuriam cleri, muneri doctrinam christianam docendi clerus ipse facere satis non possit, *idoneis catechistis* utriusque sexus in parochorum auxilium providere Ordinarii satagant, in paroecialibus vel in publicis scholis ipsisque in dissitis paroeciae locis religiosam institutionem tradituris. In his principem locum teneant quotquot consociationibus *Actionis catholicae* sunt inscripti, quae multa iam hac in re et laude digna perfecerunt, ut quarum nonnullae, optimo quidem consilio, in suis statutis lectiones de religione quotannis habendas iusserunt, quibus interesse omnes socii teneantur.

Iuvent socii aliarum consociationum catholicarum.

Item huic muneri ne desint quotquot sunt socii aliarum consociationum et sodalitatum catholicarum, et potissimum sodalitates religiosae utriusque sexus quae iuventuti instituendae sunt deditae, quas ita alloquitur Ssmus D. N. Pius Pp. XI in memorato Motu proprio *Orbem catholicum:* « Illud etiam magnopere cupimus in praecipuis quibusque sedibus religiosarum sodalitatum quae iuventuti instituendae sunt deditae, ibi, praesidibus ducibusque Episcopis, scholas aperiri, delectis ex utroque sexu adolescentibus, qui accommodato studiorum curriculo formentur, iidemque, facto periculo scientiae suae, rite renuntientur habiles ad magisterium doctrinae christianae historiaeque sacrae et ecclesiasticae obtinendum ». Quod profecto fiet, si in scholis et collegiis catholicis, inter res pueris adolescentibusque addiscendas, principem locum habeat, ut ratio ipsa suadet et postulat, institutio religiosa, quae et a sacerdotibus docendo peritis, et apta instituendi ratione tradatur.

Institutio religiosa maxime curanda in institutis educationis.

Spes et fervida adhortatio.

Si haec media et industriae adhibeantur, si huic muneri quo nihil est sanctius, nihil magis necessarium, omnes quibus onus est strenuo constantique animo incumbant, sperandum iure est populum christianum, ab errorum insectationibus sancta et incorrupta doctrina continenter munitum, populum acceptabilem sectatorem bonorum operum exstiturum esse, atque salutares effectus percepturum, quos Romani Pontifices in salutem animarum non semel auspicati sunt. Postremo, probante Ssmo D. N. Pio Pp. XI, haec S. Congregatio Episcopis universis mandat ut singulis quinquenniis, hac in re derogando memorato Motu proprio *Orbem catholicum,* de catechetica in eorum dioecesibus institutione ad eandem S. Congregationem accurate referant, iuxta quaesita quae sequuntur, et eodem servato ordine qui est in canone 340 § 2 Codicis I. C. quoad relationem ab Episcopis faciendam super statu dioecesis sibi commissae.

Relatio quinquennalis secundum sequentia quaesita.

Dies (12 ian. 1935).

Datum Romae, in festo Sacrae Nazarethanae Familiae, die 12 Ianuarii anno 1935.

I. Card. SERAFINI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

I. BRUNO, *Secretarius.*

QUAESITA DE DOCTRINA CHRISTIANA TRADENDA

I. Pro pueris.

I. — Pro pueris

a) In paroeciis.

a) *In paroeciis:*

Q. 1. Quinam sit in singulis paroeciis numerus puerorum, et quinam ex his catechisticam institutionem frequentent;

Q. 2. quanam diligentia parochi munus pueros religiose erudiendi adimpleant, et quinam hoc munus negligant;

Q. 3. an in iisdem paroeciis institutae sint *scholae paroeciales*, quonam exitu, et quanam methodo doctrina christiana in his edoceatur;

Q. 4. an et quomodo presbyteri aliique clerici, in territorio paroeciae degentes, parochum in doctrina christiana tradenda adiuvent; quinam sint forte recusantes vel negligentes;

Q. 5. an religiosi et religiosae parochum in pueris catechismo excolendis adiuvent; quinam sint forte negligentes vel recusantes;

Q. 6. an *sodalitium doctrinae christianae* singulis in paroeciis constitutum sit, et quanam ratione parochum coadiuvet in doctrina christiana pueris tradenda;

Q. 7. an aliae sodalitates laicorum, et praesertim *Actionis catholicae*, in eodem munere parochum adiuvent;

Q. 8. an *Officium catechisticum* in dioecesi, vel aliud simile institutum sit, vel institui possit;

Q. 9. an et quomodo *dies catechistica* celebretur;

Q. 10. an et quonam fructu *coetus catechistici*, aliive pro scholis de religione conventus habeantur;

Q. 11. an et quaenam media adhibeantur ad sollertiam tum parentum tum filiorum excitandam ut catechismum paroecialem hi frequentent;

Q. 12. an et quaenam impediant uberiores doctrinae christianae tradendae fructus; quinam in hac re abusus irrepserint, et quaenam ad eos amovendos media adhibeantur, vel adhiberi possint.

b) In scholis et collegiis catholicis.

b) *In scholis et collegiis catholicis:*

Q. 13. Quotnam sint scholae et collegia catholica utriusque sexus, praesertim noviter instituta, sub moderatione cleri saecularis vel religiosi aut sororum religiosarum;

Q. 14. Quot sint in singulis his scholis vel collegiis catholicis alumni interni vel externi;

Q. 15. quoties in hebdomada, quanam methodo et profectu, religiosa institutio in his edoceatur;

Q. 16. quomodo consulendum sit eidem institutioni efficacius utiliusque provehendae.

c) *In scholis publicis:* *c) In scholis publicis.*

Q. 17. An, in quibusnam publicis scholis, et quonam fructu doctrina christiana tradatur;

Q. 18. an, qua ratione, et in quibusnam scholis publicis institutio religiosa auctoritati et inspectioni Ecclesiae subiiciatur;

Q. 19. quibusnam in publicis scholis, et quanam de causa, doctrina christiana non tradatur; atque quomodo horum alumnorum religiosae institutioni consulatur;

Q. 20. an et quaedam media adhibeantur, vel adhiberi possint ut in publicis scholis doctrina christiana tradatur.

II. — PRO ADULTIS *II. Pro adultis.*

Q. 21. An, et quando, praeter consuetam homiliam, catechetica institutio adultis a parochis impertiatur;

Q. 22. qua diligentia, quanam methodo et quo tempore parochi hoc munus adimpleant;

Q. 23. an fideles in singulis paroeciis institutionem religiosam frequentent, et quonam exitu;

Q. 24. quaenam media, pro locorum temporumque adiunctis, magis idonea existimentur ad uberiorem adultorum religiosam institutionem obtinendam.

ANNOTATIONES

I. Quanti momenti sit argumentum quod nova Instructione S. C. Concilii urgere conatur, quisnam dubitare potest? Quaenam pietas solida esse potest, si ignoratur terminus ad quem referendi sunt eius actus? Quisnam, sine sufficienti eruditione, diu resistere potest impugnationi scriptae vel orali qua e corde populi radices omnis religionis evellere tentant? Neque ab ignorante elementa suae religionis exspectari potest ullus zelus disseminandi veritatem doctrinalem vel moralem.

Haec omni tempore veritatem habent. Quanto magis hodie, ubi nullus est locus in quem impia asserta per ephemerides vel sectarum asseclas non penetrant. Dum si vir popularis deprehendere potest quod falso contra fidem obicitur, laetus triumphat et incitatur ad apostolatum. Nonne aliquid probrosum est ut in scholis magis ac magis amplificatur eruditio profana, nobilissima autem rerum divinarum scientia quasi neglecta et contempta perire sinatur? Quid autem dicam de tantopere inculcata a S. Pontifice necessitate ut per studia aequalium propagetur veritas; quid dicam de actione catholica quae laicis mandatur exsequenda?

II. Rudes religionis non sunt soli homines qui in societate civili infimum locum tenent; saepe sunt etiam ii qui inter excultiores haberi volunt. Dum de rebus temporalibus non ineleganter disserere norunt, nihil in se possident unde propriam vitam interiorem nutriant, nihil, unde proximum spiritualiter iuvare queant.

Omni civium ordini est maxima cura providendum. Possint igitur invitationes, consilia, iussiones S. C. Concilii fervorem zeli catechismi ubique excitare!

Medium fere unicum dissipandi lamentabilem ignorantiam rerum quas ipse Dominus de caelo descendens nos docuit, est omni arte efficere ut multiplicetur occasio audiendi verba salutis. Neque putent sacerdotes se sine praeparatione, quasi ex tempore bene catechismum tradere posse. Excell. orator episcopus DUPANLOUP dicebat se non ausum fuisse catechismum tradere quem prius non ex integro scripsisset. Nec solum in catechismis, sed in omni contionis genere arripienda est occasio quaedam clare docendi. Contionator qui instruit semper placet.

III. Liceat nobis maxime commendare expositionem ordinatam partis catechismi die dominica ad evangelium missae. Egregius professor iuris in Universitate has familiares allocutiones anteponebat ser-

monibus maxime sollemnibus. Optimum etiam est ut interdum per annum praelegatur summa rerum quas omnis christianus cognoscere et exercere debeat. Em. Cardinalis Mercier optimum huiusmodi summarium ipse conscripsit quod bis in anno populo inter Missam Dominicam proponitur. Et cum passim iam distribuantur folia die dominica de evangelio, de Missa, ne neglegatur opportunitas docendi partem scientiae divinae.

IV. Quae definite praecipiuntur tam clare enuntiantur ut explicatione indigere non videantur. Satis nobis erit haec ambo commonefacere: *a)* ut religiosi sint parati libenter obsecundare Episcopis quaedam ab ipsis in hac re petentibus; *b)* ius esse Episcopis visitandi scholas religiosorum, etiam exemptorum quod ad modum quo alumnis non religiosis exponunt religionem. Conentur autem sui zeli haec specimina dare ut visitatio omnino superflua aestimetur.

Grati de Instructione S. C. Concilii, omnem operam adhiheamus ut mores penetret. Nec arbitremur nos sic parti secundariae missionis nostrae attendere. Recordemur exempla S. Petri Canisii et S. Roberti Bellarmini; qui per catechismos ab ipsis conscriptos fidem in Germania et Italia servaverunt et propagarunt. Recordemur scripta a S. Ignatio in Const. P. 5, c. 3, B.

Quod autem de pueris docendis in voto fit mentio, ea de causa fit ut sancta haec exercitatio, peculiari modo sit commendata, et devotius curetur, propter singulare obsequium quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur; et quia facilius oblivioni tradi poterat, et in desuetudinem abire quam alia magis speciosa, cuiusmodi est praedicatio, etc.

Memores simus promissionis Biblicae: « Fulgebunt... qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellae in perpetuas aeternitates » (Dan. 12, 3).

---

38. — S. Paenit. Apostolica (*Sectio de Indulgentiis*)

Responsum ex audientia SS.mi, 13 aprilis 1935

DE CONTIONIBUS AUDITIS OPE « MEGAPHONI »
IN ORDINE AD INDULGENTIAS LUCRANDAS.

(Ex rescripto authentico).

N. 1162/35

Beatissime Pater,

Orator. Procurator Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, Humiliter petit solutionem dubii quod sequitur: Utrum acquirere valeant Indulgentiam plenariam annexam Benedictioni Papali, quam in fine Missionum vel Exercitiorum Sacerdotes missionarii memoratae Societatis impertire possunt, fideles qui ob eorum numerum ad ecclesiam, in qua contionator loquitur, accedere non valent sed in aliam ecclesiam vel locum pium conveniunt eodem tempore ibique audiunt sacram contionem, ope instrumenti quod vocant « megafono » transmissam. Benedictio Papalis impertienda supponitur in utraque ecclesia ab aliquo Sacerdote, non autem et ipsa ope praedicti instrumenti transmittenda. Et Deus, etc.

Dubium de acquisitione indulgentiae.

Dies (13 april 1935). Die 13 aprilis 1935.

Gratia. SS.mus D. N. D. Pius div. Prov. Pp. XI, in audientia D. Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, proposito dubio respondere dignatus est: *Affirmative.*

De Mandato E.mi
S. Luzio, *S. P. Regens*

L. ✠ S.

I. Teodori, *S. P. Secretarius.*

Annotationes

I. *Species facti.* Supponitur, dum Excercitia spiritualia praedicabantur, talem fuisse populi concursum ut ecclesia ubi tradebantur contineri non potuisset. Ope tamen megaphonii hodie pars populi exercitia audire et sequi potest in vicina ecclesia aut oratorio. Quo-

modo autem omnibus conferetur indulgentia plenaria quae annexa est Benedictioni Apostolicae quam Pater qui exercitia peregit communicare potest?

II. Nonne posset ipso megaphonio quo contiones perceptae sunt, concessio indulgentiae audiri et obtineri? Orator id videtur excludere propter reverentiam.

Quare hunc modum suggerit, ut in locis in quibus, praeter ecclesiam exercitiorum populus quidam convenerat, obtineret indulgentiam per sacerdotem qui delegaretur ad benedictionem apostolicam largiendam. S. Pontifex modum approbavit.

Inde tacite facultatem subdelegandi concessit. Gratia illa necessaria erat ex can. 913, 1°. Nec valet delegatio iurisdictionis, ubi requirebatur delegatio concedendi indulgentiam.

III. Quaeres utrum eadem ratione applicari posset indulgentia iis qui per radiophoniam audiverunt Exercitia?

Resp. Hactenus id fieri non posse. Quia concessio nequit extendi ad hunc casum. Res tamen non est absolute impossibilis. Nonne S. Pontifex, *directe* utendo radiophonio, concessit indulgentiam plenariam *Urbi et Orbi;* vel in fine Congressus eucharistici Dublinensis, et Argentinae?

Verum difficulter populus satisfaciet condicioni audiendi Exercitia spiritualia. Praeterea communicatio ope megaphonii minore distantia circumscribitur, est magis personalis quam communicatio per radiophoniam. Quare nova, formalis concessio necessaria foret.

ACTA SUMMATIM RELATA

39. — SS. D. N. Pius Pp. XI

In *Consistorio secreto*, die 1 april. habito, acta sunt quae ex ordine referuntur: I. Perula S. Collegii S. R. E. Cardinalium traditur R.mo Cardinali CAPOTOSTI, hoc anno ipsius S. Collegii Camerario. II. SS. D.nus de BB. Martyrum IOANNIS FISHER et THOMAE MORE Canonizatione ac de presentibus adiunctis profert allocutionem quam exscripsimus supra p. 80. III. Relatio fit causae Canonizationis. IV. E.mus E. Card. Pacelli ad munus Camerarii S. R. Ecclesiae assumitur. V. SS.mus varias proponit Ecclesias. VI. Fit postulatio Palliorum (*A. A. S.*, XXVII, 129).

Dein in *Consistorio publico*, quod 4 april. secutum est, pro sollemni peroratione canonizationis SS. Martyrum ab Ill.mo Domino AUGUSTO MILANI, decano Collegii avvocatorum Sacrae aulae Consistorialis. Cui nomine Sanctitatis Suae respondit Ill.us ac Rev.mus D. ANTONIUS BACCI, Secretarius a Brevibus ad Principes, multas esse rationes propter quas ipse S. Pontifex gratissimus postulato satisfacere cupiat. Nihilominus ut omnes rite procedant differendam ducit sententiam donec in Consistorio semi-publico de re suffragia exquisita fuerint Cardinalium ceterorumque sacrorum Antistitum. Interea adhortatur omnes ut lumen Spir. SS. menti Suae concilient.

BIBLIOGRAPHIA

I. - *Ex Libris*

T. L. Bouscaren (S. I.) — *The Canon Law Digest. Supplement 1935.* Broch. (13 × 19.5) 65 p. The Bruce Publ. Company. Milwaukee 1935.

F. M. Cappello (S. I.) — Tractatus Canonico-Moralis de Sacramentis. Vol. II, Pars III. - *De Sacra Ordinatione.* Accedit Appendix de iure Orientalium. Vol. (12.5 × 20) XII-716 p. Marietti. Torino-Roma 1935. Lit. 27.

De Exsistentia sacramenti ordinis - De variis gradibus hierarchicis ordinis - De effectibus et officiis ordinum - De materia et forma - De ministro sacrae ordinationis - De subiecto sacrae ordinationis - De irregularitatibus et impedimentis - De servandis ante ordinationem - De caerimoniis, tempore, loco etc. sacrae ordinationis - De praecipuis obligationibus ordinibus sacris adnexis - De poenis quoad sacram ordinationem - De causis circa sacram ordinationem - Appendix I. De disciplina Orientalium - Appendix II. Decretum S. C. de Sacramentis diei 9 Iunii 1931, seu: De processu super nullitate s. ordinationis vel onerum.

Angel Carbonell (R. D.) — *El Colectivismo y la Ortodoxia Católica.* Estudio religioso social. Vol. (12.5 × 19.5) XV-366 p. Libreria Subirana, Barcelona 1928.

Declaración previa - Conflictos imaginarios - Confesión de culpas - Errores adheridos al colectivismo - Cuestión eterna - Colisión de derechos - La libertad y la ley - Forma y concepto cambiantes de la proprietad - El poder público y el régimen de la proprietad - Testamento y herencia - La producción colectiva - El ansia posesora - El factor moral - Capitalismo y usura - El derecho natural y la proprietad - Espiritu social del catolicismo,

A. C. De Schrevel-A. Legrand. — *Florilegium* seu Fasciculus precum et indulgentiarum. Editio Tertia. Vol. (9.5 × 16) 474 p. Desclée de Brouwer et Soc. Bruges 1933.

P. Dell'Olio (S. I.) — *Esercizi Spirituali di S. Ignazio di Loyola.* Testo e commento. Vol. (12 × 17.5) 1082 p. Macioce-Pisani, Isola del Liri. 1934. Lit. 15.

Armand Godoy — *Il Dramma della Passione.* Traduzione poetica di Salvatore Lo Presti. Vol. (15.5 × 19) 126 p. Siculorum Gymnasium, Milano. XIII. Lit. 10.

Willibald Höchl (Dr). — *Das Eherecht des Magisters Gratianus* (Wiener Staats und Rechtswissenschaftliche Studien. (Neue Folge der Wiener Staatswissenschaftlichen Studien). Herausgegeben in Verbindung mit Hans Mayer und Adolf Mukl von Hans Kelsen. Band XXIV). 115 pag. Leipzig und Wien. Franz Deuticke. 1935. 6 Mk.

Vorwort, Verzeichnis der hauptsächlich verwendeten literatur. I Teil. Der Magister und sein Werk. II Teil. Das Eherecht. I Kap. Der Inhalt der Ehebegriffes, II Kap. Die Erscheinungsformen der Ehe. II Kap. Die Ehehindernisse. IV Kap. Wirkungen der Eheschliessung.

E. Mélot (Av.) — *Les Pensions de Vieillesse.* Coordination et commentaire pratique des dispositions légales relatives à la majoration gratuite de rente. Vol. (12 × 19) 86 p. Edit. de la Soc. d'Etud. Mor., Soc. et Jurid. Louvain, s. d.

P. Octavius Andegavensis (O. F. M.) — *Sacrae Psalmodiae praestantia et qualitates eiusdemque regulae cum sine cantu persolvitur.* Vol. (12 × 17.5) VIII-275 p. Curia Gen. O. Min. Cap. Via Boncompagni, 71 Roma 1933. Lit. 6.

Andrea Piola (Prof.) — *Trattato e Concordato fra Italia e Santa Sede.* Note di critica giuridica. Broch. (17.5 × 24) 48 p. D. Devoto, S. Margherita Ligure, 1935. Lit. 5.

R. Plus (S. I.) — *Wie man beständig beten kann.* Grundsäzze nebst praktischer Abung der Gottvereinigung. Deutsch von P. Johannes Sternaux S. J. Vol. (9.5 × 16.5) 128 p. Josef Habbel. Regensburg 1933.

J. Quasten (Dr) *Monumentu Eucharistica et liturgica vetustissima.* Pars I et II. 2 Broch. (15.5 × 23.5). 112 p. Edit. B. Geyer et J. Zellinger. Bonnae 1935.

*** *Manuale Apostolatus Orationis.* Ad usum Moderatorum dioecesanorum et Directorum localium. Vol. (11 × 17) 172 p. Borgo S. Spirito, 5. Roma 1934.

*** *Die Wandlungen der Wirtschaft im kapitalistischen* Zeitalter. Ein Sammelwerk der Internationalen Vereinigung für Rechts - und Wirtschaftsphilosophie. Herausgegeben von Goetz Briefs. Vol. (16 × 23.5) 456 p. Walther Rothschild. Berlin-Grunewald 1932.

Der klassische Liberalismus (*Briefs*) - Der klassische Sozialismus (*Meusel*) - Der staatssozialistische Ideenkreis (*Andreae*) - Der evangelische Ideenkreis (*Wünsch*) - Der deutsche

Katholizismus und die soziale Entwicklung des kapitalistischen Zeitalters (*Brauer*) - Der kapitalistische Markt (*Helander*) - Die liberale Arbeitsmarktverfassung (*Berger*) - Liberale Handespolitik (*Röpke*) - Die liberale Agrarpolitik (*Ritter*) - Die liberale Gewerpolitik (*Bruck*) - Die liberale Finanzpolitik (*von Mering*) - Der Staat im Zeitalter der liberalen kapitalistischen Wirtschaft (*Salander*) - Der Strukturwandel des Rechts. (*Darmstaedter*) - Das neue Soziale und wirtsschaftliche Werden (*Briefs*).

II. - *Ex Periodicis.*

Benediktinische Monatschrift 1935. — P. DANIEL FAULING. Mythus und sakramentale Glaubenskirche. — ABT ADALBERT VON NEIPPERG. Vorfasten. — P. BASILIUS STEIDLE. Für odes wider Nestorius? — M. FR. LOEBENSTEIN. Gregorianik und die Rhythmik-lehre des Solesmenser Schule. — P. LEO VON RUDLOFT. Vom Sinn der Tapferkeit. — H. KELLER. Kirche als Kulturgemeinschaft.

Bogoslovska Smotra 1935. — SPILETAK (Dr). Tres casus conscientiae a J. G. Strossmayer propositi ac soluti. — M. BELIC. Pravna narav braka.

Cité Chrétienne 1935. — R. REY ALVAREZ. Peut-on dévaluer la monnaie. — DE SOIGNIE (S. I.). Pour plus de justice sociale dans la Société Anonyme.

Chronique sociale de France 1935. — VALTON. Un problème de morale Sociale: Les honoraires médicaux et la morale. — R. BIOT (Dr). Eugénisme et courte vie.

The Clergy Review 1935. — N. 5. Special number in honour of BB. Jhon Fisher and Thomas More. — L. L. MC. REAVY, M. A. « Servile Worh ». I. The evolution of the present sunday law. — R. O' SULLIVAN, K. C. Non-catholic cooperation. — G. D. SMITH. « Must I believe it? »

Collationes Brugenses 1934. — A. LEGRAND. De directione ad praxim iustitiae. — J. BRYS. De obligatione clericorum deferendi habitum ecclesiasticum. — ST. WILLEMS. De adiuratione.

Collationes Gandavenses 1935. — B. BLATON. Kerk en Theologie over Oorlog en Pacifisme. — W. GOOSSEN. La théodicée de M. H. Bergson. A propos d'un ouvrage récent.

Collationes Gandavenses 1935. — O. SCHELFHOUT. De distinctione numerica peccatorum.

Collationes Namurcenses 1935. — G. KOERPERICH. De impedimento mixtae religionis. — E. VOOSEN. De imputabilitate delicti.

Collectanea Mechliniensia 1935. — F. PRIMS. De Antwerpsche Geestelijkheid bij den aanvang der geloofsvervolging in den Franschen tijd. — E. CARTON DE WIART. Origo potestatis ecclesiasticae. — L'étude du Corps Mystique du Christ.

Il Diritto Ecclesiastico 1934. — A. BERTOLA. I santuari e il concordato. — 1935. — P. FEDELE. Impedimenti pubblici occulti e dubbi nel matrimonio putativo. — Figlio nato extratorum e dispensa da matrimonio rato e non consumato. — GIUSTI A. L'annullamento del matrimonio putativo con riguardo alla prole.

Ephemerides Liturgicae 1935. — *** (S. C. de Prop. Fide) De Kalendario in Missionibus adhibendo. Commentarium (BATTISTINI). - (S. Paenit. Apost.) Dubium super can. 934 § 2 C. I. C. Commentarium (BATTISTINI). - Litterae apostolicae quibus S. Matthaeus apostolus et evangelista italorum militum aerariae rei tuendae patronus constituitur. — PIZZONI I. De benedictione ordini lectoratus propria. — PRADO G. Il movimento liturgico in Ispagna.

Estudios Eclesiasticos 1935. — CERECEDA, F. Recurso a las actas del Tridentino en lucha de auxiliis. — FERRERES, J. B. Onanismi remedium.

Gregorianum 1935. — I. ZEIGER. De Iuris Canonici ad Ecclesiae naturam habitudine. — I. B. SCHUSTER. Das Verbot der staatlichen Zwangssterilisierung und das Prinzip der Güterabwägung. — P. D'ELIA. Alle origini del Clero Indigeno nel Giappone e in Cina. — R. BIDAGOR. El Congreso Iuridico Internacional.

The homiletik and pastoral review 1935. — C. BRUEHL (D. D.). A Just Social Order. — J. A. O' BRIEN. Are Lost Souls Eternally Tortured ?

Homo dei 1935. — O. ST. WOJCIK (C. ss. R.). De abstinentia et jejunio.

Ius Pontificium 1934. — M. LEGA (Em. Card.) - De variis formis processus criminalis. — F. SEREDI (Em. Card.) - De relatione inter Decretales Gregorii IX et Codicem i. c. — F. GILLMAN. De systemate Decreti Gratianei. — C. BERUTTI. De iurisdictione quae ipso iure delegatur ad audiendas fidelium confessiones. — *** Ex actis Curiae Romanae: Pont. Comm. ad Cod. responsa cum adnotationibus - S. C. Officii decreta cum commentario. - S. R. Rotae Normae cum commentario dioecesanis tribunalibus aptato. — C. PIONTEK. De acephalis in iure canonico. — G. OESTERLE. Decretales Gregorii IX sub respectu dissolutionis matrimonii per subsequens matrimonium consum-

matum. - De cautionibus matrimonialibus. — B. MATHIS. Definitionum legalium « status religiosi » ac « religionis » comparatio. — S. ROMANI. De beneficiis paroecialibus conferendis.

Il Monitore Ecclesiastico 1935. — INTERLANDI. Diritto patronato passivo o clausola di fondazione. — *** La dispensa dagli impedimenti matrimoniali. — M. PISTOCCHI. Discriminanti « Vis et Metus » (continuazione). — PIER DAMIANO (Capp.). Tempo Medio dell'Europa Centrale.

Nederlandsche Katholieke stemmen 1935. – H. BEIJERSBERGEN, S. I. Eenige antwoorden der Pont. Comm. Cod. — J. L. JANSEN, C. ss. R. De Leer van Christu's mystiek licaam toegepast. — G. VAN STRAATEN. (O. E. S. Aug.). Sint Augustinus over de kuischheid. I. — G. M. CROONEN (C. ss. R.). Toerisme en zielzorg. — L. BUIJS (C. ss. R.). Om de perodieke onthouding. — *** Eerte Vrijdag Heilig Uur.

Neue Ordnung 1935. — *** Das natürliche Lebensrecht.

Nouvelle Revue Théologique 1935. — R. BOIGELOT (S. I.). L'Église et le Socialisme. — É. MERSCH (S. I.). Corps mystique et Humanité contemporaine.

Palestra del Clero 1935. — A. MANCINI (S. S.). De Hysterectomia terapeutica utero pleno. - De lege et methodo Ogiensi. - L'argomento dell'autorità nella questione dell'isterectomia. Ancora del metoto Oginense. — A. FILOCALO. Casi straordinari di giurisdizione conferita dalla Chiesa a chi ne è abitualmente privo. - A proposito di error comune. — *** Proposta d'innovazione liturgica nel Breviario e nel Messale Romano, ossia il « Comune dei Santi Sacerdoti Confessori ». — E. MATTIOLI (R. D.) Occasionario, assoluzione e comunione. — G. VERLA (R. D.). A proposito di Messa dialogata. — E. BONINCONTRO (Mgr). Il più delicato dei problemi. - Antifisiologica la castità? — MAURO DA GRIZZANA, (Capp.). L'obbligazione degli sponsali. — G. FAGIOLI (R. D.). Diritto Funerario. - Il matrimonio condizionato può essere trascritto civilmente. — P. VITO (R. D.). Vicario Foraneo e precedenza.

Pastor Bonus 1935. — K. BOHM. Gott und Götter bei den Germanen. — D. W. SCHLAGS. Eine neue zeigemässe Buchfolge.

Perfice munus 1935. — *** La continenza periodica nel Matrimonio. — GENNARO (Prof.). Trasmissione di elemosine per Messe. — MATTEO DA CORONATA. Delega di Giurisdizione. Cripta mortuaria.

Rassegna di morale e diritto 1935. — S. ROMANI. Le basi della morale e del diritto. - Elementi di teologia morale. In-

troduzione. - La genesi psicologica del problema morale. — A. De Cupis. Sulla ragione giuridica dell' acquisto del tesoro.

Sal Terrae 1935. — *** Venta de oratorio público con beneficio patronado. - Capilla debajo de las habitaciones. - Sumario de oratorios. — Olegario Corral. Un medio eficaz de apostolado. — E. F. Regatillo. Execración y violación del cementerio católico. — Camilo M. Abad. Cómo recristianizar al pueblo obrero.

Schönere Zukunft 1935. — J. Eberle. Ubernationales Papstum und nationale Volksinteressen. (Besteht eine « ultramontane Gefahrt »?). — J. Döbling. Vergesst es nicht, wenn Ihr über Deutschland sprecht! — J. Hollnsteiner. Christentum und Germanentum in der Rechtsentwicklung. — A. Exelberger. Gibt es Protestantenverfolgungen in Österreich ? - « Quadragesimo anno » in Österreich. - Geburtenrückgang und Wirtschaftsnot. — A. Bertram. (Card.). Die Katholiken Deutschlands zu Anfang 1935. — *** Frühchristliche Kirche und freidenkerische Pseudowissenschaft von heute. - Wider die heutigen Abschreiber des « Pfaffenspiegel ». — J. Kleinhappl, S. I. Soziale Gerechtigkeit. — Kaufmann. Gehört der menschliche Körper dem Volke? — Berning. (Ep.). Die Arbeit der Kirche am Volkstum. — F. v. Mentzingen. Ein heidnischer Kalender für die deutschen Bauern ? — T. Brauer. Um die Stellung der Persönlichkeit in Gesellschaft und Staat. — P. Jostock. Bank-und Börsenreform in Deutschland. — I. B. Müller, S. I. Die Biologisch-medizinische Bedeutung der Hormone. — M. v. Faulhaber. « Wo der Geist des Herrn ist, da ist Freiheit ». — P. Schmidt, S. I. Von Talismanen und Amuletten. (Moderner Aberglaube). — W. Schwer. Die Leistung des christlichen Mittelalters für den beruffsständischen Gedanken. — F. Sievering. New Yorks Park Avenue - die « Insel » der Plutokratie. — Rhenanus. Was verdankt die deutsche Frau dem Christentum ? — N. Grohauser Zur Negerfrage in den Vereinigten Staaten. — J. Messner. Der Stand der Bankenreform in dem wichtinsten Ländern. — E. Mittler. Stresa und Genf gegenüber Deutschland. — L. Sprenger. Fortschritte in Oesterreich. — H. Heiner. Die Katholiken im heutigen Ungarn. — F. Trautenau (Dr). Die anglikanische « Kirche » und die Frage der Wiedervereinigung mit Rom. — R. Schwenger (Dr). Der Wirtschaft-Betrieb als sittliche Frage. — J. B. Kurz Gedanken von heute über geschlechtliche Erziehung. - Ist christlicher Dulderglaube unheldisch ?

(*Continuabitur*).

PARS ALTERA

MONUMENTA

40. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Litt. enc. « Ad catholici sacerdotii » 20 dec. 1935

DE SACERDOTIO CATHOLICO

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Memorat perpetuam et actuosam sollicitudinem quam ab initio sui Pontificatus demonstravit de sacerdotibus et Levitis.

Ad catholici sacerdotii fastigium vixdum Nos arcano Providentis Dei consilio evecti, actuosam voluntatem Nostram ad eos convertere numquam destitimus, qui, in multis quos habemus in Christo filiis, sacerdotali dignitate aucti, id muneris susceperunt, ut « sal terrae et lux mundi » (1) evaderent; ac peculiari modo ad eam iuventutem Nobis sane carissimam curas adiicere non praetermisimus, quae, intra sacrarum aedium saepta, ad pernobile eiusmodi officium obeundum animum praeparat atque componit.

Quin immo, paucis exactis mensibus ab inito Pontificatu, antequam universum catholicum orbem, datis ex more litteris, alloqueremur (2), per Epistulam Apostolicam « Officiorum omnium » (3), quam ad Dilectum filium Nostrum misimus, qui sacro Consilio praeest Seminariis studiorumque Universitatibus praeposito, eas normas decernere curavimus, quibus sacrorum alumni instituendi conformandique essent. Quotiescumque autem

(1) Matth., V. 13, 14.
(2) Litt. Encycl. *Ubi arcano* d. d. 23 dec. 1922.
(3) *A. A. S.*, vol. XIV (1922), pp. 449 sqq.

eo pastoralis sollicitudo Nos admovet, ut Ecclesiae rationes necessitatesque intentiore animo reputemus, eadem sacerdotes et levitas prae primis complectitur, quos, uti nostis, in oculis ferimus.

Id testantur Seminaria; ratio cur sollemniter celebraverit quinquagesimus exiens annus sacerdotii sui; Constitutio « Deus scientiarum Dominus ».

Quam quidem de sacri ordinis viris pastoralem sollicitudinem Nostram ea luculenter testantur Seminaria non pauca, quae, vel ubi deerant, inibi excitavimus, vel angustiora — ingentibus impensis sumptibus — novis amplioribusque sedibus ditavimus, itaque omni ope instruximus, ut dignius aptiusque, id quod conantur, assequi possent.

Quodsi Nobis, quinquagesimo sacerdotii Nostri exeunte anno, istiusmodi faustitatem sollemniter celebrari libuit; eaque filiorum studia placuit, quae ex universo terrarum orbe in Nos deferebantur, paterna prosequi voluntate; id eo consilio fecimus, quod potiusquam privatam personam Nostram, sacerdotalem ispam dignitatem ipsumque munus iure meritoque dilaudari cernebamus. Atque itidem, per Apostolicam Constitutionem « Deus scientiarum Dominus » die XXIV mensis Maii, anno MDCCCCXXXI datam, Ecclesiasticas studiorum Universitates in meliorem esse ordinem redigendas ea ratione decrevimus, ut cleri culturam sacramque disciplinam etiam atque etiam proveheremus (1).

De gravissimo argumento ex consulto agere proponit, pro omnium utilitate.

Iamvero id, quod in praesens Nobis propositum est, tanti est ponderis tantaeque gravitatis, ut hac de re per has Litteras ex consulto agere opportunum Nobis videatur; ita quidem ut non modo qui pretiosissimum christianae fidei donum retinent, sed qui etiam recta sinceraque mente veritatem expetunt, excelsam catholici sacerdotii maiestatem eiusque — ex Divinae Providentiae consilio — omnibus perutile munus agnoscant: quod sane ut ii potissimum intento animo reputent optamus, qui caelesti quodam instinctu ac nutu ducti ad sacra capessenda vocantur.

Celebritas Lapurdensis, ad finem properante iubilaeo Redemptionis, d facit opportunum.

Id porro peculiari modo consentaneum sub huius anni exitu ducimus, qui Lapurdi — coram nivea eademque radianti Immaculatae imagine — per continenter in triduum actam Eucharisticam supplicationem, sacri ordinis homines ex omni lingua ex omnique ritu vidit superna luce circumfusos, cum extremos ederet caelestis

(1) *A. A. S.*, vol. XXIII (1931), pp. 241 sqq.

gratiae fulgores ad occasum vergens humanae Redemptionis Iubilaeum, ad universum catholicum orbem prorogatum; illius dicimus Redemptionis, cuius administri habentur venerandi carissimique Nobis sacerdotes, numquam sane operosiores satiusque de re christiana merentes, quam per huius Anni Sancti decursum, quo quidem fuit, ut in Apostolicis Litteris « Quod nuper » animadvertimus, XIX ab instituto divinitus catholico sacerdotio commemoratum saeculum (1).

Congruit Enc. cum ceteris Encyclicis. Quam varia efficientia pollet sacerdos.

Ac profecto ut cum ceteris Encyclicis Litteris, a Nobis pro opportunitate superiore tempore datis — per quas utique graviores causas, quae huius aetatis homines exercent sollicitosque tenent, catholicae doctrinae luce collustravimus — apte haec Epistula concinneque congruit, ita eadem etiam videtur Nobis sollemnia dita praecepta perficere, iisdemque veluti coronam imponere.

Est enimvero sacerdos, ex divino afflatu mandatoque suscepto, praecipuus christianae iuvenum educationis apostolus idemque indefatigabilis adsertor (2); ipse maritali vinculo Dei nomine auctoritateque bene precatur, eiusque perpetuitatem sanctitatemque adversus libidinis cupidinisque nisus erroresque tutatur (3); ipse, ut fraternam hominum necessitudinem praedicat, ut mutua omnibus iustitiae caritatisque evangelicae officia inculcat, ut denique — divitibus ac proletariae plebi affectanda omni ope veri nominis bona quasi digito demonstrans — animos, ob rei oeconomicae discrimen morumque demutationem exulceratos, pacare nititur, ita eo adiutricem operam confert, ut civilis Societatis ordinum conflictationes vel componantur feliciter, vel saltem mitigentur (4). Est praeterea sacerdos illius paenitentiae sanctae expiationisque praeco atque excitator praestantissimus, ad quam quidem Nos bonos omnes adhortati sumus, ut impietates, turpitudines, flagitia, quae humanum genus in praesens tantopere temerant atque dedecorant, pro viribus resarciantur; quandoquidem hodie — si umquam alias — divini Redemptoris misericordia indigemus eiusque venia (5).

(1) *A. A. S.* vol. XXV (1933), pp. 5-10.
(2) Litt. Encycl. *Divini illius Magistri* d. d. 31 dec. 1929.
(3) Litt. Encycl. *Casti connubii* d. d. 31 dec. 1930.
(4) Litt. Encycl. *Quadragesimo anno* d. d. 15 maii 1931.
(5) Litt. Encycl. *Caritate Christi* d. d. 3 maii 1932.

Quare hostes Ecclesiae volunt sacerdotem stirpitus e societate evellere.

Procul dubio Ecclesiae hostes efficientem sacerdotalis muneris vim non ignorant; atque adeo — quemadmodum ad dilectissimum Nobis Mexicanum populum scribentes conquesti sumus (1) — adversus illud potissimum dimicant ut ex hominum societate stirpitus evellatur, ac tandem aliquando ad catholicum nomen penitus delendum viam sibi sternant: quod utique discupiunt vehementer, at procul dubio numquam assecuturi sunt.

I.

Sacerdotum necessitas ubique comprobata.

Nullo non tempore genus humanum sacerdotum necessitatem expertum est, virorum scilicet, qui ex officio legitime concredito, Dei hominumque conciliatores essent, quorum totius vitae munus illas complecteretur rationes, quae ad aeternum Numen pertineant, quique preces, piacula, sacrificia, societatis nomine offerrent, quae ipsamet revera publice religionem colere iubetur, Deum ut supremum principium ac dominum agnoscere, immortales eidem grates agere, eumque et propitium reddere et ut finem ultimum sibi proponere. Siquidem penes omnes populos, quorum mores in comperto sunt, modo sanctissimas humanae naturae leges abnuere atque eiurare ne cogantur, sacrorum administri habentur, quamvis saepenumero vanis superstitionibus serviant; itemque ubicumque aliquam profitentur homines religionem, ubicumque aras erigunt, nedum ibi sacerdotibus careant, peculiari eos honore venerantur.

Revelatio multo maiore dignitate sacerdotem Insignivit.

Attamen, cum divina affulsit Revelatio, multo equidem maiore dignitate insignitum est sacerdotale munus; quam profecto dignitatem arcano quodam modo praenuntiat Melchisedech (2) sacerdos ac rex, cuius exemplum Paulus Apostolus ad Iesu Christi personam ac sacerdotium refert (3).

Officium spectat res divinas et aeternas.

Quodsi est sacrorum administer, secundum praeclaram eiusdem Pauli sententiam, « ex hominibus assumptus », at « pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum » (4): illius nempe officium non res spectat

(1) Litt. Encycl. *Acerba animi* d. d. 29 sept. 1932.
(2) Cfr. *Gen.* XIV, 18.
(3) Cfr. *Hebr.*, V, 10; VI, 20; VII, 1-11, 15.
(4) *Hebr.*, V, 1.

humanas ac fluxas, quantumvis aestimatione laudeque dignae videantutr, sed divinas easdemque aeternas; res porro, quae etsi ob hominum ignorationem despicatui atque irrisui haberi possunt, quaeque — ut non semel vel in praesens experiendo summa cum aegritudine vidimus — quamquam callida malignitate impioque furore praepediri possunt, primum tamen locum sibi vindicant in privatis ac publicis hominum votis, qui ut acriter se sentiunt Deo natos, ita numquam se posse nisi in eo conquiescere revera fateri iubentur.

Sacerdotii V. T. dignitas prophetica quam Alex. M. veneratus est

In sacris Veteris Testamenti litteris sacerdotio per normas constituto, quas Moyses Dei instinctu ac nutu ductus promulgavit peculiaria officia, munera, ritus attribuuntur. Videtur nempe ipsemet, pro suae providentiae consilio, hoc maximum in rudibus Hebraeorum animis, quasi insculpere voluisse praeceptum, cuius lumine eventa, leges, dignitates atque instituta collustrarentur: sacrificium scilicet unaque simul sacerdotium eo potissimum spectare ut — ad messianicam expectationem omnium excitatis animis — spei, gloriae, virtutis liberationisque causae ac veluti fontes evaderent (1). Salomonis templum, mirabile illud tam divitiarum splendore, quam institutionibus ac ritibus monumentum, non idcirco dumtaxat excitatum est, ut divinae maiestatis in terris tabernaculum esset, sed etiam ut altissimum illius sacerdotii ac sacrificii haberetur praeconium, quae, etsi imagines erant atque indices, tantum nihilominus praeferebant arcani, ut Alexander Magnus ipse, coram sacra Summi Sacerdotis persona, victricem frontem reverenter inclinaret (2); ac coeleste ipsum Numen, in impium Baltassar regem veluti iracundia incitatum est quod liturgicis abusus vasibus sceleste comissatus esset (3).

praenuntiabat sacerdotium Christi.

Atqui Veteris Testamenti sacerdotium maiestatem gloriamque suam non aliunde sumebat, nisi quod illud praenuntiabat novi aeternique Testamenti a I. Christo datum, veri scilicet Dei verique hominis sanguine constitutum.

Brevis laus Apostoli Pauli.

Gentium Apostolus, de christiani sacerdotii amplitudine, dignitate ac munere summatim presseque agens,

(1) Cfr. *Hebr.*, c. XI.
(2) Cfr. Ios. Flav., *Antiq.* lib, XI, c. 8, n 5 (edit. Teubner, III, 61 § 331).
(3) Cfr. Dan., V, 1-30.

hisce verbis sententiam suam veluti scalpro exprimit: « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (1).

Sacerdos minister Christi, alter Christus.

Minister Christi sacerdos: divini igitur Redemptoris quasi instrumentum est, ut mirabilem eius operam, quae superna efficacitate pollens universumque hominum convictum redintegrans, eum ad excellentiorem cultum traduxit, per tempora persequi valeat. Quin immo ipse, quod iure meritoque dicere sollemne habemus, « alter est Christus », cum eius gerat personam secundum illud: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (2); eodemque modo ac Magister eius, « gloriam in excelsis Deo » concinat pacemque « hominibus bonae voluntatis » (3) suadeat.

Institutio sacerdotii in novissima coena.

Iamvero quemadmodum sacra Tridentina Synodus (4) docet, I. Christus in novissima Coena sacerdotium ac sacrificium Novi foederis instituit: « Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara Crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur, quia tamen, per mortem, sacerdotium eius extinguendum non erat (5), in Coena novissima, qua nocte tradebatur (6), ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret (7), atque illius virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum (8) constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecipit per haec verba: « Hoc facite in meam commemorationem » (9).

---

(1) *I Cor.*, IV, 1.
(2) Io., XX, 21.
(3) Luc , II, 14.
(4) Sess. XXII, c. 1.
(5) *Hebr.*, VII, 24.
(6) *I Cor.*, XI, 23.
(7) *I Cor.*, XI, 24 sqq.
(8) *Ps. CIX*, 4.
(9) Luc., XXII, 19; *I Cor.*, XI, 24.

Ex hoc tempore missae oblatae.

Hoc ex tempore Apostoli eorumque in sacerdotio successores illam, quam Malachia Propheta vaticinatus est, « oblationem mundam » coelesti Numini offerre instituerunt, qua quidem divinum nomen magnum est in gentibus: (1) quaeque iam, in quavis terrarum orbis parte ac qualibet diei noctisque hora, coelo admota, ad interitum usque humani aevi perpetuo peragetur.

Missa vera immolatio, admiranda potestas.

Vera divinae hostiae immolatio haec est, non meracum signum; quae proinde ad humanum genus cum peccatis laesa sempiterna Dei maiestate reconciliandum efficacem vim habet: « hac quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum paenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit » (2).

Cuius rei causam enucleando explicat eadem sacra Tridentina Synodus hisce verbis: « Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa » (3). Ex quo inenarrabilis perspicuo apparet catholici sacerdotis excelsitas qui in idem Iesu Christi Corpus potestate praeditus, in aras eum prodigialiter advocat ac, quodammodo Divini Redemptoris manibus, aeternae Dei Maiestati gratissimam hostiam offert. « Admiranda sunt haec — iure meritoque inquit Chrysostomus — admiranda et omni stupore plena! » (4).

Sacerdotis potestas in corpus mysticum. Dispensator sacramentorum.

At praeterea, hanc non modo in verum Iesu Christi corpus potestatem assecutus est sacerdos, sed in mysticum etiam eius corpus, hoc est Ecclesia, excelsam amplissimamque auctoritatem. Opus non est, Venerabiles Fratres, multis morari in hac pulcherrima mystici I. Christi corporis doctrina enucleanda, quae tantopere Paulo Apostolo cordi erat; quaeque nos docet divinam Incarnati Verbi personam itemque omnes quos veluti fratres complexus est et ad quos supernus afflatus pertinet ab eodem manans, unam efficere membrorum compagem, cuius Christus est caput. Iamvero sacerdos — ut ordinarius est fere omnium sacramentorum administer, quae quodammodo rivuli exstant, per quos Redemptoris gratia ad universam hominum communitatem defluit — idcirco « dispensator mysteriorum Dei » (5) constituitur.

(1) Cfr. MALACH., I, 11.
(2) S. Conc. Trid., sess. XXII, cap. 2.
(3) S. Conc. Trid., sess. XXII, cap. 2.
(4) *De sacerdotio*, lib. III, 4 (MIGNE, *P. G.*, XLVIII, 642).
(5) Cfr. *I Cor.*, IV, 1.

ut eadem mystici Iesu Christi corporis membris impertiat. Itaque christifidelibus, in graviore qualibet mortalis suae vitae hora, sacerdos assidet, ut hanc eamdem gratiam, quae supernum est caelestis vitae principium, ex divinitus accepta potestate vel iisdem praebeat, vel praebitam augeat. Ubi primum in lucem editur homo, sacrorum administer ad lustralis aquae fontem eum expiat ac renovat, eidem nobiliorem ac pretiosiorem vitam impertiens, supernaturalem nempe, quae illum Dei Ecclesiaeque filium efficit; ut ad certanda spiritualia certamina strenuum magis eum reddat, sacerdos itidem, peculiari dignitate auctus, per Confirmationis Sacramentum in I. Christi militiam adsciscit; cum vero puer Angelorum Panem e caelo datum discernere magnique pendere potest, eum hoc viventi vitamque communicanti pabulo nutrit ac reficit. Quodsi misere labitur, eum sacrorum administer per paenitentiae sacramentum erigit ac Dei nomine auctoritateque corroborat; si autem, per coniugii munia ad Creatori suo quasi adiutricem operam praestandam deligitur, ut humanae vitae donum ad posteritatem propagetur atque adeo cum in terris christifidelium multitudo tum in sempiterna coelorum beatitate electorum numerus augeatur, tunc etiam ei adest sacerdos, qui nuptiis eius castoque amori bene a Deo precatur. Cum denique mortalis huius vitae exitu adventante, indigent homines virtute, indigent auxilio ut divini Iudicis praesentiam sustineant, etiam atque etiam I. Christi minister in perdolentia emorientium membra reclinatus, eosdem illitos sacro chrismate expiat ac sublevat. Itaque, postquam christifidelibus sacerdos per omnem terrenae huius peregrinationis decursum ad aeternitatis usque ianuam comitatus est, sacrorum rituum precibus, quae immortalem spem redolent, eorum exuvias ad sepulcrum effert; sed necdum sempiterni aevi compotes relinquit, quin immo, si piamine indigeant ac levamento, precum eosdem solacio adiuvat. Quapropter recti itineris ductor, levaminis salutisque administer ac coelestium donorum largitor, christianis nullo non tempore adest, ab incunabulis nempe, ad humationem, ad coelorum gaudia.

Reformidanda potestas remittendi peccata.

Attamen in variis potestatis suae muneribus, quae sacri ordinis vir obtinet in mystici Iesu Christi corporis utilitatem, hoc praesertim, quod supra attigimus, volumus heic enucleatius persequi; auctoritatem dicimus, « quam

— ut S. Ioannis Chrysostomi sententiam mutuemur — neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus » (1), scilicet remittendi peccata auctoritatem: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt » (1). Reformidanda sane potestas haec est, ac tam Deo propria, ut elatus ipse hominum animus impertiri posse mortalibus infitiari cogeretur: « Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? » (2).

Quonam consilio data.

Ac profecto, quoniam hominem vidimus hac eadem uti facultate, temperare Nobis non possumus quin, non Pharisaeorum more, sed venerabunda admiratione permoti, illa geminemus verba: « Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? (3) Atqui homo Deusque Christus, qui quidem « potestatem in terra dimittendi peccata » (4) obtinuerat et obtinet, eo consilio cum sacerdotibus eam communicare voluit, ut, divinae misericordiae largitate, expiationis necessitati succurreret, quae omnium animos sollicitat.

Solatium inde sonti cuique.

Maximum sane inde oritur solacium sonti cuique, qui, conscientiae stimulis anxius at poenitens, illam Dei nomine prolatam sibi sententiam audit: « Ego te absolvo a peccatis tuis ». Cum vero hoc ab eo audiat, qui ipsemet officio tenetur eamdem sententiam ab alio sacerdote impetrandi, non idcirco miserentis Dei beneficium evilescit, sed excelsius effici videtur; quandoquidem Dei potius quam hominis manus inspicitur, quae rem prorsus mirandam operatur. Quapropter — ut scriptoris praeclarissimi verbis utamur, qui ea mentis acie, quam vix in laicorum ordine inveneris, de rebus etiam sacris agere sollemne habet — « ubi sacerdos, commotus vehementer animo ob indignitatem suam suorumque munerum granditatem, ad reclinatum caput nostrum sacratas manus extulerit; ubi, mente demissus quod sacri foederis sanguinis largitor effectus sit, itemque mirabundus quotiescumque vitae effectricia verba ediderit, peccator ipsemet admissis absolvit peccatorem, nos quidem ex eius pedibus erecti, rem haud indignam egisse reapse experimur... Siquidem ad hominis pedes provoluti sumus, qui Iesu

(1) S. Io. Chrysost., *De sacerdotio*, lib. III, 5.
(1) S. Io., XX, 23.
(2) Marc., II, 7.
(3) Luc., VII, 49.
(4) Luc., V, 24.

Christi personam gerit... idque fecimus ut pretiosissimum liberorum filiorumque Dei munus adipisceremur » (1).

Potestas incredibilis, simulque nova gratia.

Istiusmodi potestas, peculiari sacramento sacerdoti collata, cum ex indelebili forma oriatur eius animo impressa, qua, illius instar, cuius sacerdotium participat, « sacerdos in aeternum » (2) factus est, non caduca est ac fluxa, sed stabilis atque perpetua. Etiamsi, ob humanam infirmitatem, in errores sit et in dehonestamenta prolapsus, numquam tamen sacerdotalem hanc formam suo ex animo delere poterit. Ac praeterea, non hanc dumtaxat sacerdotalem formam, non has tantummodo, de quibus diximus, excelsas potestates per Ordinis sacramentum adipiscitur sacerdos, sed nova etiam peculiarique gratia, peculiarique ope adaugetur, per quas quidem — si modo divinitus efficienti caelestium donorum virtuti adiutrici liberaque opera sua, fideliter obsecundaverit — digne profecto nec deiectus animo poterit arduis suscepti ministerii officiis respondere, et gravissima ea munera absolvere quae vel ipsi christiani sacerdotii athletae, ut Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius Magnus, Carolus Borromaeus ceterique non pauci, tantopere reformidabant.

Munus praedicandi sacerdotis.

Huc accedit quod sacerdos minister est Christi ac dispensator mysteriorum Dei (3), eo etiam « ministerio verbi » (4), iure nempe, quod abalienari non potest, itemque demandato sibi ab Redemptore officio, quod praetermitti nequit: « Euntes docete omnes gentes...; docentes eos servare quaecumque mandavi vobis » (5). Iesu Christi Ecclesia, divinae Revelationis custos ac magistra falli nescia, caelestium veritatum thesauros quacumque per sacrorum administros propagat, illum praedicans, qui est « lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum » (6); ac semen illud divina largitate profundit, parvulum equidem humanaeque sapientiae despectum, quod tamen, sinapis grani instar, validas altissimasque radices in eorum animos agens qui sincero studio veritati inhient, ita firma ac robusta arbor eri-

---

(1) Manzoni, *Osservazioni sulla morale cattolica*, c. XVIII.
(2) Cfr. *Ps. CIX*, 4.
(3) Cfr. *I Cor.*, IV, 1.
(4) Cfr. *Act.*, VI, 4.
(5) Matth., XXVIII, 19-20.
(6) Io., I, 9.

gitur, ut ne vehementium quidem procellarum vi evelli queat (1).

Indefatigabilis praeco constituitur salutaris doctrinae.

In variis erroribus, quos hominum mens peperit, ex lege effrenataque licentia tumens, in profligatis moribus, quos miserrime humana nequitia invexit, tamquam turris nocturnis ignibus cursum navium regens erigitur Ecclesia Dei; quae porro omnem hinc illinc a veritate declinationem reprobat, quaeque singulis universis sequendam recto itinere viam indicat. Ac vae nobis, si haec veluti Pharos, nedum restingueretur — quod procul dubio ex non deficientibus I. Christi pollicitationibus umquam fieri nequit — suam tamen radiantem lucem usque quaque ne diffunderet praepediretur! Omnium iam obversatur oculis quo sit hominum genus ea de causa prolapsum, quod divinam revelationem superbe abiecerit, quodque fallacia de re philosophica ac morali commenta, quamquam fucata veri specie, sit perperam secutum. Quodsi per praeruptam errorum vitiorumque declivitatem mondum ima petiit, id profecto christianae veritatis doctrina fecit, quae ubique gentium diffunditur. Iamvero Ecclesia sibi concreditum « ministerium verbi » per sacrorum administros perficit, quos quidem, in variis ecclesiasticae hierarchiae ordinibus constitutos, quocumque gentium mittit, ut indefatigabiles illius veritatis praecones exstent, quae una potest civilem humanitatis cultum invehere, atque experrectum incolumemque servare.

Vis, efficacia alloquii sacerdotis.

Sacerdotis alloquium in omnium animos demittitur, iisdemque lucem, solacium affert; sacerdotis alloquium, vel in medio illecebrarum vortice, serenum emergit, ad virtutem adhortatur, veritatemque impavide nuntiat: illam dicimus veritatem, quae dubias humanae vitae res omnes collustrat suoque ordine componit; illam inquimus virtutem, quam nullus adversus casus auferre potest, ne mors quidem, quae eam potius tutam immortalemque reddit.

Quantum potest inculcando praecepta, maxime caritatis.

Si vero praecepta ex ordine reputamus, quae saepenumero sacerdos, ut sui muneris officio fideliter respondeat, inculcare debet, iisdemque vim insitam perpendimus, procul dubio perspicimus quam magnus quamque sit beneficiorum plenus ad redintegrationem morum populorumque tranquillitatem assequendam eius afflatus

(1) Cfr. MATTH., XIII, 31-32.

atque appulsus. Idque tum praesertim, cum primores tenuioresque de fugaci huius vitae cursu admonet, eosdemque docet quam fluxa sint terrena bona, quam pretiosa immortali animo spiritualium munerum adeptio, quam denique severa aeterni Iudicis sententia, qui incorrupto suo certissimoque oculorum obtutu omnium corda scrutatur « et reddet unicuique secundum opera eius » (1). Nihil sane opportunius,quam haec aliaque id genus praecepta ad aestuantem voluptatum cupidinem mitigandam, itemque ad effrenatam coërcendam externarum rerum aviditatem, quae profecto in praesens cum tot homines corrumpant atque dehonestent, varios civitatis ordines eo compellunt ut, nedum sibi adiutricem operam praestent, inter se hostili animo dimicent. Cum vero passim nimium sui ipsius studium invalescat, cum tantae fere ubique conflagrent simultates, tantaque teterrima emergant ulciscendi consilia, nihil sane aptius magisque consentaneum, quam Iesu Christi « mandatum novum » (2) praedicare atque efferre; praeceptum nempe caritatis, quae ad omnes pertineat, non nationum populorumque finibus contineatur, ne hostem quidem excipiat atque arceat.

Quantum valeant praecepta sacerdotum per viginti fere saecula experti sumus.

Siquidem per viginti fere saecula illustri praeclaroque modo experti sumus quantopere sacerdotum praecepta valeant, quibus ut « sermo Dei vivus... et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti » fideliter remittitur ac quodammodo reverberatur, ita « usque ad divisionem animi et spiritus » (3) pertingitur, ad egregia facinora ubique animi excitantur, ac nobilissimi spiritus omnibus iniiciuntur.

Ex remoto saltem principio, ex sacerdote manant beneficia civilis christiani cultus.

Quaelibet beneficia, quae civilis christiani nominis cultus in hominum societatem induxit, ex catholici sacerdotii institutione atque opera, tamquam ex remoto saltem eorum principio proficiscuntur. Id igitur bene in posterum sperare iubet, praeterquam quod « firmiorem sermonem » (4) habemus ex non deficientibus I. Christi promissionibus.

Missionalium opera a sacrorum ministris promota.

Atque etiam Missionalium opera, quae eam tam luculenter se dilatandi facultatem ostendit, qua ex divina

(1) Matt., XVI, 27.
(2) Cfr. Io.. XIII, 34.
(3) Cfr. *Hebr.*, IV, 12.
(4) Cfr. *II Petr.*, I, 19.

virtute Ecclesia praedita est, provehitur maxime et ad felicem exitum deducitur a sacrorum administris, qui, fidei praecones caritatisque sequestres, innumeris exanclatis laboribus, divini Regni fines usque quaque proferunt atque propagant.

Sacerdos publicus ex officio pro omnibus deprecator.

Sacerdos denique, hac etiam in re I. Christi munus persequens, qui « erat pernoctans in oratione Dei » (1) et « semper vivit ad interpellandum pro nobis » (2), publicus ex officio exstat ad Deum pro omnibus deprecator: eidem in mandatis est non modo proprium verumque altaris sacrificium caelesti Numini offerre, sed etiam « sacrificium laudis » (3) communesque preces, is nempe psalmis, supplicationibus et hymnis, quae magna ex parte e sacris Litteris mutuatur, cotidie iterum atque iterum debitum Deo adorationis munus persolvit, atque necessarium eiusmodi impetrationis officium pro hominibus perficit, anxiis sollicitisque hodie, si umquam alias, divinoque auxilio egentibus. Ecquis poenas enumerando dixerit, quas sacerdotales preces e praevaricantium hominum capite arceant; et quot quantaque beneficia iisdem impetrent atque impertiant?

Maiore virtute donantur publicae supplicationes. Quot mala sacerdos avertit.

Si vel privata supplicatio tam sollemnibus pollet magnisque a I. Christo datis pollicitationibus (4), at preces, quae Ecclesiae nomine, dilectae nempe Redemptoris sponsae, ex officio funduntur, maiore procul dubio vi virtuteque fruuntur. Quapropter christiani homines, quamvis in prosperis rebus nimio saepius sint Dei immemores, naturali tamen instinctu ducti, admotas Numini preces omnia posse fidenti animo sentiunt, atque adeo in omnibus huius vitae adiunctis ad eas confugiunt, easdemque a sacris administris in publico privatoque discrimine adhibendas impetrant: a precanti sacerdote omne genus infortunati solacium flagitant; ad eumdemque, in terrenae huius peregrinationis exsilio, coelestem opem imploraturi, adeunt. Reapse « medius stat sacerdos inter Deum et humanam naturam: illinc venientia beneficia ad nos deferens, nostras preces illuc perferens, Dominum iratum reconcilians » (5).

---

(1) Cfr. Luc., VI, 12.
(2) Cfr. *Hebr.*, VII, 25.
(3) Cfr. *Ps. XLIX*, 14.
(4) Cfr. *Matth.*, VII, 7-11; Marc., XI, 24; Luc., XI, 9-13.
(5) S. Io. Chrysost., *Homil. 5 in Isaiam.*

Adversarii Ecclesiae sacerdotes maxime impetunt.

Ceterum, quod supra attigimus, ipsi Ecclesiae adversarii magnam catholici sacerdotii dignitatem ac vim idcirco percipere atque perpendere videntur, quod illud primis vehementioribusque nisibus lacessunt, probe noscentes quam arctissimis vinculis Ecclesia sacrorumque administri contineantur. Ac praeterea qui acrius hodie in sacerdotium dimicant, caelestem iidem Numen infitiantes hostili animo impugnant: quod profecto honore maximo maximaque aestimatione dignos sacri ordinis homines efficit.

II.

Indignitas paucorum non tollit haec promerita, nec efficaciam sacramentorum.

Amplissima igitur est, Venerabiles Fratres, sacerdotalis dignitas; neque huius altissimae dignitatis splendori officiunt quorumdam, etsi lamentabilia ac miseranda, ob humanam infirmitatem admissa; eodemque modo haec ipsa paucorum admissa praeclaras tot sacerdotum laudes — virtute, doctrina, religionis studio martyrioque facto insignium — in oblivionem adducere non possunt. Idque eo vel magis quod hominis indignitas ministerii sui operam non irritam reddit: siquidem exploratum omnino est administri indignitatem sacramentorum vim non attingere, quae ex sacratissimo I. Christi sanguine, non ex sacerdotum sanctitate, suam repetunt efficacitatem; ea scilicet aeternae salutis instrumenta, ut theologicae disciplinae verbis utamur, « ex opere operato » actionem suam exserunt.

Postulatur tamen morum integritas et studium perfectionis.

Perspicuum tamen est eiusmodi dignitatem, in iis omnibus qui eadem insigniti sunt, illam excelsitatem mentis, animi munditiam morumque integritatem postulare, quae sacerdotalis muneris maiestati sanctitatique respondeant. Hoc, ut diximus, sacerdotem constituit Deum inter hominesque conciliatorem, ex illius nempe persona ac mandato, qui est « unus mediator Dei et hominis, homo Christus Iesus » (1).

Eum igitur oportet ad eius perfectionem proprius pro facultate accedere, cuius partes gerit; seseque vitae operumque probitate gratiorem cotidie Deo reddere; quandoquidem plusquam suave turis effluvium, plusquam sacrarum aedium nitorem, virtutem Deus aestimat ac

(1) Cfr. *I Tim.*, II, 5.

diligit. « Quia (ordinati) efficiuntur medii inter Deum et plebem — ut ait S. Thomas — ideo debent bona conscientia nitere quoad Deum et bona fama quoad homines » (1).

Sacrilegus est qui vitam improbandam gerit.

At contra, si quis res sacras agit atque administrat, vitamque improbandam gerit, is profanum facit, ac sacrilegus efficitur: « Qui sancti non sunt, sancta tractare non debent » (2).

Quamobrem iam in Veteris Testamenti litteris sacerdotibus ac levitis suis Deus praeceperat: « Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus qui sanctificabo eos » (3). Ac sapientissimus rex Salomon, in dedicandi templi cantico, hoc nominatim filiis Aaron a Deo impetrat: « Sacerdotes tui induant iustitiam, et sancti tui exsultent » (4). Iamvero, Venerabiles Fratres — Bellarmini verbis utimur — « si tanta iustitia et sanctitas et alacritas requirebatur in sacerdotibus illis, qui sacrificabant oves et boves et laudabant Deum pro temporalibus beneficiis; quid, quaeso, requiritur in sacerdotibus illis, qui sacrificant divinum Agnum, et gratias agunt pro beneficiis sempiternis » (5) « Magna quippe Praelatorum dignitas — S. Laurentius Iustinianus inquit — sed maius est pondus: in alto gradu ante oculos hominum positi sunt, oportet quoque ut in sublimi virtutum culmine sint erecti coram oculis cuncta cernentis; alioquin non ad meritum, sed ad proprium praesunt iudicium » (6).

Papa adhortatur sacerdotes ad sanctitatem

At reapse, rationes omnes, quas, ut catholici sacerdotii excelsitatem demonstraremus, iam breviter attigimus, nunc iterum Nostro obversantur animo, ut ad absolutae sanctimoniae officium, quo sacrorum administri tenentur, vehementer eosdem adhortemur. Etenim, quemadmodum Angelicus Doctor edocet: « ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis » (7). Siquidem Eucharisticum sacrificium, quo innocens victima

(1) *Summ. Theol., Supp.*, q. 36, a. 1. ad 2m.
(2) *Decret.*, dist. 88, can. 6.
(3) *Levit.*, XXI, 8.
(4) *Ps. CXXXI*, 9.
(5) *Explanat. in Psalmos*, Ps. CXXXI, 9.
(6) *De instit. et regim. Prael.*, c. 11.
(7) *Summ. Theol., Supplem.*, q. 35, a. I, ad 3m.

immolatur, hominum peccata delens, peculiari quodam modo postulat, ut sacerdos, per vitae sanctitudinem morumque integritatem, digniorem pro viribus se Deo impertiat, cui cotidie adorandam illam colendamque hostiam offert, quae ipsum est Dei Verbum, caritate nostrum homo factum. « Agnoscite quid agitis, imitamini quod tractatis » (1) Ecclesia verbis Episcopi consecrantis diaconum admonet, qui mox sacerdotali honore augendus est.

postulatam ab officiis sacerdotum.

Est praeterea sacri ordinis vir divinarum gratiarum largitor, quarum sacramenta sunt veluti fontes; at profecto istiusmodi largitorem vel pretiosa illa carere gratia, vel mancum illius esse aestimatorem segnemque custodem, summopere dedecet. Accedit quod fidei veritas est ab eodem docenda; atque numquam religionis disciplinae digne efficienterque traduntur, nisi cum virtus huius institutionis dux est atque magistra, secundum illud « verba movent, exempla trahunt ». Ab eo itidem est evangelica lex praedicanda; attamen, si optat ipsemet ut hanc eamdem legem qui audiant amplectantur, nihil aptius, nihil validius, divina gratia aspirante, hoc obtinet, quam si christiana plebs sacrae veritatis praeconem cernat, tradita ab se praecepta suae ipsius vitae probitate diligenter observare. Cuius causae ratio perspicue a S. Gregorio Magno hisce verbis explanatur: « Illa vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo, praecipit, ostendendo adiuvat ut fiat » (2). Ita profectio Sacrae Litterae nos docent divinum egisse Redemptorem, qui « coepit facere et docere » (3); atque eidem multitudines laetis vocibus acclamavisse, non modo quod « numquam sic locutus fuisset homo, sicut hic homo » (4), sed idcirco potissimum quod « bene omnia fecisset » (5). Contra vero, « qui dicunt et non faciunt » cum scribis et pharisaeis comparari possunt, quos Christus redarguens — incolumi divini verbi, quod legitime nunciabant, auctoritate — eiusmodi sententia audientem populum admonuit: « Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei; omnia ergo

(1) *Pontif. Rom., in ordinat. presbyt.*
(2) *Epist.*, lib. I, ep. 25.
(3) *Act.*, I, 1.
(4) Cfr. Io., VII, 46.
(5) Cfr. Marc., VII, 37.

quaecumque dixerint vobis servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere » (1). Quisque suo ipsius vitae exemplo veritatem, quam impertit, non commendat, is procul dubio quod hinc excitat, inde miserrime destruit. At Deus, contra, eorum Evangelii praeconum laboribus obsecundat benigneque aspirat, qui primum, data opera sollerte, ad suam ipsorum sanctimoniam assequendam toto pectore incumbant: ita enim affatim emergunt ac dehiscunt flores eorum irrigati sudore; turgent ac pubescunt fructus: atque adeo, maturatis messibus, « venientes venient cum exsultatione portantes manipulos suos » (2).

Error eorum qui nimio ardore se dant muneribus externis.

Animadvertendum tamen est sacrorum administrum in gravissimum erroris discrimen incidere, si haud recto studio illectus atque compulsus, propriam sui ipsius sanctimoniam praetermittens, externis, etsi probandis, sui muneris inceptis nimio ardore se dedat. Hac etenim si ratione agat, non modo aeternam sui salutem ancipitem incertamque reddat — quemadmodum, hisce verbis usus, gentium Apostolus sibi metuebat: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar » (3) — sed etiam, ut divinae gratiae iacturam non faciat, procul dubio tamen illum bene suadentis Spiritus Sancti impulsum amiserit, qui mirabilem prorsus vim atque efficacitatem externis attribuit apostolatus operibus.

Sacerdotes magis audire debent: « estote perfecti ».

Ceterum, si christianis omnibus illud praeceptum est: « Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (4), eo magis sacrorum administri haec eadem divini Magistri verba ut sibi potissimum impertita reputent iubentur, qui peculiari Numinis instinctu ad arctiorem Iesu Christi imitationem vocati sunt. Quamobrem Ecclesia omnibus e cleri ordine gravissimum eiusmodi severe inculcat officium, quod suis legibus inseruit: « Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere » (5). Et quoniam sacerdos « pro Christo legatione fungitur » (6), ita vivat necesse est,

(1) MATTH., XXIII, 2-3.
(2) *Ps. CXXV*, 6.
(3) *I Cor.*, IX, 27.
(4) MATTH., V, 48.
(5) *Cod. Iur. Can.*, can. 124.
(6) Cfr. *II Cor.*, V, 20.

ut ea Apostoli verba ad se referat: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi » (1); ita vivat ut alter Christus qui virtutis suae fulgore hominum universitatem collustrabat atque collustrat.

Maxime florere in ipsis debent: pietas,

At si omnium virtutum chorus in sacerdotali animo virescat oportet, sunt tamen quaedam, quae peculiarissimo modo sacros administros addeceant. Imprimisque pietas, secundum illud Apostoli gentium, carissimum sibi Timotheum adhortantis: « Exerce... te ipsum ad pietatem » (2). Etenim, cum rationes illae necessitudinesque, quae cum caelesti Numine sacerdoti intercedunt, tam arctae tamque intimae crebraeque sint, liquido patet eadem suavi pietatis effluvio coniungi ac veluti perfundi omnino oportere; ac quoniam pietas « ad omnia utilis est » (3), eadem est potissimum ad sacerdotale munus necessaria. Pietate posthabita vel neglecta, actiones, etsi sanctissimae, augustioresque ritus ex more assuetoque modo fient; quandoquidem iisdem procul dubio spiritus vitaeque afflatus decrit. Quamquam, Venerabiles Fratres, pietas, de qua loquimur, non levis illa est atque externa, quae, etsi collibet atque externa, quae, etsi collibet atque blanditur animo, non eum tamen nutrit neque ad sanctimoniam assequendam compellit; at solidam illam potius intellegi volumus, quae, sensuum aestibus non obnoxia, ita certissimae doctrinae principiis firmoque animi iudicio innititur, ut, qui ea polleat, ingruentibus illecebrarum motibus obsistere queat.

etiam in B. Virginem,

Quae profecto, tametsi ad caelestem Patrem potissimum erigenda est, nihilo secius in Deiparam etiam Virginem feratur; eam enim sacrorum administri incensiore quodam caritatis studio, quam laicorum ordinis homines, idcirco adamare debent, quod, ut rationum vincula, quibus sacerdos cum I. Christo coniungitur, arctiora sunt, ita necessitudines, quae Mariae cum Divino Redemptore intercedunt, impensiores quidem exstant.

castitas,

Praeclarissimum aliud, pietatique coniunctissimum, catholici sacerdotii ornamentum est ea morum castimonia, quam ut omnino diligenterque observent Latinae Ecclesiae clerici, maioribus Ordinibus initiati, tam gravi iubentur officio, ut, si deliquerint, sacrilegii rei eo ipso

(1) *I Cor.*, IV, 16; XI, 1.
(2) *I Tim.*, IV, 28.
(3) Ibid., IV, 8.

evadant (1). Quodsi eiusmodi lex Orientalis Ecclesiae administros non omnino tenet, iisdem tamen etiam ecclesiasticus caelibatus honori ducitur; atque interdum — cum praesertim de summis agitur hierarchiae gradibus — necessario requiritur atque iubetur.

quod etiam ratione humana demonstratur.

Cum sacerdotali ministerio hanc virtutem congruere vel humanae tantummodo rationis ope evincitur; quandoquidem enim « spiritus est Deus » (2), consentaneum prorsus videtur qui divino famulatui addicatur, eum quodammodo « corpore se exuere ». Iam Romani veteres id decorum esse inspexerant; siquidem antiquissimam hanc legem: « Ad divos adeunto caste » maximus eorum orator proferens, hisce verbis interpretatur: « Caste iubet lex adire ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia; nec tollit castimoniam corporis, sed hoc oportet intellegi, cum multum animus corpori praestet observeturque, ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id servandum magis » (3). Atque in Veteris Testamenti codicibus Aaron filiisque eius Dei nomine a Moyse praeceptum erat ut per hebdomadam, qua eorum consecratio perficeretur, e Tabernaculo ne exirent, ideoque continentiam per eos dies servarent (4).

Maior castitatis munditia postulatur in sacerdote N. Legis.

Atqui ab Novae Legis administro, qui Veteris Legis sacerdoti tantopere praestat, maior castitatis mundities procul dubio requiritur. Prima sacri caelibatus lineamenta in tricesimo tertio Eliberitani Concilii canone describuntur (5), saeculo videlicet ineunte quarto habiti, cum adhuc saeviret christiani nominis insectatio; quod profecto rem iamdudum in more fuisse testatur. Hoc autem legis praescriptum nihil aliud facit nisi ut cuidam, ut ita dicamus, postulato, quod ex Evangelio Apostolorumque praedicatione oritur, vim praebeat atque addat. Quod Divinus Magister, quem « florem Matris Virginis » (6) canimus, castitatis donum tanta aestimatione prosecutus est, ut id supra communem hominum virtutem efferret (7); quod inde a

(1) *Cod. Iur. Can.*, c. 132, § 1.
(2) Io., IV, 24.
(3) M. T. Cicero, *De leg.*, lib. II, c. 8 et 10.
(4) Cfr. *Lev.*, VIII, 33-35.
(5) Conc. Eliberit., can. 33 (Mansi. t. II, col. 11).
(6) Cfr. *Brev. Rom.*, Hymn. ad Laudes in festo SS. Nom. Iesu.
(7) Cfr. Matth., XIX, 11.

teneris unguiculis in Nazarethana domo cum Maria et Iosepho, virginibus utriusque, educari voluit; quod integros castosque animos, Ioannis nempe Baptistae et Evangelistae, peculiari caritate dilexit; quod denique gentium Apostolus, fidelis ille evangelicae legis doctrinaeque Christi interpres, inaestimabiles virginitatis laudes praedicat — ad sollertiorem praesertim Dei famulatum quod attinet: — « Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo » (1); haec omnia, Venerabiles Fratres, non efficere non poterant, ut Novi foederis administri et caeleste lectissimae virtutis huius invitamentum experirentur, et eorum numero eniterentur adscisci « quibus datum est capere verbum istud » (2), et observantem huic instituto obtemperationem sibi sponte imponerent, quod deinceps, in universa Latina Ecclesia, gravissimo ecclesiasticae auctoritatis praecepto sancitum est. Siquidem, quarto exeunte saeculo, Carthaginense Concilium adhortatur: « ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus » (3).

Patres Orientales praedicant castitatem et continentiam.

Neque vel praeclarissimorum orientalium Patrum documenta desunt, quae ecclesiastici caelibatus praestantiam efferant, quaeque testentur, hac etiam de re inter Latinam Orientalemque Ecclesiam tunc temporis consensionem iis in locis viguisse, in quibus severiori disciplinae obtemperaretur. Itaque — ut illustriora exempla adhibeamus — S. Epiphanius, quarto item exeunte saeculo, asseverat caelibatum ad subdiaconos usque pertinere: « Eum qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi ordinem admittit (Ecclesia), sed eum dumtaxat qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus; quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur » (4). At disertus prae omnibus videtur hac super causa S. Ephraemus Syrus, Diaconus Edessenus universaeque Ecclesiae Doctor, qui « Spiritus Sancti cithara merito appellatur » (5). Is nimirum Abraham Episcopum, amicum

(1) *I Cor.*, VII, 32.

(2) Cfr. Matth., XIX, 11.

(3) Conc. Carthag. II, can. 2; cfr. Mansi, *Collect. Conc.*, tom. III, col. 191.

(4) S. Epiphan., *Adversus haeres. Panar.*, 59, 4 (Migne, *P. G.*, vol. 41, col. 1024).

(5) *Breve Rom.*, d. 18 iun., lect. VI.

suum, per haec numeris adstricta verba, alloquitur: « Respondes nomini tuo, Abraham, quia tu quoque factus es pater multorum; sed quia tibi non est uxor, sicut Sara Abraham, ecce grex tuus est uxor tua. Educa filios eius in veritate tua, fiant tibi liberi spiritus et filii promissionis ut fiant heredes in Eden. O fructus pulcher castitatis, in quo sacerdotium complacuit, ... cornu efferbuit et unxit te, manus incubuit tibi et elegit te, Ecclesia optavit et dilexit te » (1). Atque iterum: « Non sufficit sacerdoti et nomini eius, offerenti vivum corpus, purgare animum et mundare linguam et expurgare manus et clarum reddere totum corpus, sed omnino purus esse debet omni tempore, quia positus est sicut mediator inter Deum et genus humanum. Laudetur ille, qui mundavit ministros suos! » (2) Hoc pariter Chrysostomus asseverat: « idcirco sacerdotium obeuntem ita purum esse debere, ac si in caelis inter Potestates illas collocatus esset » (3).

Incredibilis sacerdotii dignitas hoc postulat.

Ceterum ipsa christiani sacerdotii excelsitas, itemque, ut S. Epiphanii sententia utamur, eius « incredibilis honor et dignitas » (5), quam supra breviter pressequc attigimus, summum evincit caelibatus decus illiusque legis opportunitatem, qua eiusmodi institutum sacris altaris administris praecipitur: qui officio fungitur, quod muneri quodammodo praestat supernorum spirituum « qui astant ante Dominum » (4) nonne omnino consentaneum est eum caelestem pro viribus vitam agere? Qui « in iis, quae Domini sunt » (5) totus esse debet, nonne eum a terrenis rebus abhorrere, eiusque « conversationem in caelis esse » (6) addecet? Qui ad aeternam hominum salutem ita sedulo continenterque contendat oportet, ut divinam Redemptoris operam pro sua parte persequatur, nonne eum opportunum est a propriae familiae curis animum vacuum solutumque habere, quae non mediocrem navitatis suae partem abstraherent ac distinerent?

---

(1) *Carmina Nisibaena*, carm. 9.
(2) Ibid., carm. 18.
(3) *De sacerd.*, lib. III, c. 4 (MIGNE, *P. G.*, XLVIII, 642).
(4) *Advers. haeres. Panar.*, 59, 4 (MIGNE, *P. G.*, vol. 41, col. 1024.
(5) Cfr. TOB., XII, 15.
(6) Cfr. LUC., II, 49; *I Cor.*, VII, 32.
(7) Cfr. *Philipp.*, III, 20.

Pulchrum spectaculum iuvenum qui non coacti castitatem offerunt.

Grande sane spectaculum est incensaque admiratione dignum, quod tam crebro in catholica Ecclesia evenit, iuvenes nempe levitas cernere, qui, antequam Subdiaconatus ordini initientur, antequam scilicet divino famulatui ac cultui se omnino dedant, ultro libenterque polliceantur sese gaudiis atque solaciis esse abdicaturos, quae in alio vitae instituto honeste capessere possent. Ultro libenterque dicimus; namque, si, sacro ordine suscepto, iam non integrum iisdem neque liberum est terrenas nuptias inire, ad sacra tamen amplectenda munia nulla lege nullave persona coacti accedunt, sed propria cuiusque sua permoti voluntate (1).

Non vult tamen Pontifex improbare disciplinam Ecc. Orientalis.

Nihilo secius quae adhuc, ecclesiasticum caelibatum commendantes, verba fecimus non idcirco intellegi volumus, ac si Nobis in mente esset absimilem illam disciplinam quodammodo improbare ac redarguere, quae in Orientalem Ecclesiam legitime invecta est; sed revera animus Noster eo unice spectat, ut eam veritatem efferamus, quam et praeclarissimam ducimus catholici sacerdotii gloriam, et quae videtur Nobis Sacratissimi Iesu Cordis consiliis ac votis, ad sacerdotum animos quod attinet, dignius aptiusque respondere.

Terrenarum rerum continentia. In sortem D.ni vocati.

Ac praeterea, terrenarum rerum continentiâ, haud minus quam castitatis amore, sacrorum administri excellant. Cum homines cernere est omnia pecunia vendere, omnia pretio mercari, per vitiorum illecebras gradiantur illi nimio sui ipsius studio expertes; atque indignam quaestuum cupiditatem sancte respuentes, non rei nummariae sed animarum emolumenta quaerant, non suam ipsorum, sed Dei gloriam affectent atque expetant. Non mercenarii sunto, qui idcirco laborant, ut sui operis mercedem assequantur; non eorum instar, qui, quamquam ex officio vacant demandato sibi muneri, suae tamen privatae etiam utilitati inhiant et ad altiora contendunt. Sint « boni milites Christi », qui « non implicant se negotiis saecularibus, ut ei placeant, cui se probarunt » (2); sint Dei administri animarumque patres; ac mente reputent quam impendunt operam, quibus aestuant sollicitudinum studiis, non eadem posse hominum thesauris honoribusque compensari ac redimi. Quodsi iisdem haud vetitum est ea percipere, quae ad semet ipsos alen-

(1) Cfr. *Cod. Iur. Can.*, can. 971.
(2) *II Tim.*, II, 3-4.

dos ac sustentandos necessaria sunt, secundum illud Apostoli: « Qui altari deserviunt, cum altari participant, ... et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere » (1); attamen, « in sortem Domini vocati », quemadmodum ipsum « clericorum » nomen sonat, nullam aliam appetant mercedem, nisi eam, quam Christus suis Apostolis spopondit: « Merces vestra copiosa est in caelo » (2). Vae sacerdoti, si divinarum pollicitationum immemor « turpis lucri cupidum » (3) se proferat, et in profanum hominum vulgus se trudat atque immisceat, de quibus Ecclesia Apostoli verbis conqueritur: « Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi! » (4) Ita enim non modo demandato sibi muneri deesset, sed etiam concreditae plebi despicatui haberetur, quae procul dubio eius agendi rationem animadverteret evangelicis praeceptis repugnare, quae et divinus Magister luculenter edidit, et ipsemet populo suo nunciare debet: « Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in caelo » (5). Si animo perpendimus Iudam, unum ex Christi Apostolis, « unum ex duodecim », ut summa cum maestitia Evangelistae referunt, ob iniquam terrenarum rerum cupidinem ad interitum esse ruinamque prolapsum, facile intellegitur hoc idem aviditatis studium per saeculorum decursum tot tantaque peperisse Ecclesiae detrimenta. Cupiditas etenim, quae a Spiritu Sancto « radix omnium malorum » (6) vocatur, ad quodlibet flagitium rapere hominem potest; quodsi eatenus non processerit, sacerdos tamen, eiusmodi vitii contagione infectus, consulto inconsulte, Dei Ecclesiaeque inimicis adsciscitur, eorumque improbis consiliis audiutricem dat operam.

At contra, germana illa atque sincera ab externis bonis continentia omnium animos sacerdoti conciliat; idque eo vel magis quod cum animo ab terrenis rebus alieno, qui intima christianae fidei virtute enutriatur, incensa illa nullo non tempore coniungitur erga omne

(1) *I Cor.*, IX, 13, 14.
(2) MATTH., V, 12.
(3) *Tit.*, I, 7.
(4) *Philipp.*, II, 21.
(5) MATTH., VI, 19-20.
(6) *I Tim.*, VI, 10.

genus calamitatum miseratio, quae Dei administrum miserorum patrem efficit; quos ille, Iesu Christi sententiae memor: « quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (1), veluti Redemptorem ipsum singulari caritate colit atque complectitur.

Expeditus a vinculis propriae familiae suarumque utilitatum nexibus inflammabitur amore animarum.

Itaque sacri ordinis vir, ab eiusmodi vinculis expeditus, quae eum nimio arctius cum terrenis rebus devincirent — ab propriae nempe familiae vinculis suarumque utilitatum nexibus — satius profecto caelesti illo amoris igne inflammabitur, animarum dicimus amorem, qui e penetralibus I. Christi Cordis erumpit, quique nihil aliud nititur, nisi ut apostolicos animos attingat hominumque universitatem incendat (3). Hunc divinae gloriae hominumque salutis ardorem — ut de Redemptore evenisse a Sacris Litteris edocemur — Ecclesiae administrum urere ac veluti consumere oportet, ita quidem ut se suisque commodis posthabitis, semet ipse excelso suo muneri omnino dedat, omniaque cotidie impensius experiatur, ut demandati officii partes satius in dies latiusque expleat.

Meditatio boni Pastoris, indigentiarum animarum excitabunt commiserationes et studia apostolica quae Pontifex laudat.

Ecquid potest sacerdos evangelii praecepta meditari, bonique Pastoris questum percipere dicentis: « Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et alias oportet me adducere » (1); itemque cernere « regiones quia albae sunt iam ad messem » (2), quin « Domino messis » indefatigabilem se operarium impertiat, incensoque studio ita excitetur, ut errantes eiusmodi oves ad rectum iter adducat? Numquid potest tot tamque frequentes multitudinem videre « iacentes sicut oves non habentes pastorem » (3) — non modo in longinquis ab Missionalibus excolendis regionibus, sed, proh dolor, in urbibus et in pagis etiam in quibus iam diu viget christianum nomen — quin ipse vehementem commiserationem illam participet, quae divinum I. Christi animum tantopere continenterque affecit? (4) Sacerdotem dicimus, qui probe novit suo ex ore « verba vitae, suisque e manibus regenerationis

(1) Matth., XXV, 40.
(2) Cfr. Luc., XII, 49.
(3) Cfr. *Ps. LXVIII*, 10; Io., II. 17.
(4) Io., X, 16.
(5) Io., IV, 35.
(6) Matth., IX. 36.
(7) Cfr. Matth., IX, 36; XIV, 14; XV, 32; Marc., VI, 34; VIII, 2, etc.

salutisque opes oriri posse? Utique caelesti Numini immortales grates agimus, quod eiusmodi apostolici ardoris lux, praeclarum veluti ornamentum, sacrorum administrorum frontem illuminat; quodque cernere Nobis licet, haud mediocri cum paterni animi solacio, Nostros Venerabiles Fratres ac dilectos filios — Episcopos nempe ac sacerdotes — quasi in confertum lectissimumque agmen coëuntes, ita Summi Ecclesiae Moderatoris invitamento respondere, ut citatiore cotidie gradu ad ultimos usque terrarum orbis fines eo consilio procedant, quo pacifera et aspera veritatis adversus errorem, lucis adversus tenebras, Divini Regni contra Satanae regnum, certamina certent.

Promptus miles studio oboedientiae imbui debet.

At vero ex hoc ipso quod catholicus sacerdos promptus est strenuusque miles, necessitate consequitur ut is disciplinae spiritu, immo etiam — ut christiano more loquamur — oboedientiae studio imbuatur; illius dicimus oboedientiae, qua ut varii ecclesiasticae hierarchiae ordines concinne congruenterque continentur, ita « certa mira varietate Ecclesia sancta circumdatur, ornatur et regitur, cum alii in ea Pontifices, alii minoris ordinis sacerdotes... consecrantur, et ex multis et alternae dignitatis membris unum corpus Christi efficitur » (1). Hanc eamdem oboedientiam sacrorum administri, adhuc a sacerdotio recentes, suo cuiusque Episcopo spoponderunt; atque itidem Episcopi, quo die ad sacerdotii culmen evecti sunt, eo die supremo adspectabilique rei catholicae rectori, beati Petri successori ac Iesu Christi Vicario, sanctissimis verbis adiuraverunt.

Beneficia istius hierarchicae obtemperationis.

Istiusmodi igitur obtemperationis officium varios hierarchiae ordines eiusque membra cotidie arctius inter se et cum Pontifice Summo ita coniungat, ut reapse militantem Ecclesiam Dei osoribus terribilem reddat « ut castrorum aciem ordinatam » (2): idemque eorum studio moderetur, qui nimio concitentur ardore; iis, qui languore vel inertia laborent, stimulos adiiciat; suas cuiusque partes, propria cuiusque munera unicuique tribuat; in eademque exsequenda ita quilibet se impendat, legitimae ut numquam auctoritati obsistat; quod profecto non alio pertineret, nisi ut amplissimam Ecclesiae operam praepediret. Accipiat quisque suorum moderatorum

(1) *Pont. Rom., de ordinat. Presb.*
(2) Cfr. *Cant.*, VI, 3, 9.

normas ut ipsius Iesu Christi praecepta; qui vere unus est, cui omnes obtemperemus, catholicae religionis dux et auctor, quippe pro nobis « factus est oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (1).

Exemplum Christi oboedientis

Divinus enim summusque sacerdos absolutissimam suam Aeterno Patri oboedientiam nobis singulari quodam modo patefieri voluit; cuius quidem oboedientiae frequentissima sunt in prophetarum evangelistarumque codicibus testimonia: « Ingrediens mundum dicit; hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi... tunc dixi: ecce venio; in capite libri scriptum est de me ut faciam, Deus, voluntatem tuam » (2). « Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me » (3). Itemque e cruce pendens, non antea caelestis Patris manibus animam suam tradidit, quam sollemniter asseveraret ea omnia, quae Sacrae Litterae de semet ipso praenuntiavissent — hoc est munus sibi a Patre concreditum ad arcanum illum usque questum « sitio », quem « ut consummaretur scriptura » edidit — omnino expleta esse.

Quo declaravit incensum studium animarum divino nutui subesse debere.

Qua procul dubio in agendi ratione id nominatim declaratum voluit, vel incensissimum nempe animarum studium oportere divino nutui nullo non tempore omnino subiiciatur; semper nimirum ad eorum voluntatem moderatores, qui caelestis Patris personam gerunt, eiusque iussa nobiscum communicant.

Postulatur doctrina.

Verumtamen catholici sacerdotis lineamenta, quae Nos in totius orbis luce collocare cupimus, haud omnino illustrata verbisque definita pateant, si aliud sacerdotalis animi ornamentum, doctrinam scilicet, praetemittamus quam Ecclesia in eo postulat. Ille nimirum, cum a Christo Iesu officium munusque acceperit docendi veritatem: « Docete... omnes gentes » (4); « magister in Israel » (5) constituitur. Salutis praecepta tradere iubetur; quae quidem praecepta debet, ut gentium Apostolus admonet, « sapientibus et insipientibus » (6) impertire. Atqui, quomodo poterit doctrinam cum ceteris communicare, si

(1) Cfr. *Philipp.*, II, 8.
(2) *Hebr.*, X, 5-7.
(3) Io , IV, 34.
(4) Io., XIX, 28.
(5) Matth., XXVIII, 19.
(6) Io., III, 10.
(7) *Rom.*, I, 14.

eadem instructus ornatusque non sit? Per Malachiam prophetam Spiritus Sanctus praemonet: « Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius » (1); ac nemo profecto, in sacerdotis sapientiae commendationem, graviora poterit, quam ea, admonita edere, quae caeleste ipsum Numen per Oseam edidit: « Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi » (2). Necesse igitur est sacri ordinis virum omnes de catholica fide deque moribus disciplinas ita callere, ut easdem ceteris proponere queat, itemque dogmata, leges Ecclesiaeque cultum, cuius administer exsistit, christifidelibus explanare possit; atque adeo oportet religionis ignorantiam, quae — quamvis humanarum rerum scientia mirabiles prorsus processus fecerit — multorum tamen mentes obumbrat, eloquii sui luce virtuteque collustret atque dispellat. Quod dilucide Tertullianus admonet: « Hoc unum gestis interdum (veritas), ne ignorata damnetur » (3), hodie, si umquam alias, animo reputare peropportunum est. Debet praeterea sacerdos praeiudicatas falsasque opinationes, quas aggesserit adversariorum simultas, e mentibus arcere; aetatis huius hominibus, veritatis appetentissimis, eamdem serena praebere sinceritate; incertos adhuc animos, vel dubitatione laborantes, erigere, confirmare, et ad securum illius catholicae fidei portum, quam edocti fortiter amplectantur, tuto fidenterque adducere; pertinacibus denique protervi qua quidem magis magisque ad concionandum animosque pectus ac non perturbatam solidamque virtutem.

Altiora sacerdos pro viribus Theologiae studia repetat, nec in litteris humanis cedat laicis. Exemplo Alberti Magni Ecclesia ostendit omnes cogitationes humanas fidei explanationi inservire posse.

Sacerdos igitur, Venerabiles Fratres, etsi sui muneris occupationibus curisque distentus, altiora pro viribus gravioraque Theologiae studia repetat, atque adeo illius adiumentis doctrinae, quam in Seminario hausit, uberiorem cotidie addat sacrarum disciplinarum eruditionem, qua quidem magis magisque ad concionandum animosque regendos idoneus evadat (4). Idem praeterea, ut concrediti officii decus postulat, utque fidem aestimationemque populi, quemadmodum addecet, sibi conciliet — quod procul dubio pastolarem operam suam efficientiorem red-

(1) Malah., II, 7.
(2) Os. IV, 6.
(3) Tertull., *Apolog.*, c. 1.
(4) Cfr. *Cod. Iur. Can.*, c. 129.

det — illa vel profanarum scientiarum copia praeditus esto, quas hodie exculti homines commune veluti patrimonium habent; sancte videlicet esto suorum temporum progressionibus necessitatibusque non impar, eodem nimirum modo, quo catholica Ecclesia aetates omnes omnesque gentes complectitur, bona cuiusvis incepta fovet ac provehit, ac veri nominis scientiarum, etsi audaces, ad altiora processus, nedum metuat, adiuvat. Semper equidem cleri homines in quibuslibet humanae doctrinae itineribus praecessere alacres; immo etiam aliquando ita primum agmen assecuti sunt, ut nihil aliud nisi « litteris eruditum » clerici nomen sonaret. Non modo Ecclesia incolumes humanitatis veteris codices servare enisa est, qui absque sua ac monachorum ope pessumdati ac fere omnino deperditi essent, sed per suorum etiam illustrium Doctorum operam in perspicuo posuit humanas omnes cognitiones catholicae fidei explanationi tuitionique inservire posse. Cuius profecto rei Nosmet ipsi, vel recens exemplum praebuimus praeclarissimum, cum sanctorum caelitum Doctorumque infula insignem illum decoravimus summi Aequinatis magistrum, Albertum dicimus, quem iam eiusdem aetatis homines Magnum universalemque Doctorem nuncupantes venerabantur.

Nunc non potest unus omnia complecti; sed vocatus ad unam disciplinam et artem si debito modo agat, gloriam Christi procurabit. Non satis est ea scientia contentus esse quae olim sufficiebat.

Nunc, procul dubio, a sacri ordinis viris hoc contendere non possumus ut in omni scientiarum campo primas ipsi ferant; iam siquidem humanae doctrinae rationes atque opes tam magnae sunt, ut nemo unus possit, nedum ceteris in quibuslibet eius partibus praestare, eas omnino complecti. Iis tamen e cleri ordine animum addere prudenti consilio opportunum est, qui peculiari voluntatis suae inclinatione virtutisque dotibus praediti, ad unam alteramve e disciplinis et artibus — quae tamen ecclesiastici muneris professionem non dedeceat — sese vocari quodammodo sentiant; quandoquidem hoc, si suis contineatur finibus moderateque Ecclesiae praeceptis regatur, in eiusdem Ecclesiae ornamentum ac decus eiusque Capitis Iesu Christi gloriam procul dubio redundat. Atque itidem ceteris sacrorum administris omnibus non satis esto ea disciplinarum cultura animum exornare suum, quae superioris aevi necessitatibus par fuisse videatur, sed reapse altiorem plenioremque omne genus doctrinam potiri iidem enitantur, quae ad elatissimum illum amplissimumque gradum pertingat, ad quem nostra

in praesens aetas, valde revolutis saeculis praestans — ut in universum de scientiarum pervestigationibus loquamur — data diligenter opera provecta est.

Deus dum mirabilia operatur per homines ignorantes, non minuit nostram doctrinam, sed monet ut in divina ope magis quam in humana fidem nostram collocemus.

Quodsi Deus interdum, « ludens in orbe terrarum » (1), homines, nostris etiam temporibus, voluit, harum, de quibus loquimur, disciplinarum copia fere omnino expertes, ad sacerdotalem dignitatem provehere, per eosdemque rerum mirabilia operari; id eo consilio procul dubio evenit, ut pluris a nobis sanctimonia quam doctrina fiat, utque nos fidem nostram, potius quam in humana, in divina ope collocemus: imo etiam, hac de causa, nobis peropportunum est salutarem illam sententiam identidem repetere intentoque animo reputare: « Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes... ut non glorietur omnis caro in conspectu eius » (2). Attamen, quemadmodum in naturae ordine divina rerum miracula vim naturalium legum momento temporis intermittunt, sed easdem non abrogant; ita eiusmodi homines — in quibus vitae sanctitas cetera omnia quodammodo compensat atque explet — ut prorsus sunt superna virtute praediti, praeceptorum veritatem necessitatemque, quae Nos inculcando tradidimus, nedum demant, non minuunt.

Tradita sunt magis necessaria propter catholicorum actionem.

Iamvero, quod sacrorum administri, ut diximus, virtutis sapientiaeque laudibus in exemplum eniteant oportet, ut ab iisdem « bonus odor Christi » (3) usque quaque effundatur, hoc in praesens idcirco magis magisque opportunum ducimus, quod catholicorum hominum Actio — illud nempe inceptum, quod Nos tantopere solatur ac reficit, quodque animos ad excelsiora excitat perfectionis fastigia — laicorum ordinis homines arctius cum sacerdotibus coniungit, ut et hos adiutrici opera adiuvent, et doctrinae duces, christianae vitae studiique apostolici exempla omnino habeant.

III.

Maxima cura educationis clericorum. Summa sollicitudo de seminariis.

At si tam grandis est catholici sacerdotii dignitas, si tam eximias postulat animi dotes, consequitur indidem, Venerabiles Fratres, necessarium omnino esse ut

(1) *Prov.*, VIII, 31.
(2) *I Cor.*, I, 27, 29.
(3) Cfr. *II Cor.*, II, 15.

sacrorum alumni recta consentaneaque ratione instituantur. Necessitatis huius sibi conscia ac memor Ecclesia nihil fortasse magis, per saeculorum decursum, actuosa maternaque sollicitudine provexit, quam idoneam suorum conformationem sacerdotum. Ea siquidem non ignorat, quemadmodum populorum mores eorumque christianae fidei professio e cleri opera pendent, ita eamdem operam ex accepta a sacrorum administris institutione vim haurire suam, cum in eos etiam illa Spiritus Sancti sententia cadat: « adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea » (1). Quamobrem ipsamet, Numinis instinctu ducta, Seminaria esse ubicumque gentium instituenda decernit, in quibus singulari cura sacri ordinis alumni educentur. Quotquot igitur, Venerabiles Fratres, gubernandae Ecclesiae munus Nobiscum participatis, Seminaria veluti in oculis feratis oportet; eademque praecipuae sunto vestrarum curarum partes. Diligens imprimis esto moderatorum magistrorumque delectus atque illius, peculiari modo, cui gravissimum concredatur officium sacerdotalis animorum conformationis. Sacris eiusmodi conlegiis sacerdotes tribuite maxima virtute ornatos: neque gravemini eos e muneribus abstrahere, specie quidem maioris ponderis, quae tamen cum hac capitali re, cuius partes nulla alia susceperit, comparari nequeunt. Alicunde etiam eos exquirite, ubicumque ad pernobile hoc institutum aptos idoneosque inveniatis. Eiusmodi sunto, ut sacerdotales virtutes exemplo vel magis quam alloquio doceant; atque ita doctrinam impertiant, ut fortem, virilem et apostolicum animum in sacrorum alumnis effingant. Eorum operâ, pietas, castimonia, morum studiorumque disciplina in Seminario efflorescant; atque instituendi iuvenes et in praesens adversus vitiorum illecebras et in posterum contra ea quae ingruant, gravioris momenti discrimina, — quibus quidem obsistant oportet, « ut omnes faciant salvos » — (1) sedulo praemuniantur.

Oportet ut bene cognoscant philosophiam scholasticam seminaristae ut in C. I. C. art. 1366 docemur.

Utque qui futuri sunt sacerdotes, illam, ut diximus, quam tempora postulant, doctrinam assequi valeant, id gravissimum officium est, ut, posteaquam classicas, quas vocant, disciplinas calluerit, *scholasticam* philosophiam

(1) *Prov.*, XXII, 6.
(1) Cfr. *I Cor.* IX, 22.

affatim imbibant, recteque in eadem se exerceant « ad Angelici nempe Doctoris rationem, doctrinam et principia » (1). Haec « philosophia parennis », quemadmodum Decessor Noster immortalis memoriae Leo XIII eam vocabat, non dumtaxat iisdem necessaria est ut alius christianae veritatis capita speculentur, sed etiam ut, adversus quaslibet nostrae huius aetatis fallacias, communiantur, et in quavis, quam instituturi sint, studiorum pervestigatione eorum mentis acies ita exacuatur, ut vera dispicere magis aptiusque possint quam ii, qui huius philosophicae sint institutionis expertes, quantumvis ampliore eruditione praediti.

Si nequeat dioecesis bene instructum habere seminarium; constituat cum aliis Episcopis commune seminarium.

Quodsi, ut alicubi contingit, vel angustiores Dioecesis fines, vel exigua eademque lamentabilis alumnorum copia, vel denique idoneorum hominum rerumque penuria non concedant ut Episcopus quisque proprium optimeque instructum Seminarium habeat — ad normas nempe Codicis Iuris Canonici (2), ceterasque Ecclesiae praescriptiones — tum summopere opportunum est ut sacri eiusdem regionis Antistites vires fraterno animo coniungant, easque in commune Seminarium conferant, quod nobilissimo demandato muneri omnino respondeat.

Incommoda et impensa resarcient fructus.

Haud mediocres, quae inde orientur, utilitates procul dubio suscepta incommoda atque impensas resarcient; ac vel id, quod Episcoporum animos nonnumquam maestitia afficit — suos nimirum sacrorum alumnos cernere ab Pastore per temporis spatium abstractos, qui apostolicum, quo flagrat, studium in suos laboris socios transfundere percuperet, itemque a locorum finibus abductos, ubi aliquando ipsimet suam navabunt operam — id etiam, dicimus, satis superque idcirco compensabitur quod eos stato tempore excipient illa spiritualium rerum copia institutos conformatosque, quam maiore cum Dioecesis suae profectu, ceteris impertient. Quapropter id genus incepta non modo Nos provehere atque fovere numquam intermisimus, sed eadem etiam, occasione data, suasimus ac vehementer commendavimus. Ac pro Nostra parte, ut omnes norunt, magnis impensis curis grandique pecunia, haud pauca istiusmodi Seminaria, ubi necessitas hoc postulare videbatur, aut e solo excitavimus, aut am-

(1) *Cod. Iur. Can.*, c. 1366, § 2.
(2) *Cod. Iur. Can.*, tit. XXI, cc. 1352-1371.

plificata voluimus, aut aptiora denique reddidimus; idque, quod in Ecclesiae utilitatem, si unquam aliud, cessurum esse reputamus, et in posterum, iuvante Deo, accuraturi sumus.

Sed ligendi sunt probe seminaristae. Omnes partes suas conferant. Atque etiam sero expellendi sunt qui non videntur esse digni. Falsi nominis misericordia est crudelitas in Ecclesiam et in candidatum.

Hoc veruntamen, quod laudabiliter eo nititur, ut sacrorum alumni quam rectissime instituantur, parum sane profectus peperit, si eorum delectus, quorum causa Seminaria exstant, haud consentanea diligentia fiat. Ad quem quidem delectum omnes, pro virili cuiusque parte, adiutricem operam conferant, quotquot cleri conformationi praeponuntur. Moderatores nempe, animorum disciplinae rector, ac confessarii — ad sui tamen cuiusque muneris fines ac terminos — quemadmodum hanc, divino instinctu inditam, ad ineundum sacerdotium inclinationem omni ope fovere ac roborare debent, ita eos eodem diligentiae studio opportunoque tempore a sacro Ordine arceant, quos non idoneos perspexerint atque adeo inutiles ad digne sacerdotalia officia sustinenda. Ac quamvis aptius sit haud nimio serius ad hanc eiectionem devenire, quod mora soleat hisce de rebus et errores inducere et detrimenta afferre, attamen, quaelibet remorandi causa fuerit, cum primum e recto itinere deeratum esse aperte patuerit, tum, nullo habito hominum respectu, vitio medendum est. Quibus vero hanc ineundi deliberationem officium est, eos non falsi nominis misericordia moveat, quae non modo in Ecclesiam, cui quidem iners vel indignus administer praeberetur, sed in iuvenem ipsum crimen evaderet, qui viâ deceptus, summo cum aeternae salutis discrimine, sibi ceterisque offensioni esset.

Signa verae vocationis sacerdotalis, signa deficientes. Magni periculi auctores sunt neglentes. Tutiorem semper sententiam in hac re amplectantur.

Neque is, qui prudenti vigilantique cura Seminario praeest, quique concreditos sibi iuvenes, alium ex alio, studiosa sollicitudine prosequitur, eorumque mentis dotes impulsionesque diligenter rimatur, perdifficulter dispexerit atque compererit quisnam ex iis ad suscipiendum sacerdotium superno nutu advocetur. Quae quidem ad sacra capessenda munia proclivis inclinatio, uti probe nostis, Venerabiles Fratres, potiusquam intimo conscientiae invitamento sensuumque motu, quae interdum deesse possunt, recta eorum propensione nititur intentioneque mentis qui sacerdotio inhiant, cum iis corporis animique virtutum ornamentis coniuncta, quae eosdem ad hoc officium amplectendum idoneos reddant. Qui ad sacrum

huiusmodi institutum ea una nobilique de causa contendit, ut divino famulatui animarumque saluti se dedat, simulque et solidam pietatem et probatam vitae castimoniam, et consentaneam, ut diximus, doctrinam assecutus est vel assequi nititur, is profecto, ut perspicuo patet, ad sacerdotale ministerium a Deo vocatur. At qui, contra, ab improvidis forsan parentibus compulsus, hoc idem eo consilio complecti velit, ut terrena, quae captanda prospexerit, emolumenta ac commoda potiatur — quod quidem elapso tempore crebrius contingere poterat —; qui ab disciplina obtemperationeque plerumque abhorret parum est ad pietatem proclivis, nec satis laboris animarumque salutis studiosus; qui, peculiari modo, ad libidinis illecebras sese pronum impertit, neque iam diu experiendo ostendit illius dehonestamenta effugere posse; qui denique ad disciplinarum studia ita haud idoneus evadat, ut portendi liceat praescriptum eorum curriculum non posse eum, satis moderatoribus facientem, perficere; hi omnes ad sacrum hoc munus ineundum non nati aptique sunt: atque adeo si ab Seminarii aedibus opportuno tempore non arceantur, difficilius in posterum inde se abducere poterunt, ac forsitan, quamquam non divino instinctu neque sacerdotalis animi studio ducti, gravissimi tamen huius officii vinculis se obstringent. Perpendant igitur Seminariorum rectores, animadvertant ii qui in id genus domiciliis vel iuvenum animis moderantur vel sacras confessiones excipiunt, quam magni periculi — ad Deum, ad Ecclesiam et ad ipsos iuvenes quod attinet — auctores fiant, si suas cuiusque partes omni ope non expleant ne eiusmodi erratum perpetretur. Quod vero diximus spiritualis etiam disciplinae moderatores itemque sacros confessarios hoc discrimen, pro concredito officio, in se recipere; hoc ita intellegendum est non quasi iidem possint extrinsecus quoque ac publice operam proferre suam — quod immo vel ex religiose suscepto munere, vel ex inviolabili sacramenti secreto iisdem vetitum est — sed ita potius, ut in cuiusque iuvenis animum efficacem vim exserant, eosque firma paternaque constantia regant, prout assequenda sempiternae salutis bona postulent. Quamobrem ipsi — tum praesertim, cum externae rei moderatores vel neutiquam, vel enervate ac languide suas partes peragant — non aptos aeque atque indignos, humano nullo

habito respectu, pro officio iubeant e sacris Seminarii saeptis, dum tempus est, recedere; eaque in causa pertractanda tutiorem semper sententiam amplectantur, quae quidem, ad rem quod attinet, multo magis sacrorum alumnis favet, cum eos ex itinere avertat, per quod ad aeternam ruinam adduci possent.

Si plures non possunt, eos ad sponte sua ab instituto recedendum inducant. Ne sint impie pii.

Quodsi interdum non luculenter satis huiusmodi officium pateat, eam saltem iidem auctoritatem adhibeant quae ex sibi credito munere paternaque in alumnos caritate oritur, ut eos ad sponte sua ab instituto recedendum inducant, quos non ita, ut oportet, animatos noverint. Habeant alte confessarii illa in animis insculpta, quae S. Alphonsus de Ligorio haud absimili de causa docet: « Ut plurimum, quo severius (hac in re) confessarius cum paenitentibus agit, eo tutius ipsorum saluti consulit; ac contra, eo se duriorem paenitentibus praestat, quo ipsis se faciliorem impertit. S. Thomas a Villanova confessarios id genus, aequo nempe leniores, *impie pios* vocabat. Huiusmodi caritas contra caritatem repugnat » (1).

Rei periculum recidit in Episcopum, ut probant non paucae auctoritates.

At rei, de qua dicimus, periculum in Episcopum, uti perspicuum est, potissimum recidit, cui ex destricto Ecclesiae iure imperatur ut « sacros ordines nemini conferat, quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis » (2). Quod legis praescriptum hanc S. Pauli ad Timotheum sententiam quodammodo refert: « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis » (3). « Quid est cito manus imponere — quemadmodum S. Leo Magnus, Decessor Noster, commentatur — nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum oboedientiae, ante experientiam disciplinae, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis nisi et talem effici ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari? » (4); quandoquidem, ut Chrysostomus, Episcopum alloquens, dicit: « Peccatorum eius tam praeteritorum

(1) S. Alf. M. de' Liguori *Opere asc.*, vol. III (ed. Marietti, 1847), pag. 122.
(2) *Cod. Iur. Can.*, c. 973, 3.
(3) *I Tim.* V, 22.
(4) S. Leo Magnus, *Epist.*, 12 (Migne. *P. L.*, LIV, 647).

quam futurorum tu quoque poenam dabis, qui illi dignitatem dedisti » (1).

Adducuntur plures textus.

Gravissima hac sententia, Venerabiles Fratres, maximopere formidolosum significatur onus, quo perterritus insignis Mediolanensium Episcopus S. Carolus Borromaeus aiebat: « Qua in re modica etiam negligentia mea maximam irrogare mihi potest culpam » (2). Saluberrimum igitur S. Ioannis Chrysostomi monitum amplectamini: « Non post primam probationem, nec post secundam, vel tertiam, sed postquam circumspexeris et accurate examinaveris, tunc impone manus » (3). Quod quidem de candidatorum sanctimonia in primis intellegatur oportet. Auctore enim piisimo Episcopo et Doctore, Alphonso nempe Maria de Ligorio: « Non sufficit quod Episcopus nihil mali noverit de ordinando, sed debet fieri certus de eius positiva probitate » (4). Hac in causa, nimiae austeritatis invidiam, quae facile inde oritur, posthabentes, ita concredito vobis iure officioque utamini, ut hanc experimentis cognoscendam probitatem in antecessum expostuletis, ac, si quid dubii relictum fuerit, ad aliud tempus sacrorum ordinum collationem prolatetis. « Apta namque — ut S. Gregorius Magnus egrege docet — aedificationibus de silvis succiduntur, nec tamen adhuc viridibus aedificii pondus imponitur, nisi eorum viriditatem multorum dierum mora siccaverit et apta ad necessarium usum effecerit; quae observantia si forte negligatur, citius superimposita mole franguntur » (5); cui comparationi haec Angelici Doctoris dilucida verba apprime resonare videntur: « Ordines sacri praeexigunt sanctitatem... unde pondus ordinum imponendum est parietibus iam per sanctitatem desiccatis... ab humore vitiorum » (6).

Si suum quisque officium bene impleat, raro occurrent lamentabiles casus. Monitio ad Superiores religiosos.

Ceterum si, quoad suae cuiusque sunt partes, ecclesiasticis praescriptis plene perfecteque fuerit satisfactum itemque normis obtemperatum, quas hac super re per Sacrum Consilium Sacramentorum disciplinae praeposi-

(1) S. Io. Chrysost., *Hom. 16 in Tim.* (Migne, *P. G.*, LXII, 587).

(2) S. Carol Borrom., *Hom. ad ordinandos*, die 1 iunii 1577 (*Homiliae*, ed. bibl. Ambros. Mediolani, 1747, t. IV, par. 270).

(3) S. Io. Chrysost., *Hom. 16 in Tim.* (Migne, *P. G.*, LXII, 587).

(4) S. Alph. M. de Liguori. *Theol. mor. de Sacram. Ordin.*, n. 803.

(5) S. Gregor. Magn., *Epist.*, libr. IX, ep. 106 (Migne, *P. L.*, LXX, 1031).

(6) S. Thom. Aquin., *Summ. Theol.*, 2a-2ae, q. 189, a. 1, ad 3m.

tum paucos abhinc annos edidimus (1), causae profecto magnam partem demovebuntur, cur catholica Ecclesia lacrimas fundat simulque christianus populus in sacerdotum moribus offendat. Ac verba Nostra hoc loco ad supremos moderatores Religiosorum Ordinum convertentes, eos monitos vehementer volumus, ut in instituendis ad sacerdotium alumnis, si quos forte habeant, non modo legibus obsequantur, non secus ad eos (2) atque ad saecularem clerum a Nobis datis, sed ad se etiam ea omnia spectare arbitrentur, quae hactenus de sacra iuventute colenda in universum perdocuimus; ea vel etiam de causa, quod Episcopus religiosos iuvenes sacris ordinibus initiaturus, ad moderatorum suorum iudicium rem ut plurimum defert.

Nec retardentur metu ne copia minuatur. Praestat unum bonum quam plures non bene conformatos habere.

Nec quidquam de debita severitate vel Episcopi vel religiosarum sodalitatum rectores remittant, eo ducti metu, ne aut in Dioecesi aut in religioso Instituto sacerdotum copia imminuatur. Hanc opinionis captionem S. Thomas Aquinas, ut iam occupaverat, ita, quo erat ingenii acumine sententiarumque planitate, revicerat: « Deus numquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei sufficientes ad necessitatem plebis, si digni promoverentur et indigni expellerentur » (3). Ceteroqui praeclarissimus idem Doctor, verba Concilii Oecumenici Lateranensis IV (4) ex verbis propemodum reddens, peropportune monet: « Si non possent tot Ministri inveniri, quot modo sunt, melius esset habere paucos Ministros bonos quam multos malos » (5). Qua quidem cum magni ponderis sententia id plane concinit, quod frequens Episcoporum ex Italia multitudo tum a Nobis excepit, cum undique gentium sacrorum alumni Romam convenerunt, iubilarem sacerdotii Nostri memoriam celebrandi causa; monuimus videlicet pluris esse procul dubio unum tantummodo sacerdotem haberi, qui sit omni ex parte ad sacerrimum officium suum institutus, quam plures, qui aut nihil aut parum sint ad idem conformati. In his enim-

(1) Instructio super scrutinio candidatorum instituendo antequam ad Ordines promoveantur, d. d. 27 dec. 1930 (*A. A. S.*, vol. XXIII, p. 120.

(2) Instructio ad supremos Religiosorum, etc. Moderatores de formatione clericali, etc., d. d. 1 dec. 1931 (*A. A. S.*, vol. XXIV, pp. 74-81).

(3) S. Thom. Aquin., *Summ. Theol. Supplem.*, q. 36, a. 4, ad 1m.

(4) Conc. Later. IV, an. 1215, can. 22.

(5) S. Thom. Aquin., loc. cit.

vero nihil spei Ecclesia reponere potest, ut ei non sit potius horum causa effuse lugendum (1). Reformidandae equidem aliquando, Venerabiles Fratres, a nobis reddendae erunt rationes Pastorum Principi (2) eidemque supremo animarum Episcopo (3), si populos rectoribus inertibus imperitisque magistris permiserimus!

Cum fiducia orandum ut sint multi sacerdotes. Testes sunt saec. XIX tres heroes sanctitatis: Vianney, Cottolengo, Bosco.

At quamquam eorum qui probe sacrae iuventuti fingendae impendunt studia, nullo pacto praecipuas curas de alumnorum copia esse, omnium tamen est conari ut, spiritualibus publicae rei augescentibus necessitatibus, strenuae simul peritaeque in vinea Domini operae augeantur. Cuius quidem optimae rei assequendae rationem prae ceteris efficacem adituque omnibus facilem, pregandi nimirum assiduitatem, ex Iesu Christi praecepto commendamus, qui dixit: « Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messam suam » (4). Num qua vota sacratissimo Redemptoris Cordi his gratiora susceperimus? Quandonam citius copiosiusque nobis precantibus satis speremus fieri, quam cum haec rogamus, quae tantopere cum divinissimi illius Cordis studiis consentiunt? « Petite — igitur — et dabitur vobis » (5); praecando videlicet, bonos sanctissimosque sacerdotes Ecclesiae suae a Deo excitari efflagitate. Non deerit profecto supplicationibus ille vestris, qui si tales nullo non tempore per saecula impertiit sacerdotes, vel frequentiores tunc largitus est, cum temporum morumque cursus magis videbatur sacrorum alumnis conscribendis inimicus; cuius rei, ut ceteros praetermittamus, testimonio sunt praestantissimi viri saeculo XIX ex utroque clero exorti; in quibus siderum praecipuae magnitudinis instar, tres illi sanctitatis heroes, ob egregia etsi absimilis generis facinora, eminent, quos Ipsimet, summo cum animi solacio, in Sanctorum album rettulimus: Sactos dicimus Ioannem Mariam Vianney, Iosephum Benedictum Cottolengo et Ioannem Bosco.

Multa opera neglegenda ut divinus afflatus in generosis iuvenum animis excitetur.

Nihilominus nullae ex homini permissis industriis curisque neglegendae sunt, quae illuc in primis spectent ut, in generosis iuvenum animis divinitus acceptus aflla-

(1) Cfr. *Osservatore Romano,* anno LXIX, n. 21.022 (an. 1929, n. 176; 29-30 luglio 1929).

(2) Cfr. *I Petr.,* V, 4.

(3) Cfr. *I Petr.,* II, 25.

(4) MATTH., IX, 37, 38.

(5) MATTH., VII, 7.

tus quam diligentissime excitetur; quapropter et merita laude hoc loco extollimus, et, fausta cupientes, Nostra commendatione vehementer saluberrima illa praedicamus opera sedulaque incepta, Sancti quidem Spiritus instinctu exorta, quae, vel tuendis, vel provehendis iuvandisve ad sacerdotalia munia animorum propensionibus maxime conducant. Ita ut illud appareat a S. Vincentio a Paulo, insignis caritatis viro verissime dictum: « Quantumcumque cogitatione effecerimus, semper utique experiemur ad maioris momenti institutum numquam nos conferre potuisse operam, quam si bonos sacerdotes excitaverimus » (1). Re enim ipsa nihil sive summo Dei numini acceptius, sive catholicae Ecclesiae honestius, sive denique hominum animis muneri dari salubrius potest, quam sancti sacerdotes. Si qui igitur calicem aquae ex Christi discipulis minimo praebuerit « non perdet mercedem suam » (2), quam mercedem pretiumque eos esse laturos arbitramini, qui sacrum Calicem, Redemptoris sanguine rubescentem, integris adulescentis levitae manibus quasi porrexerint, eidemque iuveni, in extollendo ad caelum tanto pacis ac prosperitatis pro hominibus pignore, veluti adiutores accesserint?

Laudat SS.us opera instituta, ex. g. a S. Vincentio a Paulo.

Atque heic gratissimo animo Nostro Actio illa Catholica succurrit, tantopere a Nobis imperata, provecta atque propugnata, quae, ut laicos homines cum ecclesiastica hierarchia communione laborum coniungit, ita facere haudquaquam potest quin hoc tam magni ponderis negotium ad se potissimum pertinere putet. Enimvero pernobilem hanc militiam ut quovis christiane coeptorum genere, ita hoc maxime praecellere libentissime videmus: cui plane laudandae navitati id Deus praemii tribuere amplissime videtur, ut quam plurimos e iuvenum consociationibus ad utrumque clerum educat atque deligat. Quod praeterea argumento est quam recte Actio Catholica vel cum frugifero agro comparari possit, ubi virtutum omne genus semina contineantur, vel verius cum diligenter consaepta impigreque exculta areola, ubi fragrantiores suavioresque flosculi, a periculis remoti, dehiscant. Intellegant igitur sodales quanto hisce de causis honore Actio Catholica afficiatur; habeantque sibi omnes persuasum

Succurrit hic Actio Catholica quae plurimos ad utrumque clerum educit et deligit.

(1) Cfr. P. Renaudin, *St Vincent de Paul*, chap. V.
(2) Matth., X, 42.

laicos homines nullo potius pacto quam augendis utriusque cleri ordinibus, illam « regalis sacerdotii » se dignatatem participaturos, quam Apostolorum Princeps universae redemptorum hominum multitudini asseruit (1).

Praecipuum viridarium est domesticus convictus qui christiane sapiat christianeque agat.

Verum enim vero, praecipuum nativumque viridarium, ubi propagandi in sacra ephebea flores germinare atque emergere oportet, est procul dubio habendus domesticus convictus, qui christiane quidem sapiat, christianeque agat. Re enim ipsa constat sacrorum Antistitum ac sacerdotum plerosque « quorum laudem nuntiat Ecclesia » (2) tum dignitatis tum sanctimoniae suae germina vel a patre accepisse christiana fide ac virtute spectato, vel a matre castimoniae ac pietati apprime dedita, vel a tota denique familia, cuius membra caritatis in Deum atque in proximo integre perfecteque formam referrent.

Quomodo sancte informata familia promoveat vocationes.

Quod contra minus saepe fit, clarius convincit quid sit ex communi providentissimi Dei ordine statutum. Ubi namque familia tam sancte sit informata ut parentes, Tobiae et Sarae progenitorum instar, frequentem a Deo deposcant posteritatem « in qua benedicatur nomen Domini in saecula saeculorum » (3) grateque coeleste donum carissimumque pignus divinitus acceptum, subolem nempe, a primis aetatulis ad Dei timorem, ad incensum erga Iesum eucharisticis velis delitescentem atque erga Deiparam Virginem amorem, ad sacrorum denique virorum locorumque observantiam effingant et alant; ubi liberis semetipsos parentes absolutum probitatis, laboris, ac pietatis exemplar proponant; ubi item liberi parentes suos videant inter sese amare, sacra saepe per annum participare, ac non modo statis ab Ecclesia diebus certo ciborum genere abstinere ac ieiunii legi obtemperare, sed voluntariae etiam corporis castigationis studio permoveri; ubi cunctam videant in unum congregatam familiam communes Deoque gratas fundere preces; ubi iidem praeterea videant parentes, misericordia ductos, proximorum egestati pro potestati opitulari; tunc non contingere non potest ut et omnes filii vitam cuiusque suam parentum exemplis conforment, et unus saltem huic Divini Magistri assentiat vocatui: « Veni sequere me » (4) « et fa-

(1) Cfr. *I Petr.*, II, 9.
(2) Cfr. *Eccl.*, XLIV, 15.
(3) Cfr. Tob., VIII, 9.
(4) Matth., XIV, 21.

ciam te fieri piscatorem hominum » (1). O fortunati coniuges qui, si ea animi excelsitate non sunt, ut, quod superioribus saeculis quam nunc crebrius fieri consueverat, divinos istiusmodi invitatus filiis suis precando a Deo concilient, cum tamen hi ad sacerdotalia munera vocantur, tantum abest ut iisdem obsistant, ut etiam insigni honore sese affectos, familiamque suam peculiari caritatis pignore donatam arbitrentur.

Damnantur studia familiarum quae opponunt se vocationibus. Quae nobilior tamen electio! Quo perducant istae artes mundanae!

At vero, vel ex iis qui in catholica fide se iactant, parentes saepenumero non desunt — praesertim in sublimioribus atque eruditioribus Civitatis ordinibus — qui non modo aegre ferant Deo mancipari filios suos, verum etiam huic delectui eiusmodi fallaciis obniti non vereantur, quibus carissimae subolis simul divinitus facta selectio, simul fides aeternaque salus periclitentur. Quae pessima exempla, e quibus necessario proficiscitur ut populi primores nonnisi perpaucos sacerdotali cohorti suppeditent adulescentes, non minori nunc probro ipsis vertunt, quam, anteactis temporibus, ad ecclesiastica ministeria vel invitos vel ineptos adegisse filios (2). Etenim, si hodiernae vitae oblectamenta, si innumerabiles corruptelarum illecebrae, quae in frequentioribus nominatim urbibus iuventuti struuntur, si discendi ludi multis locis praecipua in causa sunt, cur in nobilium atque opulentorum domibus Christo invitanti, ut plurimum, aures non dentur, diffitendum tamen non est id palam quoque facere qua tenus in huiusmodi domibus catholicae fidei acies hebescere coeperit. Si namque christiani coniuges ad fidei praecepta res omnes referrent, quamnam iidem filiis suis ampliorem dignitatem, quodnam manus exoptarent excellentius illo, quod hominum angelorumque religione dignum esse declaravimus? Res ipsa antiquo ac peracerbo experimento confirmat multas lacrimas tum liberis suis, tum sibi nullius consilii parentes excussisse, qui proditione quadam — vocem hanc ne habeatis aequo duriorem — subolem cuiusque suam a divino delectu abduxissent. Atque utinam eorum lacrimae ne adeo effundantur serius, ut in aeternitatis aevum eliciantur.

---

(1) Matth., IV, 19.
(2) Cfr. *Cod. Iur. Can.*, 971.

IV

Paterna adhortatio ad sacerdotes.

Nunc autem vos, dilecti filii, patris animo compellamus, quotquot ex utroque clero ubique gentium versamini. Atque vobis « gloriae nostrae et gaudio » (1) qui « pondus diei et aestus » (2) viriliter animoque magno sustinentes, Nobis et Nostris in Episcopatu Fratribus adiutores in Christi pascendo grege vos impertimini, grata equidem cum voluntate de impensis actuose laboribus, stimulos, ut tempora postulant, admovemus. Quo enim inclinatior videtur aetatis cursus, eo a vobis, qui « estis sal terrae, lux mundi » (3), acriores animi viresque ad hominum salutem paratiores optimo iure deposcuntur.

Commendat maxime studium sanctitatis.

Sed ut quam confertis operam, aspirante iuvanteque Deo, optatorum fructuum copiam pariat, vitae sanctitate excellatis oportet. Hoc praecipuum catholici sacerdotis ornamentum adeo valet, ut, eo remoto, ceterae animi laudes nihil fere possint; eo vero praesente, etsi ceterae dotes non eminent, res tamen mirabiles peragi possint; quod — ut duo instar plurium sint — S. Iosephus a Copertino ostendit, et recentiore aetate demississimi ille animi vir, Ioannes M. Vianney, quem universis animarum curatoribus exemplum eumdemque caelestem patronum statuimus. Quam ob rem « videte — cohortatione ad vos utimur Doctoris gentium — videte vocationem vestram » (4); quia si haec animo cogitationeque contemplati fueritis, facere neutiquam poteritis, quin cotidie pluris gratiam aestimetis, vobis sacros suscipientibus ordines collatam, atque spiritus strenue sumatis ut « digne ambuletis vocatione, qua vocati estis » (5).

Atque ideo exercitia spiritualia ut medium potissimum indicat.

Quod maxime salutare propositum ut ad effectum deducatis, uberi vobis fructui illud fore non dubitamus institutum, quod f. r. Decessor Noster Pius X in piissima ac saepe vobis pervolvenda « Exhortatione ad clerum catholicum » (6) potioribus rationibus accenset quibus sacerdotalis gratia alatur atque augeatur; quodque Nosmet

(1) *II Thessal.*, II 20.
(2) MATTH., XX, 12.
(3) Cfr. MATTH., V, 13-14.
(4) *I Cor.*, I, 26.
(5) *Ephes.*, IV, 1.
(6) *A. A. S.*, vol. XLI, pp. 555-577.

ipsi haud semel, opportunitate data, ac praesertim per Encyclicas Litteras « Mens Nostra » (1) et christifidelibus omnibus enixe, et sacerdotibus enixius praecepimus: Spiritualia dicimus Exercitia. Et quemadmodum quinquagesimum sacerdotii Nostri natalem exeuntem apud filios Nostros utilius atque salubrius commemorandum non putavimus, quam si per Encyclicas, de quibus diximus, Litteras, eis auctores vehementer essemus ut in vitam aeternam salientem aquam (2) ex hoc iugi fonte derivarent, qui providentis Dei consilio in Ecclesia scatet; eodem sane modo nunc vos, dilecti filii, eo Nobis cariores quo Nobiscum elaboratis constantius ad Christi regnum inter homines stabiliendum, maximopere iterum vos hortandos putamus, viam hanc sanctimoniae adipiscendae ne praetermittatis. Immo vero meliore qua poteritis ratione, pro datis a Nobis normis, identidem secedite ad sacras animi meditationes instituendas, non per temporis dumtaxat spatia, ecclesiasticis legibus praescripta (3), sed, quoad licuerit, saepius etiam atque diutus; ac praeterea singulis mensibus, ab cotidianis negotiis remoti, peculiari secessui diem destinate, ut semper fuit piorum sacerdotum in more (4).

Faciant ista exercitia ultra quam praeceptum est; singulis mensibus diem peculiari secessui destinent.

E sacris huiusmodi secessibus id etiam profluere utilitatis quandoque potest, ut qui « in sortem Domini » non a Christo ipso adscitus, sed terrenis suis consiliis ductus venerit, « resuscitare gratiam Dei » (5) possit; nam cum et is iam sit Christo Ecclesiaeque perpetuo vinculo addictus, facere idcirco non potest quin illud S. Bernardi non amplectatur: « Bonas fac de cetero vias tuas et studia tua et ministerium sanctum: si vitae sanctitas non praecessit, sequatur saltem » (6). Quae communiter a Deo datur gratia, daturque peculiari ratione sacramentum Ordinis suscipienti, haud dubie eidem, si modo reapse velit, opitulabitur non minus ad emendandum quod initio a se fuerit vitiose forte positum, quam ad sui muneris accuranda et exsequenda officia.

Fructus etiam is colligi potest ut qui terrenis consiliis ductus venerit gratiam resuscitet.

---

(1) *A. A. S.*, vol. XXI, pp. 689-706.
(2) Cfr. Io., IV, 14.
(3) Cfr. *Cod. Iur. Can.*, cc. 126, 595, 1001, 1367.
(4) Cfr. *A. A. S.*, vol. XXI, p. 705.
(5) Cfr. *II Tim.*, I, 6.
(6) Cfr. *Epist. 27, ad Ardut.*

In omnibus incensior caritas; contra mundanas fallacias contentio vigilantior, ita ut in populis recalescat pietas et renovatio.

Omnes vero, cum e sacris hisce secessibus ac commentationibus abscedetis, fieri non potest quin incensior comitetur erga Deum caritas, de proximorum salute laboriosior sollicitudo, contra mundanas fallacias contentio vigilantior; quae omnia, si unquam alias, nostris potissimum temporibus, sacerdotes addecent, ubi si ex altera parte fides tam misere torpet vitaeque mores ad mollitiem labuntur: ex altera tamen, late in populis recalescente in Deum pietate, Spiritus Sanctus terrarum orbem ideo afflare cernitur, ut illum effectrice virtute sua renovet sancteque redintegret (1). Quo si Spiritus Sancti afflatu vos eritis ipsi perfusi, tum divini amoris flammam, veluti ineluctabile incendium, in tantopere agitatum humanum genus inferentes, christiano sensu penitus illud imbuetis, atque adeo illud ad salutem adducetis, quippe cui, praeter Christum, qui est « vere Salvator mundi », (2), nulla iam salutis spes reliqua sit.

Pia adhortatio ad iuvenes ut se tam disponant ad sacerdotium quale Christus vult.

Sed ante quam scribendi finem facimus, ad vos iuvenes, qui ad sacerdotium adulescitis, mente cogitationeque Nos studiose convertimus, quamque maxime vos hortamur, ut ad praestantissimum, quod appetitis munus, diligenter digneque componatis animos. Vobis enim omnes innituntur Catholicae Ecclesiae et populorum spes; cum a vobis omnes salutis aeternae opes rationesque expectentur, quarum caput est agens illa et efficax Dei ac Christi Iesu cognitio, in qua sempiterna hominum vita vertitur (3). In eo igitur opera vestra nunc praecipue certet, ut vosmet ipsos pietate, castimonia, vestri despicientia, obtemperatione, disciplina doctrinarumque studiis ornantes, tales aliquando exsistatis sacerdotes, quales Christus vos esse iubet. Vobis nimirum omnino persuasum habeatis quantumvis constantiae ac diligentiae illuc intenderitis, ut ita vestros conformetis animos, numquam sane vos esse, praeter quod res postulat, allaboraturos, quippe cum exploratum probe sit ex huiusmodi institutione vestra frugiferam sacerdotalis muneris perfunctionem fore magnam partem manaturam. Quapropter, omni quo potestis studio et contentione, efficite,

(1) Cfr. *Ps. CIII*, 30.
(2) Io., IV, 42.
(3) Cfr. Io., XVII, 3.

ut iam nunc iis animi ornamentis fulgeatis, quae Ecclesia sacris vos initiatura ministeriis per haec verba a vobis postulabit: « Caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio vos commendet », ut videlicet « sit odor vitae vestrae oblectamentum Ecclesiae Christi, ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, idest familiam Dei » (1).

Ita laudes catholici sacerdotii in populis admirationem usque florebunt, et pacis Christi in regno Christi beneficiis cumulatissime perfruentur.

Ita solummodo catholici sacerdotii laudes per vos etiam in populorum admirationem usque florebunt, ac plurimum operis conferetis et ipsi, ut quam primum dies ille auspicatissimus civili hominum convictui illucescat, quo « Pacis Christi in Regno Christi » beneficiis cumulatissime perfruemur.

Ut extremum groti ac benevolentis animi testimonium, iubet ut apparetur Missa votiva summi et aeterni Iesu Christi sacerdotis quae quavis feria V ad liturgicas normas celebrari poterit.

Extremum, daturi publice vobis, Venerabiles in Episcopatu Fratres, universisque, per vos, ex utroque clero filiis grati ac benevolentis animi Nostri testimonium ob impigre idcirco collocatam operam, ut e celebrato divinae Redemptionis iubilari anno uberes perciperentur a fidelibus fructus; itemque facturi, ut perenni consignata monumento, diuturnior illius memoria et laus vigeat sacerdotii, cuius omnes Dei administri non intermissam communicant potestatem, opportunum duximus, adhibita in consilium Sacra Congregatione catholicis ritibus tuendis, propriam Summi et aeterni Iesu Chisti sacerdotis votivam Missam apparari, unaque cum hisce Litteris in lucem edi; quae quidem Missa, quavis feria quinta, ad liturgicas normas, celebrari poterit.

Apostolica Benedictio quae sit felix omen mox exorienti animo.

Iam nihil aliud restat, Venerabiles Fratres, quam ut Apostolicam ac paternam Benedictionem iis omnibus dilargiamur, qui eam a communi Patre expetunt ac praestolantur; quae sane, ut ex grato proficiscitur animo ob tot tantaque a superna largitate per iubilares divinae Redemptionis celebrationes impertita beneficia, ita mox exorienti anno sit felix faustumque omen.

Dies (20 dec. anno 1935, ab inito sacerdotio exeunte 56; Pontificatus 14°.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xx mensis Decembris, anno MDCCCCXXXV, ab inito a Nobis sacerdotio exeunte LVI, Pontificatus Nostri decimo quarto.

PIUS PP. XI

---

(1) Cfr. *Pont. Rom.*, in ordinatione Presbyt.

41. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Bulla « Inter religiosos » 2 iul. 1935

CONGREGATIO MONACHORUM CAMALDULENSIUM UNITUR CONGREGATIONI EREMITARUM CAMALDULENSIUM DE ETRURIA.

(A. A. S., 20 aug. 1935; XVII, 296)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Coenobii et eremi Camaldulensium amica coniunctio.

Inter religiosos coetus, quibus Christi Ecclesia floret, Camaldulense adnumeratur Institutum, quod, auctore Sancto Romualdo, eremiticae vitae in Occidente instauratore, ita se evolvit, ut coenobium et eremus ad regularem disciplinam fovendam amicas sibi manus iugiter darent. Coenobium etenim Camaldulense, suaemet originis vi, est veluti Eremitarum seminarium et primae probationis locus, in quo asceticae austeritati pedetentim initiari, monasticis institutionibus imbui et cunctis spiritualis vitae subsidiis muniri oporteat, quos divina vocatio ducit ad eremum, aeternarum rerum contemplationi unice vacaturos. Quamvis autem temporis decursu, varias ob causas, Apostolicae Sedi permittere visum fuerit ut Congregatio monastica Coenobitarum Camaldulensium oriretur ab Eremitis plane seiuncta, mutatis tamen hodie rerum et personarum adiunctis, magis necessarium videtur ut familiae unitas restituatur, ad hoc praesertim ut inclitum Camaldulensium Institutum, viribus omnibus consertis, in posterum firmetur et, favente Dei gratia, in dies augeatur. Omnibus igitur rei momentis attento seduloque studio perpensis, suppleto, quatenus opus sit, quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, quae sequuntur de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium decernimus et constituimus: I) Congregatio Monachorum Coenobitarum Camaldulensium unitur

Mutatis adiunctis, ad firmandum Institutum restituitur unitas familiae.

Decretae unionis statuta.

Congregationi Eremitarum Camaldulensium de Etruria, quae in posterum assumet titulum: *Congregatio monachorum Eremitarum Camaldulensium Ordinis Sancti Benedicti.* II) Superior Generalis, dimisso nomine *Maioris*, *Prior Generalis* vocabitur, qui totius Congregationis et Sacrae Eremi Camalduli, ubi habitualem residentiam habebit, regimen assumet. III) Prior Generalis, durante munere, omnibus gaudebit iuribus et privilegiis abbatialibus, quae hucusque Maiori a Summis Pontificibus concessa sunt. IV) Deinceps in eremum ne admittantur candidati, nisi per integrum annum sedulo in coenobio probati fuerint et monasticis institutionibus imbuti. Annus vero canonicus novitiatus, severa disciplina, in eremo peragatur. V) Ne ulla in posterum dubitatio oriri possit, Constitutiones, quibus modo reguntur Eremitae Camaldulenses de Etruria, rite conformentur iis omnibus quae hisce Nostris Litteris et specialibus instructionibus edendis continentur. VI) Cum nova quae instauratur vivendi ratio austerior sit, cumque nemini imponendum sit onus, quod ipse sponte non susceperit, singulis Monachis et Conversis Coenobitis Camaldulensibus, qui Congregationi quam supra diximus Monachorum Eremitarum nomen dare noluerint, fas erit, servatis de iure servandis, ad alium transire coetum religiosum, qui eos recipiat; vel, si quis, in sacris ordinatus, ad aliud Institutum transire noluerit, Episcopum benevolum receptorem inveniat, qui eumdem suae dioecesi incardinare velit. VII) Si qui autem forte sint, qui neque ad aliud Institutum religiosum transire, neque saeculari clero adscribi velint, eos in unicam domum iuxta modum statuendum congregari decernimus. VIII) Bona omnia Congregationis Monachorum Coenobitarum Camaldulensium transferentur ad Congregationem Monachorum Eremitarum Camaldulensium Ordinis Sancti Benedicti. Ad quae autem omnia exsecutioni mandanda dilectum Filium Nostrum Raphaëlem Carolum, tituli S. Praxedis, S. R. E. Presbyterum Cardinalem Rossi, Monachorum Coenobitarum Camaldulensium Protectorem, deputamus eique propterea tribuimus necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, nec non omnes dirimendi controversias in exsecutionis actu quomodolibet orituras; eique onus facimus ad Sacram Congregationem de Religiosis relationem de peracta exsecutione transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio substantiali et inexcogitato

Dispositio de Monachis qui Congregationi nomen dare nolint.

Translatio bonorum.

Exsecutor. Eius facultates.

Clausulae.

defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, sublata cuicumque quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate; et si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et decernimus. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, specialibus, vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, adhibeatur in iudicio et extra illud eadem prorsus fides, quae hisce praesentibus adhiberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini ergo hanc paginam Nostram unionis, statuti, concessionis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis Nostrae infringere, vel eis contraire liceat. Si quis autem ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo quinto, die secunda mensis Iulii, Pontificatus Nostri anno quartodecimo. *Dies (2 iul. 1935).*

Fr. TH. P., O. P. Card. BOGGIANI
Cancellarius S. R. E.

Fr. A. H. Card. LÉPICIER, O. S. M.
S. C. de Religiosis Praefectus

Ioseph Wilpert, *Collegii Protonot. Apostolicorum Decanus.*

Vincentius Bianchi-Cagliesi, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

42. — SS. D. N. Pii Pp. XI.

Epistola 27 maii 1935.

AD RR. PP. DD. ARCTURUM HINSLEY, ARCHIEPISCOPUM WESTMONASTERIENSEM, CETEROSQUE ANGLIAE ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS, ATQUE AD R. P. FIDELEM DE STOTZINGEN, ORDINIS SANCTI BENEDICTI ABBATEM PRIMATEM, DUODECIMO CONDITO SAECULO A FELICI OBITU SANCTI BEDAE VENERABILIS, ECCLESIAE DOCTORIS.

(A. A. S., 31 oct. 1935, XXVII, 407).

PIUS PP. XI.

SS. D. approbat consilium agendi solemnia duodecimo condito saeculo ab obitu S. Bedae.

Venerabiles fratres et dilecte fili, salutem et apostolicam Benedictionem. — **Sollemnium** agendorum consilium, quod, duodecimo condito saeculo a felici obitu sancti Bedae Venerabilis, apud Anglos est nuper susceptum, et magnopere commendamus et plane huic tempori opportunum censemus. Tanta enimvero tamque praeclara in Ecclesiam et patriam merita magnus iste vir sibi comparavit, ut longe suae aetatis hominibus virtute atque doctrina praestans haberetur, et, in sanctorum numerum adscriptus, Doctoris Ecclesiae titulo decoraretur.

Laudes insignis sancti.

Merita in historia Angliae et testis catholicarum traditionum.

In comperto sane est, insignem eundem Benedictinae familiae alumnum, litteris graecis et latinis apprime versatum, sacrorumque Librorum studiosissimum, plura egregia opera scripsisse, quae ad Ecclesiae doctrinam et rei christianae apud Anglos historiam potissimum spectant; quo postremo quidem in genere, tum diligenti tontium investigatione, tum fide et veritatis studio, tantam est sibi inter doctos laudem consequutus, ut pater Anglicanae historiae et traditionum catholicarum testis merito appellaretur. Illud vero ex Doctoris operibus maxime elucet atque ex omni fere pagina usque recurrit, Romanam sedem exstare universae Ecclesiae centrum ac stabile firmamentum; illic quoque perspicuo in lumine collocatur insigne Angliae Regum erga hanc Petri Sedem studium, quod ita aliquando flagravit, ut ex ipsis nonnulli, regia deposita corona, Romam petere ibique ad perfectiorem vitae formam sectandam proprium domicilium figere maluerint.

Doctrina de Romana Sede; illustrans studium regum Angliae erga S. Sedem.

Pulcherrima vita usque ad mortem.

Umbratilem sed actuosissimam vitam sanctus iste vir in monasterio ipso de Jarrow, ubi diu multumque commoratus

erat, piissime confecit. Eius enim exitus, qui in epistola Cuthberti discipuli ad Cuthwinum sodalem candide accurateque describitur, toti vitae curriculo mire consentit: in ea quidem ratione, qua ab ineunte aetate usus semper fuerat, ipse ad supremum usque diem perseveravit, in orando scilicet, legendo, docendo ac laborando.

Utilitas celebrationis pro Anglia,

Haec tam clara tamque pretiosa mors, sicut integra eiusdem vita, digna profecto est, ut grata memoria laudibusque sollemnibus concelebretur. In primis autem fausta eiusmodi recordatione ipsis Anglorum gentibus praeclarum exhibetur documentum aetatis illius, qua communis fidelium religio felixque cum Petri Cathedra coniunctio, non modo ad christianam communitatem, verum ad civilem quoque consortionem bona maxima attulerunt. Sodalibus vero ex Ordine Sancti Benedicti domesticum et insigne exstat exemplum laetissimorum fructuum, quos diuturnum religiosae vitae tirocinium afferre potest, tum ad fastigia sanctitatis consequenda, tum etiam ad optimas artes ac studia litterarum excolenda.

pro sodalibus Ordinis S. Benedicti.

Inde S. Pontifex participat saecularia festa.

Nos igitur venerabiles fratres et dilecte fili, qui nihil habemus antiquius, quam ut illustris Britannorum gens pristinam cum Romana Ecclesia concordiam et pacem instauret, et inclytus Benedictinorum Ordo ad maiorum laudes renovandas recto aemulationis studio inflammetur, saecularia ista solemnia, quae in Anglia proxime peragentur, ex animo vehementerque participamus. Laetissima autem Nos alit spes, fore ut e sacra in honorem sancti istius Doctoris celebratione omnes Angli maxima ad fidei actionisque consensionem sumant invitamenta: alteri quidem, catholicae Romanae Ecclesiae fideles, ut arctius amantiusque christianae unitatis centro adhaerescant, alteri vero, ab unitate abscissi, ut ad sinum Ecclesiae Matris pie se fidenterque recipiant.

Spem concepit fore ut omnes Angli invitentur ad fidei actionisque consensionem, utque abscissi ad sinum Ecclesiae Matris se recipiant.

Huius interea auspicem spei iucundique fructus vestrorum sollemnium ac testem peculiaris Nostrae dilectionis esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam tibi, venerabilis frater, ceterisque Anglorum Praesulibus et fidelibus cuique vestrum concreditis, itemque tibi, dilecte fili, Abbati Primati Ordinis Sancti Benedicti et cunctae religiosae familiae peramanter in Domino impertimus.

Benedictio Apostolica Anglis et Abbati Primati et cunctae religiosae familiae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis Maii, in festo Sancti Bedae Venerabilis, Ecclesiae Doctoris, anno MDCCCCXXXV, Pontificatus Nostri quarto decimo.

Dies (27 maii 1935) festus S. Bedae.

PIUS PP. XI

43. — SS. D. N. Pii Pp. XI.

Epistola 27 maii 1935

AD EM.UM P. D. IOSEPHUM ERNESTUM TIT. S. MARIAE DE ARACOELI S. R. E. PRESB. CARDINALEM VAN ROEY, ARCHIEPISCOPUM MECHLINENSEM, CUI DE CENTENARIA COMMEMORATIONE FELICIS RESTAURATIONIS UNIVERSITATIS LOVANIENSIS DEQUE PER QUINQUE LUSTRA AB IPSIUS RECTORE PRAECLARE GESTIS GRATULATUR.

(A. A. S., 25 nov. 1935, XXVII, 437)

PIUS PP. XI

Gaudium conceptum de saeculo pleno ab instaurata Academia Lovaniensi, et de quinque lustris faustae administrationis Rectoris.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — **Perpetua** semper exstitit Ecclesiae laus, veri nominis scientiam ac doctrinam strenue provehere studioseque ita curare, ut coniunctis arcte divinae revelationis rationisque naturalis viribus invictum inde fidei propugnaculum constitueretur. Magnam itaque experti sumus delectationem, quum in perillustri Lovaniensi studiorum Universitate sollemnia cognovimus apparari, tum ad saeculum feliciter plenum ab eadem Academia instaurata commemorandum, tum ad munus ipsius Rectoris per quinque lustra praeclare gestum fauste celebrandum. Etenim gloriosum istud Athenaeum per Martinum V Decessorem Nostrum anno 1427 constitutum, post rerum publicarum in Galliis motus conversionesque, plures annos in silentio iacere debuit. Sed, quum idem ob sanae doctrinae traditae laudem mirum sui desiderium reliquisset, statim atque est redintegrata apud Belgas docendi libertas, primum in civitate ista Mechlinensi anno 1834 instauratum fuit, deinde, insequenti anno, ad priscam Lovaniensem sedem feliciter translatum. Quis autem mente ac verbis memorare complectique potest, quantam veritatis lucem, quanta solidae scientiae incrementa hoc postremi saeculi decursu Athenaeum istud attulerit? Innumeri profecto sunt cives, et vita integritate et doctrina praeclari, in omnibus rei publicae partibus ad munera etiam gravissima adlecti, qui quondam in Lovaniensi Universitate eruditi atque instituti fuere. Neque solum in patria catholica haec Universitas florentem hominum doctissimorum segetem praebere consuevit, sed longe lateque,

Constituta Academia a Martino V a. 1427, restituta a. 1834, Mechlinae translata Lovanium a. 1835.

Laus praeclara factorum Universitatis, quae inter Belgarum Academias facile princeps,

sive per fidei praecones vel in dissitis Missionum locis, sive per exterarum nationum discipulos, sive etiam per edita sapienter volumina, vim suam salutarem spargere ac disseminare per orbem valuit. In praesenti autem tempore, ut eruditos viros minime latet, haec artium disciplinarumque palaestra, et selecta alumnorum multitudine, et peritia doctorum scientiarumque incremento, inter ceteras Belgarum Academias facile princeps, ubique terrarum egregia meritaque laude exornatur. Quapropter, Dilecte Fili Noster, sollemnia ista, quae ad tantam gloriam utilitatemque celebrandam proxime peragentur, non modo paterna commendatione dilaudamus, sed pro summa Nostra, uti par est, rei christianae civilisque sollicitudine, proque assiduo ardentique litterarum scientiarumque studio, quo tenemur, libenter vehementerque ex animo participamus. Peculiares vero gratulationes meritasque laudes tribuimus eximio Rectori ipsius Universitatis, Venerabili Fratri Paulino Episcopo Ladeuze, qui per viginti quinque annos curas laboresque omnes eiusdem Athenaei profectui impendit. Hoc autem inter cetera eius promerita praecipuum habetur, quod ipse ad sananda tot maximi superioris belli vulnera ruinasque reparandas ita sedulo incubuit, ut veluti alter Lovaniensis Universitatis instaurator appellari consueverit. Pergat igitur Rector ipse cum ceteris doctoribus, ductu favoreque sacrorum Antistitum, nova Universitati afferre incrementa quae his praecipue temporibus consentanea videntur, quaeque etiam Actioni Catholicae fovendae exstant adiumento. Nos vero Deum impense rogamus, ut e sedibus suis assistricem mittat sapientiam, quae mentes et corda omnium vestrum dirigat et salubriter incepta secundo fortunet exitu. Huius interea divinae benignitatis pignus esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam tibi, Dilecte Fili Noster, Universitatis Lovaniensis Rectori, doctoribus et alumnis effusa in Domino caritate impertimus.

ubique terrarum laudatur.

Quare SS. D. non dilaudat tantum sed ex animo participat sollemnia. Laudat peculiariter Rectorem qui velut alter Universitatis instaurator habetur.

Pergat Rector cum doctoribus ductu favoreque s. Antistitum nova Universitati afferre incrementa quae etiam Actioni Catholicae exstant adiumenta. Votum Pontificis.

Benedictio Ap.ca.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis Maii, in festo Sancti Bedae Venerabilis, Ecclesiae Doctoris, anno MDCCCCXXXV, Pontificatus Nostri quarto decimo.

Dies (27 mail 1935).

44. — Supremae Congr. S. Officii

Decreta 3 et 17 iul. 1935

LIBRORUM PROSCRIPTIONES

(A. A. S., 20 aug. 1935, XXVII, 304)

I

Dies (3 iul. 1935).

Feria IV, die 3 iulii 1935

Damnatio, et sine mora insertio in Indicem.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac R.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito debito examine, damnarunt et in indicem librorum prohibitorum absque ulla mora inserendum mandarunt opus, typis Arnoldi Mondadori recenter editum (MDCCCCXXXV), cui titulus:

ANGELO COCLES, *Cento e cento e cento e cento pagine del Libro Segreto di Gabriele D'Annunzio tentato di morire.*

Iudicium de opere.

in quo « gareggia la sfrontatezza della immoralità con affermazioni di errori spesso empi e blasfemi ».

Confirmatio SS.mi.

Et sequenti Feria V, die 4 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies 5 iul. 1935).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 5 Iulii 1935.

I. Venturi, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

II

Dies (17 iul. 1935).

Feria IV, die 17 iulii 1935

Damnatio operis.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi damnarunt et in indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt novum librum, recenter editum, qui inscribitur:

ALFRED ROSENBERG, *An die Dunkelmänner unserer Zeit. Eine Antwort auf die Angriffe gegen den « Mythus des 20. Jahrhunderts ».* Hoheneichen Verlag München.

Confirmatio Pontificis.

Et sequenti Feria V, die 18 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XI in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii concessa, Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

Dies (10 iul. 1935).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 19 Iulii 1935.

I. Venturi *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

ANNOTATIO

Observes severam rationem qua opus Aug. Cocles, reprobatur. Sine ulla mora inserendum dicitur in Indicem. Cfr dein praesertim iudicium de opere.

45. — S. Congr. pro Ecclesia Orientali

Instructio « Quo facilius » 10 iun. 1935

AD CONFICIENDOS PROCESSUS SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO

(A. A. S., 2 sept. 1935; XXVII, 333)

DECRETUM

Opportunitas rei. Obligatio Ordinariorum.

Quo facilius Rev.mi Ordinarii Orientalium Rituum conficere possint processus super matrimonio rato et non consummato, necessarium Sacrae huic Congregationi pro Ecclesia Orientali visum est, pro hisce processibus normas praescribere, quas praefati Rev.mi Ordinarii observare teneantur.

Approbatio Pontificis. Iussio prumulgandi in A. A. S.

Praesentem igitur instructionem ab E.mis ac Rev.mis Patribus Cardinalibus huius S. Congregationis, in plenariis comitiis diei 3 iunii v. a. recognitam, Ss.mus D. N. Pius Div. Prov. Pp. XI, in Audientia diei 10 iunii 1935 infrascripto Adsessori concessa, dignatus est adprobare atque iussit publici iuris fieri in Commentario officiali, quod « Acta Apostolicae Sedis » inscribitur.

Dies decreti (10 iun. 1935).

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 10 Iunii, anno 1935.

A. Card. SINCERO, Episcopus Praenestinus, *a Secretis.*

L. ✠ S.

I. Cesarini, *Adsessor.*

NORMAE

I.

De processu super matrimonio rato et non consummato

Ad quem et a quo supplex libellus.

1. Cum uni Romano Pontifici sit divinitus commissa potestas, dispensandi super matrimonio rato et non consummato, supplex libellus ad dispensationem obtinendam semper Roma-

no Pontifici erit inscribendus, et ad S. C. pro Ecclesia Orientali transmittendus.

Soli autem coniuges ius habent petendi hanc dispensationem, sive uterque, sive alteruter, altero etiam invito.

Quid continere debeat.

2. Supplex libellus continere debet plenam et accuratam totius facti speciem et causas omnes ad obtinendam dispensationem, appositis etiam die, mense, et anno, nec non eparchia in qua orator vel oratores commorantur, et ab oratore vel oratoribus, si fieri potest, subscribi debet.

Partes Ordinarii in transmittendo libello.

3. Libellus transmittatur per proprium loci Ordinarium. Ordinarius autem ante omnia curet ut partes inter se reconcilientur, et notitias necessarias et opportunas addat tum de reconciliationis conatu, tum de authenticitate libelli, personis, rebus et factorum adiunctis.

Prius facultas a Sede Ap.ca, excipias si incidit in processu de nullitate.

4. Nulli processui super rato et non consummato initium detur, nisi prius obtenta fuerit facultas a Sede Apostolica. Attamen si iudex competens auctoritate propria processum inceperit super matrimonii nullitate ex quocumque capite et ex eo incidenter emerserit matrimonium non fuisse consummatum, processum instruat quoque super matrimonii inconsummatione et super causis dispensationis. Hoc servandum erit praesertim in processibus nullitatis ex capite impotentiae. Expleto vero processu, si matrimonii nullitas non evincatur, acta omnia a loci Ordinario ad S. Congregationem pro dispensatione, si opus sit, impetranda super rato et non consummato mittantur una cum unius vel utriusquē coniugis supplici libello.

Quid, obtenta facultate, Ordinario faciendum sit.

5. Obtenta vero a Sede Apostolica facultate, Ordinarius, decreto in scriptis dato, in actis asservando, constituat in causa moderatorem actorum seu iudicem instructorem et defensorem vinculi, qui sint sacerdotes scientia et prudentia praediti, necnon actuarium.

Ordinarius potest per se moderatoris actorum munere fungi.

Unus moderator actorum, cum iure mittendi litteras rogatorias.

6. Unicus sit moderator actorum seu iudex instructor in inquisitione pro dispensatione super rato et non consummato. Moderator vero actorum, quod attinet ad partium et testium citationem et examen, documentorum visionem vel personarum physicam inspectionem, decretorum intimationem aliaque huiusmodi, ius habet, iuxta suetas normas, in auxilium vocandi, per litteras rogatorias, alias Curias.

Iuramenta praestanda.

7. Moderator actorum, nisi sit ipsemet Ordinarius, defensor vinculi et actuarius de munere fideliter explendo, ac de secreto servando iuramentum praestent, de quo mentio fiat in actis.

II.

De examine coniugum et testium credibilitatis

Exploranda identitas personarum. Monendi coniuges et testes de sanctitate rei.

8. Antequam coniuges et testes examinentur, moderator actorum et vinculi defensor — actuario id in scriptis consignante — de identitate personarum explorent, deinde eos praemoneant de gravi obligatione veritatis dicendae, et speciatim eos edoceant dispensationem dolo, vel fraude contra rei veritatem forte obtentam, minime in foro conscientiae coniugibus esse suffragaturam.

Praestatio iuramenti. Monitio de eius sanctitate.

9. Coniuges et testes debent singuli praestare iuramentum de veritate dicenda et de secreto servando super interrogationibus et responsionibus. Moderator actorum, modo efficaciori quo fieri possit iuxta personarum conditionem, explicet sanctitatem iuramenti praesertim quoad veritatem dicendam. De hac monitione, uti de iuramenti praestatione, mentio fieri debet in actis.

Interrogationes faciendae coniugibus.

10. Coniuges examinentur:

de iis quae matrimonium praecesserunt; utrum liberi an coacti et quas ob rationes in matrimonium consenserint;

qua definita die, ubi et coram quibus matrimonium celebraverint;

an commune vitae consortium statim instauraverint; per quodnam temporis spatium pacifice cohabitaverint et quando animorum aversio facta fuerit; quo denique definito tempore abrupta fuerit vita coniugalis;

an sciant in quo matrimonii consummatio consistat; et utrum matrimonium consummatum fuerit nec ne et quanam de causa;

num copula coniugalis saltem tentata fuerit, et, si forte imperfecta, id honeste explicent;

num adhibuerint fraudes contra completam copulam coniugalem vel contra generationem prolis, et explicent quibus mediis.

Interrogentur praesertim: *a*) si, quando et quibus patefecerint matrimonium non fuisse consummatum;

b) quando et a quibus didicerint matrimonium ratum et non consummatum dispensari posse a Romano Pontifice;

c) a quo tempore consilium inierint de hac dispensatione petenda. Demum interrogentur super causis pro impetranda dispensatione allatis.

Si coniuges in suis depositionibus nimis inter se conveniant, inquirant prudenter, tum iudex tum defensor vinculi, an

adsit collusio; si vero in substantialibus vel in rerum adiunctis magni momenti coniuges discrepent, iterum ad examen vocentur et super discrepantia interrogentur, adhibita etiam, si casus ferat, contestatione inter personas ipsas, ut veritas eruatur.

Antequam coniugum examen absolvatur, moderator actorum eos adhortetur ad vitam coniugalem restaurandam, de qua re mentio fiat in actis.

Producendi tres saltem testes de probitate et veracitate coniugum.

11. Si reconciliari renuant, tunc moderator actorum utrique coniugi iniungat ut quisque pro sua parte *tres saltem* inducat testes, ad normam sacrorum canonum idoneos et omni exceptione maiores, sanguine aut affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de ipsorum coniugum probitate et praesertim de eorum veracitate circa rem in controversiam deductam.

Interrogationes testium credibilitatis, quibus adiunguntur saepe testes ex officio.

12. Testes credibilitatis, praeter ea quae generalia sunt, interrogentur praecipue circa ipsorum coniugum probitatem, vitae honestatem, praeceptorum Ecclesiae observantiam, sacramentorum frequentiam; circa famam qua gaudent, eorumque veracitatem atque, in specie, si coniugibus, inconsummationem matrimonii sub iuramento affirmantibus, fides adhibenda sit.

Vis testimonii credibilitatis.

His testibus moderator actorum ex sese, aut ad instantiam defensoris vinculi potest adiungere alios credibilitatis testes, qui vocantur *ex officio;* immo debet, quatenus fieri poterit, si quacumque de causa testes adductos insufficientes existimaverit.

Testimonium credibilitatis robur addit depositionibus coniugum; sed vim plenae probationis non obtinet, nisi aliis argumentis et adminiculis fulciatur, praesertim depositionibus testium de scientia accepta, et inspectione corporali.

III.

Examen testium de scientia accepta

Inducendi quoque testes de scientia accepta.

13. Posita affirmatione fide digna coniugum de non consummatione, sedulo indagandum erit utrum coniuges tempore non suspecto patefecerint matrimonii inconsummationem et quidem in iis rerum adiunctis, ut hae declarationes nullam aliam causam habere potuerint quam veritatem facti inconsummationis.

Quare praeter testes credibilitatis, a coniugibus inducantur quoque idonei testes de rei veritate edocti, qui appellantur *testes de scientia accepta.*

14. Diligenter igitur moderator actorum tum a testibus credibilitatis tum a testibus de scientia accepta inquirat super iis quae praecesserunt aut sequuta sunt matrimonii celebrationem, quaenam causam dederint discordiae coniugum, si et quas a coniugibus aut ab aliis acceperint notitias circa inconsummationem, quanam causa, quibus patefactae fuerint, et ob quem finem; praesertim vero inquirat *quonam definito tempore* id audiverint:

Interrogationes faciendae. testibus.

a) utrum tempore quo vita coniugalis adhuc pacifice ducebatur;

b) an quando iam ortae erant discordiae et vita coniugalis abrupta;

c) an vero postquam fuerit inceptus fortasse processus quem vocant civilem ad divortium obtinendum; aut postquam captum fuerit consilium dispensationem impetrandi et processus canonicus introductus fuerit.

De his temporum adiunctis sedulo ratio habeatur in interrogationibus faciendis, ut erui possit, cum morali certitudine, num tempore non suspecto tales declarationes factae fuerint.

15. His testibus moderator actorum ex sese, vel ad instantiam defensoris vinculi, alios testes de scientia accepta a coniugibus vel ab aliis, potest ex officio adiungere immo debet, quatenus fieri potest, si id necessarium aut opportunum existimaverit.

Alii testes quandonam adiungendi.

IV.

De inspectione corporali.

16. Inspectio corporalis utriusque coniugis vel — nisi ex adiunctis evidenter inutilis appareat — saltem mulieris, fieri debet ad normam iuris.

De inspectione corporali facienda.

Ad inspiciendum virum, duo periti medici ex officio deputari debent.

Ad mulierem vero inspiciendam duae obstetrices, in arte et praxi peritiores ac bonae famae, ex officio designentur, nisi maluerit mulier a duobus medicis ex officio pariter designandis inspici, vel id Ordinarius necessarium habuerit.

Corporalis mulieris inspectio fieri debet, servatis plene christianae modestiae regulis et adstante semper honesta matrona ex officio designanda.

Mulieris inspectionem obstetrices vel periti, seorsum singuli, exsequi debent.

17. Omnes ex officio deputati iuramentum praestent de munere fideliter, omnique cum diligentia implendo et de iudi-

Iuramentum praestandum a deputatis inspectioni.

cio proferendo absque ullo partium studio, itemque de secreto servando.

Varia monita.

Praeter alia autem deputati ad mulieris inspectionem prae oculis habeant quae a gravioribus et prudentioribus in medicina doctoribus traduntur circa signa certa vel dubia integritatis, praesertim de hymenis varietatibus et de mediis ad praecavendas fraudes, simulandae integritatis gratia, forte adhibitas.

In viri autem inspectione periti monendi erunt ut artis praesidiis utantur licitis et honestis atque referant, iuxta probata medicinae legalis praecepta, indicia et argumenta non tantum quoad impotentiam, sed etiam circa inconsummationem, attentis adiunctis in casu.

Relationes faciendae. Interrogationes actorum.

18. Singuli medici vel obstetrices singulas relationes conficiant, intra terminum a iudice definitum, tribunali tradendas.

Peracta autem relatione, periti, obstetrices, ac ultimo, matrona, seorsum singuli, iuramento praestito, ab actorum moderatore interrogentur, secundum articulos a vinculi defensore, inspectis diligenter supradictis relationibus, concinnatos.

Periti debent indicare perspicue qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato et quibus potissimum argumentis sententia ab ipsis prolata nitatur, ita ut Sedes Apostolica iudicium sibi efformare possit, non tantum ex conclusionibus peritorum sed etiam ex elementis et descriptionibus relatis.

V.

De officio Moderatoris actorum, Defensoris vinculi et Actuarii.

Officium moderatoris actorum.

19. Moderatoris actorum est curare ut omnia ad normam iuris perficiantur eaque omnia statuere quae aptiora sint ad factorum veritatem eruendam.

Officium et iura defensoris vinculi.

20. Officium vero defensoris vinculi est omnibus viribus tueri iura matrimonii, quare semper est citandus in omnibus sessionibus et actibus processus. Ipsius est: examini partium, testium et peritorum *adesse;* exhibere *interrogatoria* clausa et obsignata, in actu examinis ab actorum moderatore aperienda; *novas interrogationes* ab examine emergentes suggerere; documenta a partibus exhibita *recognoscere.*

Ipse proinde poterit, quolibet causae momento, petere ut alii testes inducantur vel iidem iterum examini subiiciantur; proponere novas interrogationes sive circa generalia sive circa particularia matrimonii.

Monitum de interrogationibus faciendis.

21. Tum moderator actorum tum vinculi defensor curent ut interrogationes non sint complexae sed simplices et clarae

ac plene intelligantur; nec suggestivae aut ita factae ut simplici affirmatione vel negatione iisdem responderi possit; sed ita redigantur et fiant ut, examinatus, clariori modo quo potest, promat et explicet notitias quas habet.

Diligens inquisitio circa probitatem et credibilitatem singulorum in iudicium vocatorum vel vocandorum.

22. Tum moderator actorum, tum defensor vinculi diligenter inquirant *circa probitatem et credibilitatem singulorum in iudicium vocatorum vel vocandorum*, exquirendo ab eorum parochis, sin minus a personis fide dignis, litteras testimoniales in quibus declaretur hanc personam, de qua quaeritur, fidem mereri, idque constare ex positivis honestatis et religiositatis signis; veracitatis vero testimonia singula pro singulis requirantur et non globatim, eaque universa erunt asservanda in actis.

Actuarii munus.

23. Actuarii munus est fideliter et continenter referre in actis examinatorum responsiones, non tantum quoad substantiam rei, sed etiam quoad verba, nisi iudex ex gravi et evidenti ratione, satis habeat ut tantum depositionis substantia referatur; — die, mense et anno interrogatorii vel cuiuslibet actus diligenter semper scripto signatis. — Actuario incumbit obligatio acta fideliter custodiendi, ne cuipiam extraneo pateant.

Acta fideliter custodire debet. Quid si pars a tribunali audiri nequeat. Deficiente idoneo sacerdote ipse moderator actorum partes defensoris vinculi agat. In casu necessitatis laicus potest assumi ut actuarius.

24. Si ob locorum distantiam aliave incommoda pars vel testis nequeat se conferre ad Curiam, neque moderator actorum, defensor vinculi et actuarius possint locum adire, ubi pars vel testis degat, moderator actorum deleget idoneum sacerdotem, illius loci, et, quoad fieri potest, eiusdem ritus, qui adhibita, pro munere defensoris vinculi, alterius sacerdotis opera, iuxta interrogatoria a vinculi defensore exarata, partem vel testem diligenter excutiat eiusque responsiones, ope actuarii, scripto redigat.

Deficiente idoneo sacerdote qui munus defensoris vinculi obire possit, ipse moderator actorum delegatus eiusdem partes agat, facta de re mentione in actis.

Semper autem requiritur actuarius, ad quod munus, in casu necessitatis, scandalo et admiratione remotis, assumi potest etiam laicus.

Omnes praestare] iuramentum debent de munere et de secreto.

Hi omnes iuramentum praestare debent de munere fideliter implendo et de secreto servando.

Partes Ordinarii loci in examine testis commorantis in aliena eparchia vel dioecesi.

25. Pro examine alicuius testis in aliena eparchia vel dioecesi commorantis, moderator actorum transmittat ad loci Ordinarium interrogatoria a defensore vinculi proposita, simulque exponat causae adiuncta ut quaesitae notitiae haberi possint a teste cum sufficienti rerum omnium cognitione.

Pertinet ad Ordinarium loci delegare moderatorem actorum, defensorem vinculi et actuarium pro inquisitione in casu, cum facultatibus, de quibus in numero 24.

VI.

De conclusione processus

Quandonam clauditur processus.

26. Processus ne claudatur nisi defensor vinculi declaraverit sibi nihil superesse inquirendum et moderator actorum attente inspexerit ne quid incompletum vel ambiguum vel contradictorium remaneat: quo in casu, audito vinculi defensore, ea supplere satagat citando denuo, si opus sit, partes vel etiam testes.

Vita promenda, clauso processu.

27. Clauso processu, defensor vinculi suas redigat animadversiones et tum moderator actorum, tum Ordinarius ipse, nisi munere moderatoris fuerit functus, suum votum promant.

Omnia acta mittenda ad S. Congr. pro Eccl. Orientali.

28. Deinde omnia acta iudicialia, in authentico exemplari, lingua magis cognita exarato (latina, italica, gallica vel anglica), una cum indice, mittantur ad hanc Sacram Congregationem.

Dies (10 iun. 1935).

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 10 Iunii, anno 1935.

A. Card. SINCERO, Episcopus Praenestinus, *a Secretis.*
L. ✠ S.

I. Cesarini, *Adsessor.*

II.

APPROBATIO

SS.mus D.nus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, decreto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali diei 1 Iunii a. 1935, Constitutiones Congregationis Sororum Indigenarum ritus Chaldaici et Syriaci, quae « Tertiariae Dominicanae Sanctae Catharinae Senensis » vocantur, definitive approbare dignatus est.

---

46. — S. Congr. pro Ecclesia Orientali

Notificatio 17 iul. 1935

DE CONSTITUENDA PONTIFICIA COMMISSIONE AD REDIGENDUM « CODICEM IURIS CANONICI ORIENTALIS »

(A. A. S., 20 Aug. 1935, XXVII, 306)

Memorantur Statuta 1929.

Augustus Pontifex, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum Orientalium vota benigne excipiens, ut singulis eorum Ecclesiis per canonicam codificationem provideretur, anno 1929

haec statuere dignatus est: 1) ut studia historico-canonica, quae *praeparatoria* vocantur, de legibus et consuetudinibus singularum Ecclesiarum a sacerdotibus, quos Exc.mi Episcopi Romam mittendos elegerint, conficerentur; 2) ut canonum schemata a praedictis sacerdotibus delegatis redacta ad Exc.mos Ordinarios mitterentur, ut de iisdem animadversiones facere possint; 3) ut iuridici singularum Ecclesiarum fontes, canonici praesertim, exquirerentur atque in lucem, cura virorum scientia iuris canonici et historia peritorum, ederentur. Memoratis studiis praeparatoriis Sanctitas Sua eodem anno Commissionem Cardinalitiam praeposuit, cui usque ad diem 18 Novembris elapsi anni desideratissimus praefuit Card. Petrus Gasparri.

Plura quae facta sunt suadent S. Pontifici ad redactionem Codicis procedendum esse et huic operi moderando constituit Commissionem Pontificiam.

Quum autem delegati sacerdotes opus sibi concreditum hisce diebus naviter et fideliter absolverint, atque Exc.mi Ordinarii Orientales de schematibus canonum suas dederint animadversiones; quumque fontium a praedictis sacerdotibus relatorum plures libri circa Sedis Apostolicae decreta et disciplinas Ecclesiarum Orientalium in lucem editi (Aethiopicae, Armenae, Chaldaicae, Copticae, Maronitae, Melkitae, Rumenae, Ruthenae et Syrae) et alii edendi sint, Sanctitas Sua ad redactionem « Codicis iuris Canonici Orientalis » procedendum censuit, atque huic operi moderando Commissionem pontificiam constituit.

Munus commissionis. Potissimum utantur consultorum ex Orientalibus clericis opera.

Huius Commissionis est animadversiones et vota quae de canonum praedictis schematibus R.mi Ordinarii significaverint perpendere; textum canonum determinare; et redactionem Codicis moderari. Quum autem condendus Codex, non solum ad leges sed etiam ad redactionis rationem quod attinet, populorum ad quorum regimen destinatur referre debeat indolem: aequum Ss.mo visum est decernere ut E.mi Patres, in praedicto Codice redigendo, opera Consultorum ex Orientalibus clericis praecipue assumptorum utantur.

Communicatio praescribitur cum Ordinariis Orientalibus.

Praecipit insuper Sanctitas Sua ut singuli tituli vel libri quos, moderante E.mo Praeside, Consultores redegerint, ad Ordinarios Orientales Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, exquirendi eorumdem voti gratia ad unam quod attinet redactionis rationem, mittantur.

Quinam commissionem constituant.

Commissionem pontificiam constituunt qui sequuntur:

E.mus Card. ALOYSIUS SINCERO, *Praeses.*
E.mus Card. EUGENIUS PACELLI.
E.mus Card. IULIUS SERAFINI.
E.mus Card. PETRUS FUMASONI-BIONDI.

A Secretis:
R.mus P. Acacius Coussa, B. A.

[46]

Consultores.

Consultores:
Exc.mus P. D. Franciscus Agagianian, Episcopus tit. Comanensis in Armenia.

R.mus D. Franciscus Gozman.
R.mus D. Ioannes Balan.
R.mus D. Petrus Dib.
R.mus D. Petrus Sfair.
R.mus D. Cyrillus Korolevskij.
R.mus D. Paulus Hindo.
R.mus P. Garabed Amaduni, e Mechit. Venet.
R.mus P. Ioseph Zajačkivskyj O. S. B. M.
R.mus P. Romualdus Souarn A. A.
R.mus P. Arcadius Larraona C. M. F.
R.mus P. Hippolytus a Sancta Familia O. C. D.
R.mus P. Aemilius Herman S. I.

Commissionis sedes.

Commissionis sedes est apud S. Congregationem pro Ecclesia Orientali, Borgo nuovo 76, Roma (113).

Dies (17 iul. 1935).

Die 17 Iulii, anni 1935.

ANNOTATIO

Quia simplex agitur Notificatio, documentum editur sine ulla conclusione.

---

47. — S. Congr. pro Eccl. Orientali

I

Notificatio de competentia in Orientales S. Paenitentiariae.

(A. A. S., 15 oct. 1935, XXVII, 379)

Audientiae SS. D.

Decisio. Orientales adeant de indulgentiis S. Paenitentiariam.

Clausula. Dies (21 iul. 1935).

SS.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI in audientia dierum 1 et 22 mensis Iunii, anno 1935, Cardinali a Secretis S. Congregationis pro Ecclesia Orientali et Cardinali Paenitentiario Maiori respective concessis, statuere dignatus est, ut fideles quoque orientales cuiuscumque ritus in iis quae Indulgentias respiciunt Sacram Paenientiariam adeant. Romae, die 21 Iulii a. 1935.

II

Monitum

Monitum de sacerdote extra dioecesim commorante.

Sacerdos Ioseph Naayem, e dioecesi Amidensi Chaldaeorum, absque debita licentia Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali extra patriarchatum suum adhuc commoratur, per varias dioeceses Americae Septentrionalis pervagando.

Ad normam Decreti « Non raro accidit » editi a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali die 2 Ianuarii a. 1930, loco-rum Ordinarii praefatum sacerdotem ad Missae celebrationem ne admittant.

---

48. — S. Congr. de Semin. et Studiorum Universitatibus.

Decretum 15 aug. 1935

CANONICE ERIGITUR FACULTAS THEOLOGICA BRATISLAVENSIS APUD SEMINARIUM MAIUS TYRNAVIENSE, CUM IURE GRADUS CONFERENDI.

(A. A. S., 31 oct. 1935, XXVII, 418)

Orator. Postulatio.

Exc.mus Ordinarius Tyrnaviensis in Cecoslovachia, postulavit a Sancta Sede ut apud civilem Studiorum Universitatem Bratislavensem, Facultas Theologica canonice erigeretur.

Gratia.

Cum Beatissimus Pater praefatae petitioni annuere dignatus sit, haec Sacra Congregatio, praesenti Decreto, Facultatem Theologicam Bratislavensem, apud Seminarium Maius Tyrnaviense sitam, canonice erigit et erectam declarat, cum iure conferendi gradus academicos, ad normam Constitutionis Apostolicae « Deus scientiarum Dominus » eique adnexarum « Ordinationum » et secundum Statuta ab hac eadem Sacra Congregatione approbata.

Clausulae.

Servatis ceteris de iure servandis. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Dies (15 aug. 1935, in festo Assumptionis B. M. V.).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Callixti, die xv augusti, in Festo Assumptionis B. Mariae Virginis, anno MCMXXXV.

C. Card. BISLETI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

E. RUFFINI, *Secretarius.*

---

49. — S. Congr. Rituum

Decretum 25 nov. 1931

DE MODO SERVANDO IN EXAMINANDIS PROCESSIBUS INFORMATIVIS PRO SIGNANDA COMMISSIONE SUPER INTRODUCTIONE CAUSARUM SERVORUM DEI ET PRO CAUSIS CONFIRMATIONIS CULTUS.

(A. A. S., 20 aug. 1935; XXVII, 310)

Crescente numero processuum informativorum, curandum ut expeditior fiat eorum cursus.

Ob indefectibilem Sanctae Matris Ecclesiae supernaturalem spiritus fecunditatem, accedente magis actuosa Sacrorum Antistitum et Postulatorum laudabili sedulitate pro Causis Servorum Dei provehendis, feliciter nunc contingit, ut iugi quodam incremento huic Sacrae Rituum Congregationi examinandi proponantur informativi, uti dicuntur, processus ab Ordinariis locorum instructi pro novis Servorum Dei Causis introducendis. Quod dum animum recreat simul admonet ut tanti momenti causae, plures equidem numero, in ipso primo earum limine apud hanc Sacram Congregationem, ita diligenti trutina iuxta recepta criteria cribrentur, ut expeditior postea fluat earum cursus, quae dignae pro meritis habeantur.

Praxis olim vigens, cui ex dispensatione pontificia saepe derogatum.

Porro ea olim extitit hac in re disciplina ex decretis sa. me. Urbani VIII, ut de signanda Commissione super introductione Causae ageretur in Congregatione generali coram Summo Pontifice, una cum Patribus Cardinalibus, simul abstantibus suumque suffragium ferentibus Consultoribus universis. Cui postea regulae, cum ea difficilior applicatu evaderet, ne scilicet aliae gravissimae causae in Congregationibus generalibus tractandae praepedirentur, saepius derogatum est; accedente tamen in singulis casibus pontificia dispensatione ad examen de informativo processu pro causae introductione instituendum in Ordinaria, quae dicitur, Crongregatione Patrum Cardinalium, absque Consultorum interventu ac suffragio. (Cfr. Benedicti XIV, *De Serv. Dei Beatif. et de Beat. Canoniz.*, lib. II, cap. 36, n. 5).

Quae demum praxis in can. 2082 Cod. Iuris Canonici recepta est.

Oportet ut propius antiquiori disciplinae accedatur.

Attamen, praesentibus inspectis rerum adiunctis quae supra sunt memorata, opportunum apparet ut, talibus processibus informativis plenius excutiendis, antiquiori disciplinae, congruis adhibitis temperamentis, aliquantulo propius accedatur.

Itaque, firmo manente citato canone de examine processus informativi instituendo in Congregatione Ordinaria, illud tamen addendum simul visum est, ut pro tali examine in dictis Congregationibus peragendo, praeter S. C. Secretarium, Promotorem Generalem Fidei, et Subpromotorem, adsit quoque ea pars Consultorum qui inscribuntur *Officiales Praelati;* iique supradicti omnes suum consultivum votum super dictis causis scripto exaratum legant coram Patribus Cardinalibus, qui postea rem excutient. Quod idem servandum visum est quando in dictis Congregationibus Ordinariis Causae aguntur de Confirmatione vel Extensione cultus.

Adsit etiam pars Consultorum « Officiales Praelati ».

Quae quidem omnia Ss.mus D. N. Pius Pp. XI, gloriose regnans, in audientia subsignata die ab infrascripto Cardinali S. R. C. Praefecto habita, auctoritatis suae robore constitui voluit atque vigere, eademque praescripta, ad instar normae pro dictis causis, posthac servanda iussit. Qua super re praesens Decretum confici atque edi mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Confirmatio SS.mi.

Die 25 Novembris 1931.

Dies (25 nov. 1931).

C. Card. Laurenti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

Annotationes

1. Can. 2082 haec habet: Iudicium circa valorem processus informativi ab Ordinario instructi, circa famam sanctitatis vel martyrii et circa absentiam cuiuslibet obstaculi peremptorii profertur a Patribus Cardinalibus in Consillis ordinariis, Cardinali Ponente referente ac proponente dubium: *an signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.*

2. Praelati officiales ante Consultores recensentur in prima sectione Congregationis.

50. — S. Paenit. Apost. (*Off. de indulg.*)

Decretum 18 iul. 1935.

DE CONDITIONIBUS AD LUCRANDAM INDULGENTIAM, QUAM DICUNT, PORTIUNCULAE IN ECCLESIA S. MARIAE ANGELORUM APUD ASISIUM.

(A. A. S., 20 aug. 1935; XXVII, 315).

Quaestio saepius posita.

Haud semel, olim et recenter, quaesitum est a Sacra Paenitentiaria, utrum conditiones ad lucrandam indulgentiam, quam dicunt, Portiunculae (confessio, communio, visitatio ecclesiae ac recitatio, ea durante, orationum *Pater, Ave* et *Gloria* ad mentem Summi Pontificis sexies repetita), n. IX Decreti « Ut septimi pleni » diei 10 Iulii 1924 praescriptae, servari debeant etiam in visitatione *Portiunculae* proprii nominis ad S. Mariae Angelorum apud Asisium, contra ibi hucusque receptam traditionem.

Responsum.

Mens S. Paenit.

Ad quae, omnibus mature perpensis, Sacra Paenitentiaria Apostolica respondet: *Affirmative* et, quod attinet ad recitationem precum, *ad mentem.*

Mens est ut hae preces (sexies *Pater, Ave* et *Gloria*) recitari regulariter debeant in ipso Portiunculae sacello; sed si forte aliquando, ob sacelli ipsius angustiam praesertim in extraordinario visitantium concursu, id absque incommodo servari nequeat, valeant christifideles eas incipere extra ipsum sacellum, prosequi per ipsum transeuntes et absolvere post exitum. Idque toties quoties indulgentiam lucrari exoptent.

Approbatio SS.mi.

Quam quidem resolutionem Sibi relatam Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in Audientia infrascripto Cardinali Suo Maiori Paenitentiario die 13 vertentis mensis concessa, benigne approbare et confirmare dignatus est ac, quo solet modo, publicandam mandavit.

Dies (18 iul. 1935).

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae Ap., die 18 Iulii 1935.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. S. Luzio, *Regens.*

Annotatio

In Periodicis, t. XIII, p. 163, reperitur decretum *Ut septimi,* S. Paenit., quo Normae statuuntur concedendae et lucrandae indulgentiae Portiunculae.

51. — S. Paenit. Apost. *(Off. de indulg.)*

Decretum 2 oct. 1935

PIUM EXERCITIUM VISITATIONIS VULGO DICTAE « SEPTEM ALTARIUM » NOVIS INDULGENTIIS AUGETUR.

(A. A. S. 25 nov. 1935, XXVII, 449).

DECRETUM

Raecolitur antiqua devotio visitandi altaria Basilicae Vaticanae,

Valde compertum est, usque a XII saeculo, nonnulla altaria in Vaticana Basilica exstitisse, quae a fidelibus Romam adeuntibus sepulcrum Principis Apostolorum veneraturis, speciali cultu honorata erant, forsitan propter Sanctorum corpora, sub iisdem quiescientia, quaeque etiam in quibusdam solemnitatibus peculiari quadam sacra liturgia prosequi mos erat.

praesertim haec septem.

Haec inter altaria quaedam copiosioribus privilegiis et indulgentiis aucta, valde etiam ab ecclesiis extra Romam quaesitis, et a peregrinis maiori cum frequentia visitata, exstitisse videntur, quae septem illa altaria constituunt, de quibus praesens Decretum agit, quaeque, ut sequitur, numerantur: 1) Beatae Virginis sub nomine Gregorianae, 2) Ss. Processi et Martiniani, 3) S. Michaelis Archangeli, 4) S. Petronillae Virg., 5) B. Mariae Virginis a Columna, 6) Ss. Apostolorum Simonis et Iudae, 7) S. Gregorii Magni.

Propter incertas indulgentias imminutio fervoris.

Verumtamen si ex authenticis documentis eruitur exsistentia specialium indulgentiarum, istorum altarium visitationi concessarum, pariter tuto non constat neque de nominibus Pontificum easdem elargientium neque de ipsarum quantitate, eo quia dolendum est, ob temporum iniuriam fere omnino deesse pontificia documenta, quibus procul dubio utrumque elementum statui possit. Ex tali documentorum penuria atque ex iis, quae privati viri lucri causa hac super re circa finem saec. XIV et saeculo XV scripserunt, probabiliter populares traditiones ad rem colligentes, quavis auctoritate destitutas et inter se valde discrepantes, de talium indulgentiarum quantitate eiusmodi confusio exorta est, quae, prout exspectandum erat, etiam causa fuerit cur pius fervor imminutionem pateretur quoad visitationem vulgo dictam Septem Altarium, quemadmodum etiam hodie animadvertitur.

Quare ut pium exercitium reviviscat, SS. D.,

Itaque Sanctitas Sua, summopere exoptans ut hoc pium exercitium reviviscat, quod temporibus vividioris et intimioris fidei christifideles diligebant, atque prae oculis habens, vividiorem hunc fervorem nunquam obtineri posse, donec clare et in concreto ab eisdem dignoscatur quaenam sint indulgen-

tiae, quae talium altarium visitationi sint adnexae simulque conditiones ad eas lucrandas innotescant, iuxta id quod pro aliis piis exercitiis fovendis iam effecerat, iussit ut indulgentiae, quae in posterum fideles praefata visitatione acquirere possint, peculiari decreto tuto ac determinate enumerentur.

audientia 13 iul. 1935, has indulgentias largitur.

Itaque in audientia infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa sub die 13 mensis Iulii currentis anni, abrogata super hoc qualibet anteriori concessione, eadem Sanctitas Sua visitantibus Septem Altaria in Basilica Vaticana exstantia, sequentes indulgentias elargiri dignata est: 1) *partialem septem annorum* pro visitatione singulorum altarium, pia mente et saltem corde contrito peracta, recitata qualibet oratione ad Titularem altaris; 2) *plenariam* suetis conditionibus die festo Titularis altaris, quod praedicta forma visitatur; 3) *plenariam* suetis conditionibus, si septem altaria, omnia praefato modo visitentur in uno die ad normam can. 923 C. I. C.

Concedit quoque indulgentias visitantibus septem altaria ecclesiarum quibus, in Urbe vel extra Urbem concessae sunt indulgentiae ad instar.

Quod si, ex Pontificio Indulto in aliis Urbis ecclesiis et etiam extra Urbem indulgentias septem altarium « ad instar » christifideles lucrari possint sicut illas adnexas septem altaribus Vaticanae Basilicae, per visitationem nempe septem altarium explicite in eodem Indulto determinatorum, eadem Sanctitas Sua sequentes indulgentias benigne concessit: 1) *partialem quinque annorum* pro qualibet visitatione singulorum altarium, recitando pia mente et saltem corde contrito quamlibet precem in honorem Titularis altaris; 2) *partialem septem annorum* die festo Titularis altaris, quod in praedicta forma visitatur; 3) *plenariam* suetis conditionibus lucrandam ab illo, qui modo praedicto et unico die, iuxta normam can. 923 C. I. C., visitationem omnium praefatorum altarium peregerit.

Clausulae.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Dies (2 oct. 1935).

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae Ap., die 2 Octobris 1935.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. LUZIO, *Regens.*

ANNOTATIO.

S. Pontifex pergit exsequi consilium certas reddendi indulgentias, quae olim celebres, factae sunt confusae.

Cum, ut memorat S. S. in expositione, etiam ecclesiae plures, obtinuerant privilegium *ad instar*, eas indulgentias etiam clare definit.

ACTA SUMMATIM RELATA

52. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

A. Die 19 Septembris 1935, SS. D. N. approbavit *statuta quae ad curam spiritualem militum catholicorum exercitus Germaniae spectant.*

